Theol. Seminary
1825

EVANGELIVM
IOHANNIS

ILLVSTRAVIT

CHRISTIANVS THEOPHILVS KVINOEL

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD. IN ACAD. GISENSI

EDITIO SECVNDA AVCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

APVD IOHANNEM AMBROSIVM BARTH

1817.

CHRISTIANI THEOPHILI KVINOEL

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD. IN ACAD. GISENSI

COMMENTARIVS

IN

LIBROS

NOVI TESTAMENTI

HISTORICOS.

VOLVMEN III.

EVANGELIVM IOHANNIS.

EDITIO SECVNDA AVCTIOR ET EMENDATIOR.

LIPSIAE

APVD IOHANNEM AMBROSIVM BARTH

1817.

PROLEGOMENA.

§. 1. *De vita Iohannis.*

Iohannes [1]), Zebedaei, haud infimae ſortis [2]) piſcatoris, Galilaei [3]), et Salomes filius, v. Matth. 27, 56. Marc. 15, 40. primum magiſtro vſus eſt Iohanne baptiſta, v. Ioh. 1, 37 ſqq. deinde autem adhuc

1) De huius nominis ſignificatione v. not. ad Luc. 1, 12.

2) Zebedaeum lautioris conditionis fuiſſe, pluribus argumentis haud comtemnendis comprobatur. Habebat nimirum Zebedaeus mercenarios, qui eum in piſcatura exercenda adiuuarent, v. Marc. 1, 20. annumeratur Salome feminis Galilaeis, quae Ieſum ſecutae ſunt, eique victum ſuppeditarunt, v. Matth. 27, 55 ſq. Marc. 15, 41. Luc. 8, 3. commendabat Ieſus in crucem actus matrem ſuam curae et prouidentiae Iohannis amici dilecti, qui ei alimenta praebere poſſet, Ioh. 19, 16. de Iohanne ipſo legimus 18, 15. eum probe notum fuiſſe Caiaphae pontifici maximo.

3) Zebedaeus Bethſaidae vel Capernaumi habitaſſe videtur, certe Iohannis ſocii Petrus et Andreas Bethſaidenſes erant, Ioh. 1, 40. Matth. 4, 18. 21.

adolescens [4]), vt videtur, ad Christi signa sese contulit, v. Ioh. l. c. neque tamen statim ab initio comes eius perpetuus fuit, sed Iesu iubente vel permittente ad artem suam aliquamdiu rediit; postea a Iesu, qui Capernaumum proficiscebatur, ad lacum Genesaret iterum euocatus et in intimam familiaritatem eius receptus est, v. Matth. 4, 21. Marc. 1, 19. Luc. 5, 10. ita vt vna cum Petro atque Iacobo principem locum inter discipulos Christi teneret, v. Marc. 5, 37. Matth. 17, 1. Marc. 9, 1. Matth. 26, 37. Marc. 14, 33. et magistro, quem ipse vnice amabat et suspiciebat, a cuius latere nunquam discedebat, esset omnium reliquorum discipulorum longe carissimus [5]). —

4) Hieronym. in Iouin. L. 1. c. 14. *Vt autem sciamus, Iohannem tunc fuisse puerum, cum a Iesu electus est, manifestissime docent ecclesiasticae historiae, quod vsque ad Traiani vixerit imperium.* v. *Lampii* Prolegg. p. 17. add. infra §. extr.

5) Se magistro inprimis carum fuisse, Iohannes ipse non semel, sed saepius testatus est, ita tamen, vt nomen suum verecunde supprimeret. v. 13, 23. 19, 26. 20, 2. 21, 7. 10. Amabat quidem Iesus a partium studio alienissimus omnes discipulos suos, omnibusque beniuolentiae documenta pro cuiusque merito dabat, inprimis tamen diligebat Iohannem, egregiae indolis adolescentem, discendi cupidissimum, amore in magistrum, studioque doctrinae illius tradendae et propagandae incensum flagrantissimo, fortem, animosum, constantem, Ioh. 18, 15. 19, 25. feruido quidem ingenio praeditum, alienum tamen a Petri temeritate et leuitate (v. *Potti* Prolegom. in Ep. I. Petr. p. 4 sq.) conf. *Wegscheider Einleit. in d. Ev. Ioh.* p. 65 sqq.

Cum Chriftus ex his terris abiiffet, Iohannes plures adhuc annos fubftitit Hierofolymis, v. Act. 3, 1 fqq. 5, 18 fqq. Poft Stephani quidem necem vna cum Petro a Collegio Apoftolorum ablegatus eft Samariam, vbi Philippus complures ad religionem Chrifti adduxerat, v. Act. 8, 15. fed inde vna cum Petro rediit Hierofolymam, ibique, vt vetus traditio a Nicephoro [6]) allata docet, coll. Act. 1, 14. vsque ad Mariae matris Iefu mortem remanfit; obiit illa, tefte Eufebio, anno poft C. N. XLVIII. [7]). In quam-

---

6) Verba Nicephori H. E. II. 42. ed. Parif. 1630. T. 1. p. 206. funt: ἱϛορεῖται. ὡς ὁ θειότατος οὗτος Εὐαγγελιϛὴς (Ἰωάννης) μετὰ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον Ἰησοῦ, συνῆν τῇ μητρὶ τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ κατὰ τὸ Σιὼν οἴκῳ αὐτοῦ ἄχρι τῆς πρὸς Κύριον ἐκδημίας αὐτῆς· ἔπειτα δὲ ἐν Ἀσίᾳ γενόμενον εὐαγγελίσασθαι τὸν Χριϛόν. Quae traditio, cui libri N. T. fidem addunt, ita intelligenda eft: Iohannes vsque ad Mariae mortem non diutina itinera fufcepit, non diu ab Hierofolymis abfuit. v. Act. 8, 15. *Wegfcheider* l. c. p. 36.

7) Iohannem iam tum temporis, cum ab Apoftolis ablegatus effet Samariam, v. Act. 8, 15. relicta hac vrbe ad exteras gentes fefe contuliffe, nec vnquam pofthac Hierofolymam rediiffe, fufpicatus eft *Schmidtius* in *Einleit. in d. N. T. Th.* 1. p. 134. Sed huic coniecturae vel aduerfantur ea, quae Act. 8, 25. leguntur. Per longius tempus Hierofolymis et in vicinia huius vrbis vixit. Cum enim Paulus fecunda vice profectus effet Hierofolymam (de primo itinere fermo eft Gal. 1, 18. coll. Act. 9, 27.), v. Gal. 2, 1 fs. coll. Act. 11, 27 fqq. quod fecundum iter fufcepit elapfis quatuordecim poft conuerfionem fuam annis, v. *Keilius* de definiendo tempore itineris Pauli Hierofoly-

nam regionem, ea mortua, Iohannes ſe contulerit, definiri nequit, eum varias exteras, longiusque remotas regiones peragraſſe, haud improbabile eſt. Hoc autem certum videtur, eum a. LVIII. i. LIX. p. C. N. nondum fuiſſe Epheſi, cum eius Act. 20, 17. vbi narratur Paulum Epheſi presbyteros conueniſſe, nulla mentio facta ſit. Haud dubie poſt Petri et Pauli demum mortem, poſt a. LXVII., id quod et Irenaeus adu. haer. 3, 3. confirmat, Aſiam minorem transgreſſus, ſtabilem ſedem Epheſi fixit. Parum enim probabile eſt, Paulum, qui fundamentum alieno aedificio ſuperſtruere detrectaret, v. Rom. 15, 20. tam diu commoratum fuiſſe Epheſi et in Aſia minori, ſi Iohannes iam ante ipſius aduentum eccleſias ibi collegiſſet et curaſſet. Veroſimile igitur eſt, Iohannem ſerius in Aſia minori degiſſe, vbi ſeptem vrbium eccleſias, Smyrnenſem, Pergamenſem, Thyatirenſem, Sardenſem, Philadelphienſem, Laodicenſem, praecipue vero Epheſinam eccleſiam rexit, v. Apoc. c. 2. 3.

---

mitani Gal. 2, 12. commemorati, Lipſ. 1798. 4. coll. *Gableri Neueſt. theol. Journ. B.* 2. p. 215. ſqq., Iohannes adhuc Hieroſolymis commorabatur, v. Gal. 2, 11. Cum vero Paulus tertium iter Hieroſolymam ſuſcepiſſet, an p. C. N. circiter L. vel LI. Iohannem non amplius ibi egiſſe, colligi poteſt ex Act. 15, 1 ſqq. Iohannes enim ibi non memoratur, nec ſerius Iohannem Paulus Hieroſolymis reperit. v. Act. 21, 18. cf. *Wegſcheiderus* l. c. p. 34. et *Bertholdti* Veroſimilia de origine Euangelii Iohannis. Erlang. 1805. p. 16.

Iohannem in insulam Patmum, inter Sporadas olim numeratam [8]), relegatum fuisse, ex idoneis auctoribus constat, docet etiam locus Apoc. 1, 9. sed de tempore relegationis diuersa tradunt. Ac Epiphanius quidem haeres. 51, 33. iam *Claudio* regnante, intra a. XLI — LIII. Iohannem in illam insulam exsulatum abiisse, ibique Apocalypsin scripsisse affirmat: αὐτοῦ δὲ προφητεύσαντος ἐν χρόνοις Κλαυδίου Καίσαρος ἀνωτάτω, ὅτε εἰς τὸν Πάτμον νῆσον ὑπῆρξεν· e Patmo, eodem Claudio regnante, eum rediisse, tradit 51, 12. Huic vero Epiphanii testimonio plura obstant. Etenim Epiphanius, qui solus contra antiquiorum scriptorum fidem hanc sententiam tuetur, pro teste idoneo et locuplete haberi nequit, idque non tantum ob aetatem recentiorem, sed etiam quia, vt recte monuit *Lampius* Comment. in Ioh. T. 1. p. 17., turbatissima eius vel hoc ipso in facto est chronologia [9]). Praeterea nullum vestigium persecutionis Christianorum, regnante Claudio, in illorum temporum historia deprehenditur. Iudaei quidem iussu Claudii Romam relinquere cogebantur, neque tamen ad alios, quam ad Iudaeos Romae degentes, illud edictum a Suetonio memoratum pertinebat, Chri-

---

8) Vid. Plinii H. N. 4, 12. Strabo Lib. 10. p. m. 747. Eustathius ad Dionys. Perieg. v. 350. hodie *Patino* s. *Palmosa* illa insula dicitur. v. *Tournefort Voyage du Levant.* T. 1. p. 168.

9) Iohannem *grandaeuum*, regnante *Claudio*, de exsilio reuocatum, Euangelium conscripsisse contendit haer. 51. §. 12. T. 1. p. 434. v. *Wegscheider* l. c. p. 196.

ſtianos non ſpectabat. Nemo patrum Claudium inter perſecutores Chriſtianorum numerauit. Neroni omnes primas partes dant. Iohannes Epheſi degens, vt veteres tradunt, v. *Eichhornii Einl. Th.* 2. p. 107. inde in inſulam Patmum relegatus eſt, eum autem iam Claudii tempore Epheſi commoratum eſſe, probari nequit. v. *Lampius* l. c. *Wegſcheider* l. c. p. 46 ſq. Pleroſque mouit Irenaei auctoritas, vt ſtatuerent, a *Domitiano* exilio affectum fuiſſe Iohannem [10]). Lo-

---

10) Iohannem iter Romam ſuscepiſſe, ibique Domitiani iuſſu, in vas feruenti oleo plenum immerſum, ſed incolumem inde prodiiſſe, atque tum in inſulam Patmum relegatum fuiſſe, vetus traditio eſt. Auctor huius traditionis eſt Tertullianus de praeſcriptionibus haeretic. c. 36. verba eius ſunt: *habes Romam — vbi Apoſtolus Iohannes, poſteaquam in oleum igneum immerſus, nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.* Tertullianum ſecuti ſunt auctor fragmentorum Polycarpo adſcriptorum, et Hieronymus. Ille ait: *legitur et in dolio feruentis olei pro nomine Chriſti beatus Iohannes fuiſſe demerſus.* Hieronymus autem Lib. 1. adu. Iouinian. c. 14. ſcribit: *refert Tertullianus, quod a Nerone* (pro *Nerone* alii legendum eſſe praecipiunt *Romae*, alii memoria lapſum eſſe Hieronymum contendunt, v. *Lampius* l. c. p. 55.) *miſſus in feruentis olei dolium, purior et vegetior exierit, quam intrauerit.* Eum puriorem et vegetiorem exiiſſe, de ſuo Hieronymus adiecit. Hanc autem omnem traditionem, meram fabulam eſſe, argumentis ſat grauibus plures docuerunt, inprimis *Heumanus* in Biblioth. Brem. T. 3. p. 316. T. 4. p. 935. et in Poecile T. I. Lib. 1. p. 47 ſs. add. *Lampius* p. 57 ſq. Erat hoc ſupplicii genus inauditum, et ipſa perſecutio Domitiana, comparata cum aliis, admodum modica fuit, et potiſſimum intra ex-

cus Irenaei adu. haer. 5, 30. coll. Euſeb. H. E. 3, 18. ita ſe habet: ἡμεῖς οὐκ ἀποκινδυνεύομεν περὶ τοῦ ὀνόματος τοῦ ἀντιχρίστου ἀναφαινόμενοι βεβαιωτικῶς· εἰ γὰρ ἔδει ἀναφανδὸν ἐν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα τοῦτο, δι᾽ ἐκείνου ἂν ἐῤῥέθη τοῦ καὶ τὴν Ἀποκάλυψιν ἑωρακότος. Οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τὸ τέλος Δομετιανοῦ ἀρχῆς. Irenaeus quidem l. l. nullam exilii Iohannis mentionem fecit, attamen memorauit τὴν ἀποκάλυψιν, quam contigiſſe Apoſtolo in inſula Patmo locus Apoc. 1, 9. docet; iam ſi ad τὴν ἀποκάλυψιν refertur verbum ἑωράθη, omnino ex Irenaei verbis colligi poteſt, ſub Domitiano in inſula Patmo Iohannem vixiſſe. Verum enimuero, ne dicam Irenaeum, qui centum fere annis poſt Domitianum ſcripſit, facile errare potuiſſe in conſtituendo exilii tempore, v. *Wegſcheider* l. c. p. 45. ſenſus

---

ſilia ſubſtitit. Non niſi Tertullianus, teſtis produci poteſt. Silentio praeteriit hanc rem Euſebius in Demonſtr. Euang. L. 3. c. 5. vbi tamen in eo occupatus eſt, vt ex profeſſo paſſiones et martyria Apoſtolorum et ipſius Iohannis recenſeat. Nihil tamen ibi aliud quam hoc attulit: καὶ Πέτρος δὲ ἐπὶ Ῥώμης κατὰ κεφαλῆς (capite in terram verſo) σταυροῦται, Παῦλος τε ἀποτέμνεται, Ἰωάννης τε νήσῳ παραδίδοται. Nota autem eſt Tertulliani in arripiendis fabellis anilibus facilitas et credulitas, veriſſimeque de eo *Baronius* ad a. C. 201. ita iudicauit: *in credendo magna erat animi facilitate praeditus, adeo, vt quaecunque muliercula ſe aliquid ſecundum viſum accipere diceret, mox tantam illi praeſtaret fidem, vt cum alioquin eruditiſſimus eſſet, omnem illi poſthaberet doctrinarum veritatem.*

verborum Irenaei, vt ſcienter animaduertit *Keilius* ad *Fabricii* Biblioth. Gr. T. 4. p. 788. ed. *Harleſii*, non eſt adeo apertus, vt ex iis perſpicue intelligi poſſit, quod plerique inde probare voluerunt. Etenim non neceſſe eſt, vt ἑωράθη referatur ad ἀποκάλυψιν a Iohanne viſam, imo verbum ἑωράθη non incommode referri poteſt ad Iohannem ipſum, qui ſub finem imperii Domitiani adhuc conſpectus fuerit, vel doctoris perſonam geſſerit, v. *Wetſtenius* in N. T. Vol. 2. p. 746. Quodſi verum eſt, quod plerique interpretes non ſine magna probabilitatis ſpecie defenderunt, Iohannem Apocalypſin multo prius quam Euangelium, et quidem ante excidium Hieroſolymorum ſcripſiſſe; ſi verum eſt, quod *Storrius* in *Repertorium für bibl. u. morgenl. Literat.* Th. 14. p. 177. oſtendere ſtuduit Irenaeum ipſum iudicaſſe, Apocalypſin ab Apoſtolo multo prius quam Euangelium eſſe ſcriptam: non poteſt ea verborum Irenaei explicatio, quam Euſebius [11]) cum aliis ſecutus eſt, locum

---

11) Euſebius in Chronico ad a 14. Domitiani: Ἰωάννην τὸν θεόλογον ἀπόστολον ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ περιώρισεν, ἔνθα τὴν ἀποκάλυψιν ἑώρακεν, ὡς ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος φησί. Etiam Hieronymus de ſcript. Eccleſ. c. 10. ſcribit: *Quarto decimo anno ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouente Domitiano in Patmum inſulam relegatus ſcripſit Apocalypſin.* Id. ib. *interfecto Domitiano et actis eius ob nimiam crudelitatem a ſenatu reſciſſis, ſub Nerua principe redit Epheſum.* Alios, qui hanc ſententiam, Domitianum fuiſſe exilii Iohannis auctorem, defenderunt, laudarunt *Suicerus* in Theſ. Eccl. p. 1470. *Lampius* in Prolegg. T. 1. p. 71 ſqq. *Fabricius* et *Keilius* l. c. p. 789.

habere, adeoque probari nequit Iohannem ſub Domitiano relegatum fuiſſe. — A *Nerone*, poſt Claudium imperante, Iohannem exilio mulctatum fuiſſe, teſtantur Theophylactus, in Prooemio in Ioh. Eu. (v. *Millii* N. T. p. 199.), verſio Syriaca, in qua adſcriptum extat: *Reuelatio quae fuit Iohanni Euangeliſtae, in inſula Patmo, cum in illam iniectus fuiſſet a Nerone Caeſare* (v. *Stephani le Moyne* Var. Sacr. p. 1019 ſq.), Arethas, qui, vt probabile eſt, ſec. VI. commentarium in Apocalypſin conſcripſit, eamque ante excidium vrbis Iudaeorum a Iohanne literis conſignatam eſſe contendit (v. *Caue* hiſt. lit. ſcript. Eccl. T. 1. p. 520.), et Hippolytus Thebanus, ſeculi X. ſcriptor (v. *Caue* l. c. T. 2. p. 96). cf. *Bertholdt.* l. c. p. 19. *Wegſcheider.* l. c. p. 47. ſq. Atque haec quidem ſententia, quamquam non adeo multis teſtimoniis nititur, vt illa, quae ad Domitiani aetatem Iohannis exilium refert, maxime tamen probabilis eſt. Etenim Apocalypſin ante euerſionem ciuitatis Iudaeorum conſcriptam eſſe, cum Iohannes iam aliquamdiu inter Graecos commoratus eſſet, argumenta interna ſatis dilucide docent: *a*) Ipſa oratio Graeca haud polita et comta, imo paſſim vitioſa, concitatius dicendi genus, imagines, ornatus poeticus, ſcriptorem minus exercitatum oſtendunt, et iuuenilem aetatem produnt, in qua vis phantaſiae acris et viuida eſſe ſolet. Quod vero Euangelium attinet, oratio Graeca cultior, et ipſa narrandi ratio ſatis aperte docent, auctorem iam per longius tempus inter Graecos vixiſſe, atque in ſenili aetate hoc opus eſſe con-

fectum. *b*) Quae Apoc. c. 11. in euerfione Hierofolymorum euenifse leguntur, in vrbis illius euerfione non euenerunt, vnde vel propterea parum probabile eft, euerfa demum Hierofolyma Iohannem Apocalypfeos librum fcripfiffe. *c*) Septem reges Apoc. 17, 9. commemorantur, quinque, fcribit ibi auctor, imperio deceflerunt, vnus adhuc regnat. Sermo eft de imperio et ciuitate Romanorum. Iulius Caefar a fcriptoribus Romanis annumerari folet imperatoribus. Quodfi ergo quinque reges f. imperatores ita numerantur: Iulius Caefar, Auguftus, Tiberius, Caligula, Claudius; neceffe eft, vt per imperatorem tunc temporis ad imperii Romani gubernacula fedentem, intelligatur Nero, atque hac interpretatione admiffa, negari nequit, Iohannem a Nerone fuiffe relegatum, eoque imperante Apocalypfin ei contigiffe [12]). conf. *Storrius* in *neue Apologie d. Offenbarung* p. 266 f. 273. *Keilius* ad Fabric. l. c. p. 788. a. *Langius die Schriften Johannes überf. u. erklärt*, Th.

---

12) Omnino de tempore exilii Iohannis nil certi tenuiffe videntur fcriptores veteres, quare et Origenes tantum memorat, Iohannem ab imperatore relegatum effe Comment. in Matth. p. 417. ed. *Huet.* ὁ δὲ Ῥωμαίων βασιλεὺς, ὡς ἡ παράδοσις διδάσκει, κατεδίκασε τὸν Ἰωάννην μαρτυροῦντα διὰ τὸν τῆς ἀληθείας λόγον εἰς Πάτμον τὴν νῆσον. Pro lubitu ergo fcriptores illi modo hunc, modo illum imperatorem, auctorem exilii Iohannis nominabant, cumque haud defint argumenta fatis idonea, quae tueantur eorum fcriptorum fententiam, qui Apoftolum a Nerone exilio mulctatum effe contendunt; haec ipfa fententia reliquis praeferenda videtur.

1. p. 42 sqq. *Michaelis Einleitung in d. N. T.* Th. 2. p. 1625. *Haenleinius* in *Einleit.* Th. 1. p. 240 sq. *Schmidtius Einleit.* Th. 2. p. 5 sqq. *Wegscheiderus Einleit. in d. Ev. Ioh.* p. 199.

De exilio Iohannes reuocatus, per longam annorum seriem Ephesinam aliasque Asiae ecclesias gubernauit, et in re christiana tuenda atque adaugenda omne reliquum vitae tempus consumsit. v. Clemens Alex. ap. Euseb. H. E. 3, 23. Mortuus est Iohannes Ephesi, vt Origenes ap. Eusebium H. E. 3, 1. c. 31. 5, 24., et Hieronymus de script. eccl. 9. testantur. Quonam autem aetatis anno discesserit, dissentiunt scriptores veteres. Omnes fere, excepto vno Isidoro Hispalensi, (qui anno aetatis LXXXIX. Iohannem mortuum esse tradit) eum nonagenario maiorem, imperante Traiano placida morte obiisse credunt, sed in decernendo Traiani anno, Iohannis emortuali, non conueniunt. Sententias varias congesserunt *Lampius* l. c. p. 93 sqq. *Wegscheiderus* l. c. p. 59 sqq.

§. 2. *De authentia Commentariorum Iohannis.*

Genuinum, et a Iohanne profectum esse Euangelium, quod eius nomen prae se fert, argumentis tam *internis*, quam *externis* et multis et grauibus demonstrari potest. Scilicet quae in hoc libro notata leguntur de reipublicae Iudaeorum Romanorumque, Christi aetate, forma, de situ locorum, de moribus et opinionibus Iudaeis propriis atque solennibus, ea (vt ex aliis libris gentilium, Iudaeorum et christianorum, qui iisdem de rebus agunt, vel eas attingunt, constat) aperte docent, scriptorem fuisse Palaestinen-

ſem, et illo ipſo tempore, quod deſcripſit, nempe ſeculo primo, vixiſſe. Haud leue argumentum pro libri authentia inde etiam repetitur, quod in ſingulis narrationibus, quae in hoc ipſo libro leguntur, haud raro locus et tempus accuratius conſtituuntur, quam id a reliquis Euangeliſtis factum eſt, et varii generis περιςάσεις ab illis omiſſae afferuntur; vnde colligitur, ſcriptorem fuiſſe teſtem oculatum, fuiſſe Iohannem, diſcipulum Ieſu familiariſſimum, comitemque perpetuum. Recte quoque prouocatur ad ſermones illos, quos auctor c. XIV — XVII. Chriſtum cum diſcipulis ſuis paulo ante mortem ſuam habuiſſe refert, adeo enim praeclare ſummum, quo Chriſtus in Deum ferebatur, pietatis ſenſum, animi eius excelſam magnitudinem et conſtantiam, amorem, quo diſcipulos amplectebatur, tenerrimum, ſermones illi exprimunt, vt ex Chriſti ipſius ore haec omnia audiviſſe ſcriptorem, aequus libri arbiter quiuis facile ſibi perſuadeat. Ipſa vero etiam ſcriptoris oratio non abhorret a reliquorum ſcriptorum N. T. dictione, et conſpirat cum ea, quae in Iohannis Epiſtola prima, de cuius authentia nemo dubitauit, reperitur. In vtroque enim ſcripto occurrunt eaedem fere formulae ſolennes, crebrae earundem rerum et verborum repetitiones, abstracta ſaepius poſita pro concretis, enunciationes affirmantes et negantes crebrius coniunctae, idem omnino in Euangelio et Epiſtola dicendi color deprehenditur[13]), nec tantum idem di-

13) Vid. *Stronckii* Spec. de doctrina et dictione Iohannis Ap. ad Ieſu magiſtri doctrinam dictionemque exacte com-

cendi color, sed eadem etiam argumentandi ratio, eadem doctrinae summa. Quantopere vero discrepant libri Apocryphi N. T. quoad argumentum, dicendi scribendique rationem, ab Euangelio quod Iohannis nomen prae se fert! Vnde adeo accurate didicisset serioris aetatis impostor dictionem Hebraeograecam, qua a seculo secundo nullus scriptorum christianorum vsus est? qui euitare potuisset, vt nullum, ne leuissimum quidem, serioris aetatis vestigium in libro ipso deprehenderetur? Longe aliter quoque disputasset aetatis serioris scriptor, de sublimiori illa et arctissima Christi cum Deo coniunctione, quam id ab Euangelii auctore factum est. Interna ergo argumenta sat clare docent, hoc Euangelium non esse libris spuriis et suppositiciis annumerandum, sed Iohanni auctori tribuendum. Conf. omnino hanc in rem *Michaelis Einleitung*, *Th.* 1. p. 50. *Wegscheiderus* l. c. p. 127 ss. *Schmidtius* in *Einleit. Th.* 1. p. 155. *Haenleinii Einleit. Th.* 3. p. 206. *Glaseri* Diss. de Ioh. Apost. Euangelii quod eius nomen prae se fert vero auctore (Helmst. 1806. 4.) p. 22 ss. et *Eichhornii Einl. Th.* 2. p. 224 ss.

Ad haec argumenta interna accedunt quoque plura et varii generis argumenta *externa*. Ea quod attinet, primo loco α) nominandi sunt doctores ecclesiae, qui seculo II. et III. vixerunt, qui Iohanni hoc

---

posita, Trai. ad Rhen. 1797. p. 131 ss. *Schulzius* der schriftstellerische Character und Werth des Iohannes, (Lips. 1803.) p. 62 ss.

Euangelium adiudicarunt, dum modo addito, modo ſuppreſſo Apoſtoli nomine verba et ſententias ex commentariis ipſius in ſcriptis ſuis laudarunt. *Iuſtinus Martyr*, qui a. C. 140. inclaruit (v. *Caue* Scriptt. Eccleſ. T. 1. p. 60.) in Apologia ſecunda et Dial. c. Tryph. paſſim locos Iohanneos laudauit, vt 1, 14. *υἱὸς ὁ Λόγος ἐςὶν, ὃς τίνα τρόπον σαρκοποιηθεὶς ἄνθρωπος γέγονεν κ. τ. λ.* Apol. 2. p. 74. porro 1, 20. 23. *πρὸς οὓς καὶ αὐτὸς ἐβόα· οὐκ εἰμὶ ὁ Χριςὸς, ἀλλὰ φωνὴ βοῶντος*, Dial. c. Tryph. p. 316. praeterea 3, 3. 5. *ὁ Χριςὸς εἶπεν· ἂν μὴ ἀναγεννηθῆτε, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν*, Apol. 2. p. 94. etiam in Dial. c. Tryph. p. 3*9 ſs. vbi de ſerpente aeneo, ſymbolo crucis, verba fecit, coll. Ioh. 3, 14. ſqq. v. *Paulus* in *Exeget. kritiſch. Abhandl.* Tubing. 1784. p. 27 ſq. *Süſkindius* in *Magazin für bibl. Dogm. u Moral*, St. 11. p. 76. *Wegſcheiderus* l. c. p. 114. — *Theophilus Antiochenus* (a. 169 clarus, v. Euſeb. H. E. 4, 20. *Caue* l. c. p. 69.) ad Autolyc. L. 3. c. 22. Iohannem diſerte Euangelii auctorem nominauit, et locos quosdam e cap. I. attulit, *ὅθεν*, inquit, *διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἅγιαι γραφαὶ, καὶ πάντες οἱ πνευματοφόροι, ἐξ ὧν Ἰωάννης λέγει· ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος· καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν κ. τ. λ.* — *Irenaeus*, Lugdunenſis eccleſiae epiſcopus a. 177—202. cuius perſuaſio de authentia Euangelii Iohannis teſtimonio eccleſiae Smyrnenſis et Epheſinae, atque praeceptoris Polycarpi, Iohannis diſcipuli, nitebatur, v. Iren. 3, 3. cf. *Süſkindius*, *aus welchen Gründen nahm Irenaeus die Aecht-*

heit unserer vier Evangg. an? in *I. F. Flatti Magazin für christl. Dogm. u. Moral*, St. 6. p. 128 sqq. plures locos commentariorum Iohannis attulit adu. haer. 3, 11 et 3, 1. postquam de Matth. Marci et Lucae commentariis verba fecit, scribit: ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον, ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων. — *Clemens Alexandrinus* (qui floruit ab a. 192. v. *Caue* l. c. p. 88.) apud Euseb. H. E. 6, 14. τὸν μέντοι Ἰωάννην ἔσχατον συνιδόντα, ὅτι τὰ σωματικὰ ἐν τοῖς Εὐαγγελίοις δεδήλωται· προτραπέντα ὑπὸ τῶν γνωρίμων, πνεύματι θεοφορηθέντα, πνευματικὸν ποιῆσαι Εὐαγγέλιον· τοσαῦτα ὁ Κλήμης. Crebrius locos Euangelii Iohannis, omisso auctoris nomine, laudauit Ioh. 10, 11. Strom. Lib. 1. p. 351. ed. *Sylb.* Ioh. 20, 29. Stromat. L. 2. p. 362. Ioh. 15, 11. 12. Strom. L. 2. p. 391. al. *Tertullianus* (a. 192 — 211.) de Euangelio Iohannis scribit adu. Marcion. L. 4. c. 5. *auctoritas ecclesiarum Apostolicarum caeteris quoque patrocinabitur Euangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Iohannis dico et Matthaei.* add. adu. Marc. L. 4. c. 2. — *Origenes* (Alexandriae natus a. 185. v. *Caue* l. c. p. 112.), inter veteres eccl. doctores eruditissimus, qui neutiquam praecipitare solebat iudicium in agnoscenda librorum sacrorum auctoritate canonica, quatuor nostra Euangelia dixit μόνα ἀναντίῤῥητα ἐν τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν ἐκκλησίᾳ ap. Euseb. H. E. 6, 25. et commentarium in Euangelium Iohannis scripsit, cuius tamen maxima pars iniuria temporis periit.

v. Euſeb. H. E, 6, 24. *Schröckhii Kirchengeſch* B. 4. p. 77 ſqq. — *Euſebius* nat. a. 264. denat. 340.), grauiſſimus et fideliſſimus rerum chriſtianarum enarrator (v. *Süſkind.* in *Flatti Magazin* etc. St. 8. p. 27.), Iohannis Euangelium τοῖς ὁμολογουμένοις annumerat H. E. 3, 25. cf. de Euſebii canone *Schmidtius* in *Henkii Magazin für Religionsphiloſ.* B. 5. St. 3. Helmſt. 1796. p. 451. *C. C. Flattus üb. den Kanon des Euſebius*, in *I. F. Flatti Magazin*, Tub. 1802. St. 7. p. 227 ſqq. et *Vogelius* in Commentat. de canone Euſebiano, P. 1. Erlang. 1809. 4. — Veteres igitur eccleſiae doctores, cum cauti eſſent et prouidi rerum chriſtianarum inueſtigatores, neque iudicium praecipitarent in recipiendis eiusmodi libris, quorum auctoritati et fidei a nonnullis contradici viderent (v. *Süſkindius* in *Flatti Magazin*, St. 9. p. 1. ſqq.), cum etiam plerorumque aetas ad ea tempora proxime aut propius accedat, quibus Iohannis Euangelium in lucem editum fuit, vt adeo facile auctorem, originem libri indagare, atque iudicium ſuum hac de re ferre potuerint; nemo facile negabit, plurimum ponderis eorum ſententiam habere, et in grauitate iudicii, quod de auctoritate commentariorum Iohannis canonica tulerunt, acquieſcendum eſſe.

β) Ad comprobandam Euangelii Iohannei αὐθεντίαν, in medium quoque adducendus eſt *Heracleon*, Gnoſticus, Valentini diſcipulus, ſaltem eius amicus [14]), qui ſeculo II., a. fere 126. floruit, et in

14) Clemens Alex. Strom. Lib. 4. p. 502. ὁ τῆς Οὐαλεντίνου σχολῆς δοκιμώτατος. Origenes Comment. in Ioh. p. 60. ὁ Οὐαλεντίνου γνώριμος.

Aegypto, vt perquam probabile eſt [15]), commentarium Graecum in Euangelium Iohannis ſcripſit, cuius commentarii particulas bene multas, ab Origene ſeruatas, collegit *Grabius* in Spicileg. Patr. T. 2 p. 85 ſqq. Ex huius commentarii fragmentis perſpicitur, quam multum opere conſumſerit Heracleon, in conciliandis decretis ſuis cum effatis atque ſententiis in Euangelio Iohannis obuiis. Num vero eum id tanto ſtudio acturum fuiſſe putabimus, niſi iam illo tempore Iohannis Euangelium peruulgatum fuiſſet? Facit quoque ad Euangelii integritatem confirmandam Montaniſtarum haereſis, quae ſeculo II. inualuit. Quae enim *Montaniſtae*, de Paracleto, non Apoſtolis tantum, ſed et aliis chriſtianis promiſſo, delirabant, ea e locis Euangelii Iohannis, in quibus Paracleti a Chriſto promiſſi mentio fit, probare conabantur. Si illo tempore de authentia huius Euangelii non conſtitiſſet, nae Montaniſtarum aduerſarii hoc Euangelium non admiſiſſent, quin et nonnulli eorum hanc ipſam ob cauſſam illud ſpernebant et reiiciebant, teſte Irenaeo adu. haer. 3, 11. 9. Alexandrini vero, acerrimi Montaniſtarum aduerſarii, integritatem illius agnoſcebant. v. *Schmidtius* l. c. p. 28. 139. *Wegſcheiderus* p. 133. *Eichhornius* p. 231. Seculo igitur ſecundo exeunte, vt ex iis, quae hactenus disputauimus, conſequitur, ab eccleſia catholica Euangelii Iohannei authentia agnita eſt.

---

15) Vid. *Schmidtii Einleit.* Th. 1. p. 137 ſq. *Wegſcheiderus* l. c. p. 97. *Eichhornius* in *Einleit.* Th. 2. p. 229 ſq.

γ) Commemorantur quoque ad confirmandam commentariorum Iohannis auctoritatem, religionis chriſtianae aduerſarii, *Celſus*, *Porphyrius*, et *Iulianus*, qui Euangelia a Chriſti diſcipulis conſcripta eſſe concedebant, ſed argumentum illorum impugnabant, atque ea interpolata eſſe contendebant, vnde et Chryſoſtomus Homil. 6. in ep. 1. ad Corinth. animaduertit, Celſum et Porphyrium grauiſſimos eſſe auctoritatis librorum ſacrorum teſtes, cum non contradixiſſent iis, quae his in libris leguntur, niſi libri, aetate ipſorum, extitiſſent. Contra Celſum, qui medio ſec. II. vixit, Origenes octo libros conſcripſit, atque referuauit nobis fragmenta ex Celſi opere, ἀληθὴς λόγος inſcripto. Effata in Iohannis Euangelio occurrentia, a Celſo improbata, plura Origenes attulit, v. c. contra Celſ. 2. c. 31. c. 36. conf. et *Lardnerus* in Opere inſcripto, A large collection of ancient jewiſh and heathen teſtimonies to the truth of the Chriſtian religion, Lond. 1764-67. Voll. IV. — *Porphyrius*, ſagaciſſimus rei chriſtianae aduerſarius, natus a. C. 233. vt e fragmentis librorum illius, quae ad noſtra peruenerunt tempora, conſtat, v. *Millius* in Prolegg. §. 702. 703. *Lardnerus* l. c. argumentis criticis et dogmaticis varios locos librorum ſacrorum, etiam Euangelii Iohannis impugnauit [16]), non autem au-

---

16) Vid. Theophylactus in Comment. in Eu. Ioh. p. 558. A. — *Hieronymus* adu. Pelagian. L. 2. coll. Ioh. 7. 8. *Negat fratribus et propinquis ire ſe ad ſcenopegiam et poſtea ſcriptum eſt: vt autem aſcenderunt fratres eius, tunc et ipſe aſcendit ad ſolemnitatem* — „*iturum ſe negauit et ſe-*

thentian libri in dubium vocauit. v. *Wegſcheiderus* l. c. p. 148 ſqq. — *Iulianus* Apoſtata, natus a. C. 331. (v. *Caue* l. c. T. 1. p. 346.) ſeptem libros [17]) aduerſus religionem chriſtianam conſcripſit, e quibus fragmenta ſeruauit Cyrillus. Patet ex libellorum Iuliani reliquiis, eum neutiquam dubitaſſe de librorum ſacrorum authentia; laudat ſcripta Matthaei, Marci, Lucae, Iohannis, Pauli et Petri, ex iisque obiectiones aduerſus religionem chriſtianam repetit. v. *Krebſii* Proluſ. de argumentis pro veritate et praeſtantia religionis chriſtian. e Iuliani reliquiis, inſerta Opuſc. Academ. et ſcholaſt. p. 325. *Henkii* Comment. de theologia Iuliani 1777. 4.

Quamquam autem tam multa et grauia, cum interna tum externa argumenta proferri poſſunt, quibus demonſtretur, Euangelium Iohannis genuinum eſſe, nihilominus tamen extiterunt nuper nonnulli, qui, capti atque decepti nouitatis cuiusdam cupiditate et gloria, hoc Euangelium nomine et auctoritate Iohannis priuare conarentur. *1) Anonymus, der Evangeliſt Iohannes und ſeine Ausleger vor dem jüngſten Gericht, Th.* 1, 1801. *Th.* 2. 1804. contendit, Iudaeo-chriſtianum, in Aſia minore, aut Alexandriae hoc Euangelium conſcribillaſſe. *2) Horſtius, läſst ſich die Aechtheit des Iohanneiſchen Evangeliums aus hin-*

---

cit, quod prius negauerat," *latrat Porphyrius; inconſtantiae et mutationis accuſat.*

17) *Hieronymus* ep. 83. T. 4. p. 655. *Iulianus Auguſtus ſeptem libros in expeditione Parthica aduerſus Chriſtum euomuit.* Cyrillo tres tantum noti erant.

länglichen Gründen bezweifeln, und welches ist der wahrscheinliche Vrsprung dieser Schrift, in *Henkii Museum für Religionswissensch.* B. 1. p. 47 ss. Idem, *üb. einige anscheinende Widersprüche in dem Ev. Ioh. in Absicht auf den Logos od. das Höhere in Christo* ib. p. 20 ss. opinatur, Euangelium hoc ab ignoto quodam homine, Alexandriae, sec. I. exeunte, aut sec. II. ineunte, qui diuersis fontibus vteretur, fuisse conscriptum. Fingit *Polycarpum*, cum medio fere sec. II. Romam venisset, consilia contulisse cum *Aniceto* Episcopo, de componenda pace inter christianos e Iudaeis et e gentibus conuersis. Forte Romam ante aliquod tempus allatum fuisse ab aliquo homine Alexandrino libellum, Iohannis Apostoli nomen praeferentem, eo consilio compositum, vt ea quae Paulus, Apostolus τῶν ἐξ ἀκροβυστίας, de diuina Christi natura docuerat, testimonio eius discipuli firmarentur, quem non solum τοῖς ἐκ περιτομῆς fauisse, sed etiam magistro suo dilectissimum fuisse constaret. Hoc libro perlecto, cum argumentum vtriusque consilio apprime respondere videretur, ac dictio insuper Gnosticis mirifice placens in eo libro deprehenderetur, *Polycarpum* in Asiam secum hunc librum attulisse, et coetibus Orientis, *Anicetum* Occidentis coetibus eum commendasse tanquam genuinum Iohannis scriptum, vtque mox pro tali haberetur, facile vtriusque auctoritate effectum esse [18]). *3) Cludius Vran-*

---

18) Apposite *Griethuysenus* l. c. p. 63. : „Quot verba, tot fere fabulae. *Polycarpum* enim cum *Aniceto* de vnien-

ſichten des Chriſtenthums nebſt Vnterſuchungen über einige Bücher des N. T. Altona 1808. 8. autumat, Euangelium noſtrum a Iudaeo-chriſtiano conſcriptum, poſtea autem a Gnoſtico et Chriſtiano iudaizante interpolatum fuiſſe. Sed ab initio vsque ad finem

---

dis ἐκκλησίαις transegiſſe, et nemo veterum teſtatus eſt, et caret omni veri ſpecie. Ad componendum de feſti Paſchalis tempore disſidium, Romam venerat Polycarpus. De aliis quidem rebus eos ſermones quoque contuliſſe, et veriſimile eſt, et Euſeb. H. E. 5, 24. affirmat, ſed idem addit, de iis non conueniſſe inter hos viros. Id quod et de ipſa re, cuius cauſſa Polycarpus moleſtum iter ſuſceperat, notum eſt. Quodſi vero in tam leui cauſſa ſententiis disſederint, quis tandem credat, eos vnanimi conſenſu *Catholiciſmi* fundatores extitiſſe? Quid quod communi conſilio hunc in finem libello vſi fuiſſent, neque Hierarchiae fauente, et ex hypotheſi, ita comparato, vt diuerſis ſectis ad ſpeciem ſaltem fauendo, continuarum litium et discordiae anſam praeberet! Praeterea magna quidem eorum auctoritas erat, ſed an tanta? anne eo etiam valens, vt librum prorſus ignotum, poſt 50 annos, iis ipſis tanquam Iohanneum obtrudere poſſent, in quorum vicinia ſcriptum oportuerat, quique partim Iohanne familiariter vſi fuerant? Chriſtianos enim homines, de librorum, qui Apoſtolorum nomen praeferrent, αὐθεντίᾳ minus fuiſſe ſollicitos, et gratis dicitur, et non vere. Quomodo autem eam ſibi auctoritatem conciliarant viri graues, niſi morum integritate? Hanccine igitur credibile eſt, eos ſcientes et volentes fraude et mendacio contaminaſſe, et tantum non eiuraſſe? *Polycarpum* ſane, ipſius Iohannis diſcipulum, libro ſuppoſiticio vel deceptum fuiſſe ipſum, vel aliis in gratiam Romani epiſcopi de induſtria impoſuiſſe, quis credat?"

vnus idemque cogitandi modus, eadem dicendi ſcribendique ratio deprehenditur, adeoque vnius eiusdemque ſcriptoris veſtigia vbique apparent. Contra *Anonymi* illius et *Horſtii* rationes auctoritatem Euangelii Iohannei defenderunt: 1) *Schlekerus* in *Verſuch einer Widerlegung der hauptſächlichſten Einwürfe, die in der neueſten Zeit gegen die Aechtheit des Evang. Ioh. gemacht ſind. Roſtock* 1802. coll. *Gableri Neueſt. theol. Journal.* B. 10. p. 35 ſqq. 2) *Beytrag zur Vertheidigung der Aechtheit d. Ev. Ioh. in Beziehung auf die Schrift: der Evangeliſt Ioh. u. ſeine Ausleger etc., von Süſkind,* in eiusdem *Magazin für chriſtl. Dogm. u. Moral*, St. 9. p. 1 ſqq. 3) *Noch etwas zur Vertheidigung d. Aechtheit des Ev. Ioh.*, ib. St. 11. p. 57 ſs. et *über einige anſcheinende Widerſprüche im Ev. Ioh.*, ib. p. 110 ſs. 4) *Verſuch einige Widerſprüche, welche im Ev. Ioh. zu liegen ſcheinen, exegetiſch u. pſychologiſch zu heben, von G. F. Nöldeke,* in *Henkii Muſeum für Religionsw. B. 2. St. 1.* p. 97 ſs. 5) *I. E. C. Schmidtius* in *d. Biblioth. d. neueſt. theol. u. pädagog. Literat. von Schmidt u. Schwarz.* Th. 5. p. 246 ſs. 6) *Glaſeri* Diss. de Ioh. Apoſt. Euangelii quod eius nomen prae ſe fert auctore, reſpectu recentiorum quarundam dubitationum atque criminationum, Helmſt. 1806. 4. 7) Pro Euangelii Iohannei Αὐθεντίᾳ Diss. quam — praeſide *Ioh. Clariſſe* — proponit auctor *Guil. Huibert. van Griethuyſen*, Hardervici 1806. 8. add. *Wegſcheiderus* l. c. p. 80 ſqq. et *Eichhornius* l. c. p. 239 ſqq.

Praecipuas tantum rationes ex libris illis αὐθεν-

τίαν Euangelii Iohannei impugnantibus afferamus, ad easque breuiter ſtrictimque reſpondebimus, cum iam fuſius et copioſius refutatae ſint a viris doctis, quorum ſcripta modo laudauimus. Et Auctor quidem libri: *der Evangeliſt Joh. u. ſ. Ausleger vor dem jüngſten Gericht*, (qui ſatis ſcurriliter, vtpote nouiſſimus cum ſcriberet αὐθεντίας Euangelii impugnator, judicium, quod ipſe exercuit, nouiſſimum dixit) inter alia monuit: a) „traditionis antiquae non eſſe tantam auctoritatem, vt ea valere poſſit, ad comprobandam librorum ſacrorum αὐθεντίαν, cum veteres familiae chriſtianae doctores, *Irenaeus*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, *Origenes* et *Euſebius*, haud raro etiam libros apocryphos et ſuppoſiticios pro genuinis atque diuinis habuerint.“ — Negari quidem non poteſt, doctores eccleſiae veteres interdum libros ſuppoſiticios allegaſſe, iisque auctoritatem quandam tribuiſſe, v. *Süſkindius* in *Magazin für chriſtl. Dogm. u. Moral*, St. 9. p. 5 ſqq. exinde tamen non conſequitur, eos negligentes et incautos fuiſſe veterum ſcriptorum lectores, parum valere eorum teſtimonium in comprobanda librorum N. T. authentia. Eos enim neutiquam fuiſſe negligentes veritatis inveſtigatores, etſi admiſerint nonnullos libros ſuppoſiticios, exinde patet, quoniam non omnia eiusmodi ſcripta apocrypha, quae in notitiam ipſorum venerant, tanquam genuina admittebant, imo potius plura eorum repudiabant, neque apocryphis, quae admittebant, eandem cum ὁμολογȣμένοις auctoritatem tribuebant, et diſertis quoque verbis profitebantur, ea ab aliis repudiari.

vid. *Süfkindius* l. c. p. 29 fqq. *Storrius üb. d. Zweck* etc. p. 106. *Wegfcheiderus* l. c. p. 85 fqq. Praeterea non adeo facile errare poterant in recenfione τῶν ὁμολογȣμένων quam τῶν ἀποκρύφων, quorum auctores ignoti aut incerti effent, et de quibus non conftaret, quonam loco et tempore fcripta effent. Omnes fere epiftolae in volumen librorum N. T. receptae, nomen auctoris prae fe ferebant, memorabant etiam ecclefias aut perfonas, quibus deftinatae fuerant. Peti ergo poterant teftimonia αὐθεντίας ab illis ipfis ecclefiis. Etiam quod reliqua ὁμολογȣ́μενα attinet, quae auctorem non nominabant, nec ecclefiam, cui fcriptum deftinatum fuerat, cum iam feculô II. arctior effet coetuum chriftianorum coniunctio, facile comperire poterant doctores ecclefiae, an haec fcripta a fingulis ecclefiis earumque doctoribus aeuo Apoftolico proximis admiffa et pro genuinis habita effent. Patet denique etiam ex ipfis patrum ecclefiafticorum libris, eos longe diligentius et accuratius in examen vocaffe fcripta quae ὁμολογούμενα dicuntur, quam libros apocryphos, et nonnifi argumentis hiftoricis permotos, eorum authentian agnouiffe. Omnino igitur ii libri genuini putandi funt, quibus aut omnes aut plurimi doctores veteres αὐθεντίαν vindicant, et in quibus nihil deprehenditur, quod iuftam fufpicionem moveat, eos non ab iis, quorum nomen prae fe ferunt, fed feriori aetate, effe confcriptos. Eo autem pertinet quoque Iohannis Euangelium, quod, vt fupra vidimus, patres antiquiffimi pro genuino habuerunt, quod Origenes ap. Eufeb. H. E. 6, 25. retulit ad

ἀναντίῤῥητα ἐν τῇ ὑπὸ τὸν ὀυρανὸν ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ, et in quo nihil reperitur, quod eius αὐθεντίαν ſuſpectam reddere poſſit. b) Monuit porro Anonymus ille, plures chriſtianorum ſectas Euangelium Iohannis repudiaſſe; nominatim Alogos (ſeculi III. haereticos), Gnoſticos [19]), Marcionem, Ebionitas et Nazaraeos [20]). Sed vt pluribus docuit *Süſkindius* in *Magazin* etc. St. 6. p. 104 ſs. St. 9. p. 49. add. *Flattus* in *Süſkindii Magazin* St. 11. p. 60. haeretici illi Iohannis Euangelium non reſpuebant, quod ipſis ſpurium videretur, ſed quod placitis ipſorum minus conueniret.

Similibus argumentis authentian Euangelii Iohannis impugnauit *Horſtius* l. c. Eius argumenta ſunt fere haec: א) „Marcionitae, vt ex Origenis dialogis contra Marcionitas perſpicitur, catholicis ſ. orthodoxis exprobrabant, quod Euangeliis Matthaei, Marci et Lucae nimiam auctoritatem tribuerent. Iohannis Euangelium non memoratur, vnde conſequitur, catholicis illud incognitum fuiſſe.“ Sed illis in dia-

---

19) Gnoſticos repudiaſſe Iohannis Euangelium, non probauit, nec probare potuit. Laudauit hanc in rem Tertullianum, ſed locum non attulit. Conſtat potius ex Irenaeo, aliis, Heracleonem, Valentinum, aliosque Gnoſticos Iohannis commentariis vſos fuiſſe. Iren. adu. haer. 3, 11. *hi autem*, qui a *Valentino* ſunt, *eo quod eſt ſecundum Iohannem pleniſſime vtentes, ad oſtenſionem coniugationum ſuarum* etc.

20) Vid. de iis *Eichhornii Einleit.* Th. 1. p. 14.

logis, quorum auctorem Origenem fuiſſe, quam maxime dubium eſt, loquentes inducuntur Marcionitae ſeculo III. viuentes, quo tempore Iohannis Euangelium nemini amplius ignotum eſſe poterat, id quod *Horſtius* ipſe in *Henkii Muſ.* p. 70. p. 110. concedit. Locus Origenis eſt Opp. Vol. 1. p. 806 ſqq. *Benedict.* quem *Horſtius* non inſpexiſſe videtur [21]). Ibi vero nec Euangelii Matthaei diſerte mentio facta eſt, quod tamen eo tempore incognitum fuiſſe, nemo facile dixerit. v. *Süſkindius* in *Magazin* St. 11. p. 61. eiusdem Symbolarum ad illuſtr. quaedam Euangelior. loca P. 2. Tubing. 1803. 4. p. 9 ſqq. *Griesthuyſe-*

---

21) Marcionita et Orthodoxus ibi ita loquentes inducuntur: Marcionita: *Ex ipſis Euangeliis falſa ea eſſe doceo.* Marcum *et* Lucam, *diſcipulos Chriſtus non habuit, hinc falſitatis conuincimini. Cur enim diſcipuli, quorum nomina in Euangelio ſcripta ſunt, non ſcripſerunt, ſed ii, qui non ſunt diſcipuli? Quis ergo eſt* Lucas *aut* Marcus? — *fieri non poteſt, vt iſti vnquam Paulum viderint.* Orth. *Doceo Apoſtolum ipſum Marco atque Lucae teſtimonium dicere.* Marc. *Falſo tuo Apoſtolico* fidem non *habeo.* Orth. *Propter Apoſtolicum tuum, licet maxima ex parte mutilatum ſit; tumque docebo, Marcum et Lucam Paulo operam dediſſe. — Lego Col.* 4, 13. 14. „*ſalutat vos—Marcus—ſalutat vos Lucas.*" *Vides etiam Apoſtolum ipſum teſtimonium illis dare.* Marc. *Ego aliunde Euangelia falſa eſſe demonſtro. Ait enim Apoſtolus* Euangelium vnum (Rom. 2, 16. 16, 25. Gal. 1, 7. 8. 9.), *vos autem* quatuor *dicitis. — Vnum eſſe Euangelium oſtendam.* Orthod. *Quisnam Euangelium ſcripſit, quod vnum eſſe dixiſti?* Marc. *Chriſtus.* Orth. *Num dominus ipſe ita ſcripſit: crucifixus ſum, et reſurrexi tertia die? Itane ſcribit?* Marc. *Apoſtolus Paulus addidit* etc.

nus l. c. p. 132. — ב) „*Polycarpus*, *Ignatius*, Iohannis discipuli, *Papias*, *Iustinus Martyr*, *Hegesippus*, *Dionysius Corinthius*, atque *Tatianus*, nullam Euangelii nostri mentionem fecerunt, memorassent illud, si illo tempore scriptum fuisset et genuinum habuissent, e silentio igitur eorum recte colligitur, eorum tempore illud nondum extitisse.“ Iam vero quod *Polycarpum* (a. 108.), Smyrnensium episcopum, attinet (qui serius scripsisse putandus est quam *Ignatius*, cum Ignatii martyris mortem memorarit, v. *Süskindius* in *Magaz.* p. 69.), ex eius scriptis non nisi breuis epistola Philippensibus scripta ad nostra vsque peruenit tempora, de cuius tamen authentia dubitatur, v. *Eichhornii Einl. Th.* 2. p. 128. genuinam esse putat *Schmidtius* in *Kirchengesch. Th.* 1. p. 213. Concedamus eam non esse suppositiciam, num Polycarpus in tam breui epistola, e libris ipsi cognitis omnes locos, consilio ipsius accommodatos, laudare poterat ac debebat? qui statui potest, Iohannis amicos, ex Euangelio, data occasione quauis, locos afferre debuisse? v. *Süskindius* St. 11. p. 64. Neque temeritatis est, vtor verbis *Glaseri* l. c. p. 3. supponere, *Ignatium* et *Polycarpum*, viros in literis non admodum versatos, eundem morem, quem hodie adhuc eiusmodi hominibus solennem esse videmus, secutos, atque lectionis Euangelii nostri eo minus curiosos fuisse, quod nihil, nisi quod ex orali traditione Iohannis iamiam didicerant, ex eius libro se edoctum iri, ipsis persuasum erat. — In epistolis, quas *Ignatius* a. 112. aut 116. scripsisse fertur, v. *Caua*

Script. eccl. T. 1. p. 41. quae tamen etiam ſubleſtae fidei ſunt, v. *Henkii Kirchengeſch.* Th. 1. p. 73. *Eichhornii Einleit. in d. N. Th.* 1. p. 137. coll. *Schmidtii Kirchengeſch.* Th. 1. p. 209. diſertis quidem verbis Euangelium Iohannis non laudatur, plures tamen loci occurrunt, e quibus apparere videtur, auctorem hoc Euangelium legiſſe et reſpexiſſe. Nempe in ep. ad Rom. §. 7. legitur: *ἄρτον Θεοῦ θέλω, ἄρτον οὐράνιον, ἄρτον ζωῆς, ὅς ἐςι σὰρξ Ἰησοῦ Χριςοῦ —καὶ πόμα Θεοῦ θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ,* coll. Ioh. 6, 31 ſqq. in ep. ad Philadelph. §. 7. *τὸ πνεῦμα — εἶδεν πόθεν ἔρχεται, καὶ που ὑπάγει,* coll. Ioh. 3, 8. ead. ep. §. 9. *αὐτὸς (Χριςὸς) θύρα (τοῦ πατρὸς) δι' ἧς εἰσέρχονται Ἀβραὰμ — καὶ οἱ ἀπόςολοι, καὶ ἡ ἐκκλησία,* coll. Ioh. 10, 7. 9. ep. ad Magneſ. §. 8. *Ἰησοῦ Χριςοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ (Θεοῦ) ὅς ἐςιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος,* coll. Ioh. 1, 1. Quodſi vero etiam cum *Horſtio* ſtatuere vellemus, Ignatium his in locis Iohannis Euangelium non reſpexiſſe, ſed illas ſententias ex ingenio ipſius, aut ex aliis fontibus profluxiſſe, quod vero parum probabile nobis videtur, tamen ex Ignatii ſilentio neutiquam id colligi poſſet, quod exinde *Horſtius* colligi vult, vt vel ex iis apparere putamus, quae de Polycarpi ſilentio obſeruauimus. Vnde enim probatur, Ignatium neceſſario Iohannis Euangelium laudare debuiſſe? potuiſſet; cum non fecerit, inde non ſequitur, ei hoc Euangelium ignotum fuiſſe. Innuit *Horſtius*, ad defendendam Chriſti diuinitatem ei laudandum fuiſſe Euangelium. Sed Ignatio cum Docetis quidem res

eſt, non autem cum diuinitatis Chriſti aduerſariis. Parcus omnino eſt in afferendis librorum N. T. locis. Cognita erat ei Pauli ep. ad Romanos, v. Ignat. ep. ad Epheſ. §. 15. neque tamen eius mentionem fecit in epiſtola ſua ad Romanos, etſi commode eam laudare potuiſſet, v. *Süſkindius* l. c. p. 66 ſqq. — Nec ad *Papiae* ſilentium prouocari poteſt. Ex eius quinque libris λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεως, pauca tantum, idque aliud agendo, excerpſit Euſebius H. E. 3, 39. Praeterea Papias, quem Euſebius d. l. σμικρὸν τῷ νοῒ fuiſſe perhibet, φωνὴν ζῶσαν καὶ μένουσαν traditionem ore propagatam, omnibus hiſtoriae Ieſu monumentis praeferebat. v. *Storrius* in *Flatti Magazin* St. 4. p. 245. *Süſkindius* l. c. p. 71. *Wegſcheiderus* l. c. p. 112. — *Iuſtino* in itineribus quae ſuſcepit, haud dubie Euangelii Iohannei inſpiciendi occaſio data eſt. Sed Iuſtinus nec Pauli epiſtolas, aliorumque Apoſtolorum memorat. Apocalypſeos Iohannis ſemel tantum meminit dial. c. Tryph. p. 179. ed. *Benedict.* v. *Süſkindius* l. c. p. 73. inde tamen non ſequitur, eum commentarios quoque Iohannis laudare debuiſſe. At enimuero vſus omnino eſt Iuſtinus his commentariis, id quod ſatis apparere putamus et locis init. §. hui. allatis. Sed ſententias, quae illis in locis leguntur, aliunde ſumſit, non ex Euangelio Iohannis! Audio; vnde vero? nimis diſtat color dicendi Iohanneus ab aliorum ſcriptorum vſu loquendi. Veriſſime *Erneſtius* Inſtit. Intp. N. T. P. 3. c. 1. §. 3. iudicauit: *non, quid factum ſit, hiſtoricis argumentis legitime colligere, ſed, quid fieri potuerit, temere coniicere, id vero eſt*

potius cupide optantis, quam recte et ſubtiliter docentis. — *Tatianum* legiſſe Iohannis commentarios, vel docere poteſt locus in Orat. eius contra Graecos p. 152. quem *Griethuyſenus* l. c. p. 148. attulit: anima καθ' ἑαυτὴν, ſcribit ibi, σκότος ἐστὶ, καὶ οὐδὲν ἐν αὐτῇ φωτεινόν· καὶ τοῦτο ἐστὶν ἄρα τὸ εἰρημένον· ἡ σκοτία τὸ φῶς οὐ καταλαμβάνει· et paulo poſt: πάντα ὑπ' αὐτοῦ, καὶ χωρὶς αὐτοῦ γέγονεν οὐδὲ ἕν. Praeterea eius Euangelium διὰ τεσσάρων dictum, procul dubie e quatuor Euangeliis eccleſiae catholicae compoſitum erat, adeoque etiam Iohannis commentarios continebat, vid. *Hugii Einleit. in das N. T.* Th. 1. p. 41 ſqq. *Süſkindius* l. c. p. 78 ſqq. *Eichhornii Einleit. Th.* 2. p. 231. — Ex *Hegeſippi*, ſeculo II. extr. viuentis, v. *Caue* l. c. p. 73. ſcriptis, quae interierunt, varia excerpſit Euſebius H. E. 2, 23. 3, 19. 20. 32. 4, 8. 22. quibus in excerptis nil de Iohannis Euangelio legitur, ſed neque Euſebius annotauit, Hegeſippum in ſcriptis ſuis nusquam huius Euangelii meminiſſe, et quomodo ex paucis illis excerptis colligi poteſt, eum de Iohannis commentariis nihil in ſcriptis ſuis memoraſſe? ponamus vero etiam, eum Euangelii noſtri non meminiſſe, anne ideo falſa ſunt, quae *Theophilus*, *Irenaeus*, aliique eius aequales de eo dixerunt? *Dionyſii Corinthii*, Hegeſippi aequalis, ſcripta deperdita ſunt; epiſtolas eius varias breuiter recenſuit Euſeb. H. E. 4, 23. 2, 25. neque ex illa recenſione apparet, quaenam ei occaſio fuerit laudandi Euangelii Iohannis, vel alicuius ex illo teſtimonii in medium proferendi. Cf. *Süſkindius* l. c. p. 83 ſqq. Argumen-

tum igitur *Horſtii* contra authentiam commentariorum Iohannis, a ſilentio Polycarpi, Ignatii, aliorumque, nullius plane ponderis eſſe, ex hactenus dictis ſatis apparere arbitramur. Caeterum quo facilius intelligatur, qui factum ſit, vt non plura teſtimonia αὐθεντίας Euangelii Iohannei, non plura veſtigia huius libri in ſcriptis veterum eccleſiae doctorum occurrant, tenendum eſt, vt recte viri docti monuerunt, non omnes neque plurimos Seculi I. et II. ſcriptores ad nos perueniſſe, ſed pauciſſimos tantum, atque eos plerumque mutilos; Euangelium exeunte demum Seculo I. eſſe conſcriptum, nec illo tempore codices ea celeritate in varias et disſitas regiones eſſe transmiſſos, vt noſtra aetate libri, qui e prelo prodierunt, bibliopolarum opera transmittuntur; hanc igitur ſeriorem libri originem et tardiorem promulgationem effeciſſe quoque, vt caeterorum Euangeliſtarum ſcripta maiorem auctoritatem nanciſcerentur.

3) „Euangelii auctor, qui ſuorum temporum lectores de perſona I. C. accuratius edocere, eiusque diuinam maieſtatem declarare voluit, ſibi ipſe, vt e pluribus locis perſpicitur, repugnauit, vnde patescit, Iohannem non eſſe Euangelii huius auctorem habendum, ſed hominem ignotum, qui in conſcribendo libello variis ac diuerſis fontibus vteretur. In quatuor claſſes huius generis loci distribui poſſunt: 1) pluribus in locis docetur, *moralem* tantum Chriſto cum Deo neceſſitudinem intercedere, v. Ioh. 5, 19. 3, 2. 7, 16. 29. 8, 16. 17, 8. 11. 16. 21. 18, 37. etc. 2) in aliis, *naturalem*; docetur, cum ſerua-

tore arctissime coniunctum fuisse λόγον h. e. ὑπόστασιν praeexistentem, eiusdem cum Deo patre essentiae, v. Ioh. 1, 1—14. 8, 58. 17, 5. 24. 3) nonnullis in locis Iesus doctrinae traditae, et portentorum ad eam confirmandam patratorum, felicem successum atque efficaciam, *ad ipsum Deum patrem* refert, *Patrem* in se esse et habitare profitetur, v. Ioh. 14, 9. 10. 11. 10, 30. 4) interdum λόγος nil aliud significare videtur, quam quod alibi πνεῦμα Θεοῦ vocatur, v. Ioh. 1, 32. 3, 34. his vero effatis aperte contradicunt loci 14, 16 sq. 15, 26. 16, 7 sqq. quibus πνεῦμα non est λόγος, sed singularis hypostasis." Cf. *Horstius* in *Henkii Museum* B. 1. *St.* 1. p. 20 sqq. Variis rationibus has dubitationes ab *Horstio* motas remouere studuerunt viri docti. v. *Süskindius* l. c. St. 11. p. 112 sqq. *Glaserus* l. c. p. 40. *Wegscheiderus* p. 116 ss. *Griethuysenus* p. 29 sqq. Vsi autem sunt rationibus fere his: Quod locos attinet Ioh. 5, 19. 17, 11. 16. 21. 24. 14, 20. 23. plures statuunt, eos rectius intelligi de naturali cum Deo necessitudine. v. *Storrius üb. d. Zweck* etc. p. 438. eiusd. *Lehrbuch d. christl. Dogmatik, herausgeg. v. Flatt*, p. 351 sq. Quodsi vero etiam concedatur, locos illos agere tantummodo de vnione morali, de sentiendi ac cogitandi ratione Deo simillima, in reliquis tamen locis allatis 7, 16. 29. 3, 2, 17, 8. 8, 16. 5, 36. 18, 37. 16, 28. quibus Iesus dicitur venisse, exiisse, missus esse a patre, his formulis non directe significatur moralis Christi cum Deo coniunctio. v. *Süskindius* l. c. p. 114. *Wegscheiderus* p. 121. Vtut vero sit, illi loci non sunt contrarii locis secundae et

tertiae classis. Quodsi statuitur, Iohannem vocabulum λόγος ita vsurpasse, vt respexerit Philonis et Alexandrinorum vsum loquendi, vt voluerunt *Paulus*, alii, adeoque intellexerit substantiam e Deo ante mundum conditum emanando profectam, Deo proximam, cum Iesu coniunctam, locos Cl. 1. 2. et 3. sibi neutiquam repugnare, per se intelligitur. Neque sibi repugnant, si cum *Horstio* per λόγον secundam diuinitatis personam, vt theologi loquuntur, intelligimus. Nam vbi λόγος, ibi quoque pater est; omninoque Iesus homo, qua talis, etsi cum Deo patre peculiari modo coniunctus, propter hanc ipsam coniunctionem affirmare poterat, se quoad sentiendi rationem Deo similem, ab eo missum esse, eo iubente et adiuuante doctorem prodiisse, poterat patrem μείζονα dicere Ioh. 14, 28. omnia quae ipse patrauerat ἔργα, patri tribuere Ioh. 5, 19. atque omnem qua pollebat auctoritatem, a patre deriuare. Ioh. 5, 26 sq. — Quod locos Classis 4. attinet, *Horstius* per πνεῦμα Ioh. 14, 16. 15, 16. 26, 7 sqq. singularem ὑπόστασιν, a λόγῳ diuersam, intelligendam statuit. Alii vero, quos *Horstius* non refutauit, his in locis πνεῦμα de vi diuina, qua cooperante Euangelium propagatum sit, interpretantur, alii non modo his in locis, sed etiam 1, 32. 3, 34. de vi diuina vocabulum illud explicant, atque λόγος et πνεῦμα vnum idemque significare concedunt. v. infra §. 7. ὁ λόγος. Quodsi vero etiam concedere vellemus, πνεῦμα 1, 32. 3, 34. esse synonymum vocabuli λόγος, et Ioh. 14, 16 sq. etc. singularem ὑπόστασιν a λόγῳ diuersam esse

intelligendam, tamen exinde non consequeretur, Iohannem sibi repugnasse, hoc tantum ex comparatione horum locorum appareret, Iohannem cum aliis N. T. scriptoribus vocabulum πνεῦμα vario sensu adhibuisse. Sed πνεῦμα et λόγος differunt. Etenim Iohannes 1, 14. docet, λόγον hominem esse factum, fuisse coniunctum cum Iesu ante baptismum, neutiquam ergo Iohannes 1, 32. de λόγῳ cogitare atque affirmare poterat, λόγον tunc demum, cum Iesus baptizaretur, sese cum eo coniunxisse. Praeterea, vt recte obseruauit *Griethuysenus* l. c. p. 44. λόγῳ c. 1. ea tribuuntur, quae de πνεύματι non dicta videas. Cf. quae notauimus ad illos Iohanneos locos supra laudatos.

§. 3. *Docet Iohannem Graeca lingua Commentarios suos conscripsisse.*

Iohannem Graeca lingua commentarios suos conscripsisse, est constans veterum sententia, ab ea tamen recesserunt *Salmasius* in libro, de lingua Hellenistica p. 258. *Grotius* in Prolegg. in Eu. Ioh. *Boltenius der Bericht des Ioh. von Iesu dem Messia übers. u. mit Anmerkk.* Praefat. §. 9. p. 14. et *Pfankuchius, über die Palaestinensische Landessprache in dem Zeitalter Christi u. d. Apostel,* in *Eichhornii Allgem. Biblioth. d. bibl. Literat. B.* 8. p. 367 sqq. atque contenderunt, Iohannem Syriace Euangelium suum exarasse, postea vero illud in linguam Graecam fuisse translatum. Argumenta hanc in rem protulerunt haec: 1) „Lingua Graeca Christi Apostolorumque aetate in Palaestina non erat vsu recepta, sed vernaculam

et domesticam linguam Palaestinenses habebant Syrochaldaicam.“ Sed illa aetate Graecorum lingua vbivis fere terrarum, etiam in Palaestinae regionibus, in vsu erat, et addisci poterat, v. Ioseph Ant. 18, 20. Iam tum enim multi Hellenista mercaturae exercendae caussa ex Asia minore in Palaestinam migrarant, atque Hierosolymis, vbi Iohannes post Iesu ex his terris abitum sedem fixerat, synagogas habebant v. Ioh. 12, 20. Act. 6, 1. 9. Etiam in Galilaea lingua Graeca in vsu erat; haud mediocriter enim in illa prouincia mercatura vigebat, et ipsa pars regionis istius dicebatur Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, quod esset Tyriis et Sidoniis finitima, eamque variae gentes, Phoenices, Arabes, Syri etc. incolerent. Nec homines tantum cultioris ingenii, aut commercio deditos, quibus cum extraneis negotiorum gerendorum caussa saepissime res esset, linguam Graecam calluisse, eaque vsos esse, sed etiam homines plebeios huius linguae scientiam habuisse, vel docere potest locus Act. 21, 40. 22, 2. Num enim populus commotus, qui exspectaret Paulum Graeco sermone verba esse facturum, consiluisset, cum Paulus manu silentium indixisset, nisi magna saltem concionis pars linguam Graecam intellexisset? Iohannes, piscator haud infimae sortis, cum hominibus Graece loquentibus quaestus faciendi caussa negotia non poterat non habere, adeoque ipsum vitae genus, quod sequebatur, in addiscenda lingua Graeca ei subsidio erat. Petrum, qui quoque piscator, et Iohannis familiaris erat, huius linguae gnarum fuisse, ex prima eius epistola,

patet, de cuius authentia dubitari nequit, patet etiam exinde, quod Petrus gentiles ad religionem chriſtianam adduxit, Act. 10. Fatendum ergo omnino eſt, linguam Graecam in Palaeſtina in vſu fuiſſe, et Iohanni eam addiſcendi largam occaſionem ſuppeditaſſe. Cf. *Süſkindius* l. c. St. 9. p. 52 ſq. *Wegſcheiderus* l. c. p. 259 ſs. Ieſum ipſum quoque interdum lingua Graeca vſum eſſe, argumentis haud contemnendis oſtendit *Paulus* in libello inſcripto: Veroſimilia de Iudaeis Palaeſtinenſibus, Ieſu etiam atque Apoſtolis non Aramaea dialecto ſola, ſed Graeca quoque Aramaizante locutis, P. I. II. Ienae 1803. 4. add. *Ziegleri Einleit. in d. Brief an die Hebr.* p. 210 ſs. 2) „Quodſi etiam Iohannes Graece cum aliis confabulandi facultatem nanciſci poterat, eius tamen linguae Graecae ſcientia vltra facultatem mentem vtcunque Graece exprimendi, non progrediebatur." Ponamus, Iohannem, dum in Palaeſtina viueret, Graecis tantum elementis imbutum fuiſſe, nonne tamen poſtea ſaltem, cum Epheſi domicilium collocaſſet, idoneam linguae Graecae ſcientiam ſibi comparare potuit? ibi enim nonniſi Graeca lingua audiebatur, et Iudaei aeque ac chriſtiani in coetibus publicis vtebantur libris ſacris in Graecam linguam translatis. Per longam autem annorum ſeriem Iohannes Epheſi commoratus eſt, et commentarios de vita et fatis Ieſu ſerius, circa finem ſeculi primi conſcripſit. 3) „Si Iohannes, qui tamen Graece ſcripſiſſe putatur, exempla de vetere ſcriptura, vt in Hebraico ſunt, non vt in Graeca verſione habentur, depromit, cur non

potius Hebraice quoque eum ſcripſiſſe arbitrabimur, qui teſtimoniis vtatur Hebraicis? *Salmaſius* de Helleniſt. p. 257." Hanc vero *Salmaſii* ſententiam ſatis refutare poſſunt loci Ioh. 2, 17. 12, 38. 19, 24. al. cf. *Eichhornii Allgem. Bibl. d. bibl. Lit.* B. 2. p. 1003 ſs. et ipſos quoque Palaeſtinenſes Iudaeos, verſionem Alexandrinam haud raro ad Veteris Teſtamenti interpretandi ſubſidium vocaſſe oſtendit *Eichhornius* in *Einleit. in das A. T.* Th. 1. §. 105. 166. 4) „Iohannem in adornando Euangelio non Graeca, ſed Aramaea lingua vſum eſſe docent inprimis etiam varii loci e Syrochaldaico Iohannis Euangelio minus recte et accurate redditi, vt 12, 3. 13, 34. 19, 11. 29. vid. *Boltenius* l. c. Praefat. p. 14. Vanitatem vero huius *Boltenii* ſententiae, de locis quibusdam male ab interprete Graeco intellectis et expreſſis, ex iis ſat luculenter apparituram eſſe arbitramur, quae ad illa loca notauimus. — Iis autem, quae hactenus disputauimus, nos planum feciſſe opinamur, Iohannem Euangelium ſuum, non modo Graece conſcribere potuiſſe, ſed illud etiam, in quo omnis antiquitas conſentit, Graece conſcripſiſſe.

§. 4. *De Operis Iohannei indole.*

Haud leue discrimen inter Iohannis commentarios reliquorumque Euangeliſtarum libros deprehenditur, quod attinet rerum pertractatarum delectum, narrationis modum, dictionem, et ſcribendi indolem. Nempe praeteriit Iohannes ea omnia, quae Matthaeus et Lucas de primordiis vitae Ieſu tradide-

runt, neque vt illi genealogiam eius exhibuit. Praeteriit autem haec, suum ipsius in scribendo consilium secutus, cum in Asia, et in gratiam Christianorum ex Hellenistis atque gentilibus scriberet. cf. Prolegg. in Matth. §. 1. §. 4. Marc. p. 6 sq. add. infra §. 5. notata. — Enarrauit Iohannes quam plurimas res a Iesu Hierosolymis et in vrbis illius vicinia gestas, a reliquis rerum gestarum Iesu scriptoribus praetermissas, qui res in Galilaea potissimum ab eo gestas persecuti sunt, atque in narrationibus omnino suis diligentius quam illi, locum, tempus, occasionem rerum gestarum et sermonum magistri notauit. Nonnulla tantum miracula a Christo edita literis consignauit, diligentius longiores sermones et orationes congessit, quibus ille vel discipulis veram muneris ipsi demandati rationem exposuerat, vel contra procerum, doctorumque populi criminationes in templo et synagogis sese defenderat, vel falsas et praeconceptas opiniones de regni Messiani natura et indole et sua persona, refutarat. Matthaeus contra, Marcus et Lucas, ea inprimis memoriae tradiderunt, quae Iesus coram populo, eius audiendi cupido, modo per parabolas, modo per sententias et apophthegmata eum docendo dixerat, quorum maxima pars ad morum praecepta pertinet, atque argumenta potius et fragmenta orationum, quam orationes ipsas literis mandarunt; largam autem miraculorum a Christo patratorum copiam congesserunt. — Iohannes porro est multo magis historiae scriptor pragmaticus, quam Euangelistae reliqui. Hi enim nude

fere et fimpliciter res geftas exponunt, atque raren-ter narrationibus fuis animaduerfiones interiiciunt, quae ad lectoris iudicium regendum faciant. Iohannes vero perquam frequenter narrationibus animadverfiones, iudiciumque fuum inferuit. Attulit quae de natura et fitu locorum lectoribus cognitu neceffaria iudicaret, ingenium et mores temporis atque hominum illuftrauit; notauit, cur haec vel illa res facta fit, cur hunc vel illum euentum habuerit, vt 12, 37. al. Neque hiftoriae tantum, rebus geftis atque euentis; fed etiam fermonibus a Chrifto habitis, inprimis fententiis, quae vel obfcuritatis aliquid, vel offenfionis, vel pondus magnum habere viderentur, interpretamenta fua adiecit v. 2, 21 f. 6, 64. 71. 7, 39. 12, 33. etc. conf. *Henkii* Disf. Iohannes Ap. nonnullorum Iefu apophthegmatum in Euangelio fuo et ipfe interpres, in *Potti* Sylloge Commentatt. theologg. Helmft. 1800. 8. p. 1 fqq. et *Schulzii* liber infcriptus: *der fchriftftellerifche Charakter u. Werth des Iohannes* p. 215 fqq. — Differt etiam quod attinet fermones Chrifti a Iohanne relatos dictio et orationis forma, a dictione quae in fermonibus Chrifti, quos reliqui Euangeliftae referuarunt, deprehenditur. Genuinas effe et fideliter recenfitas, etfi non femper verbotenus redditas, v. Ioh. 12, 32. 34., orationes, quas Iohannes doctori fuo tribuit, praeter alia argumenta, docent etiam, vt fcienter animaduertit *Henkius* l. c. p. 19. ipfae annotationes a Iohanne interiectae. Quidni enim in orationes hasce eum ipfum fenfum, quem verbis eius ineffe

monet, eamque ipſam lucem, quam obſcurius dictis accendit, ſtatim intuliſſet, ac Ieſum ipſum ita, vt intellectum vult, ſtatim induxiſſet loquentem, niſi magna cum religione illas tales reddidiſſet, quales a Ieſu dictas compertum habebat? v. et *Stronckii* Specimen hermeneut. theol. de doctrina et dictione Ioh. Apoſt. ad Ieſu magiſtri doctrinam dictionemque exacte compoſita, Trai. ad Rhen. 1797. p. 131 ſs. Sed eadem cura et religione a reliquis Euangeliſtis orationes Chriſti exhibitae ſunt[22]). Disſimilitudo enim, quae inter orationes Chriſti a Iohanne, et a Matthaeo, Marco atque Luca relatas, intercedit, non tanta eſt, vt alium magiſtrum in Iohannis commentariis, alium in trium priorum Euangeliſtarum libris audire nobis videamur. Occurrunt quidem in ſermonibus Ieſu a Iohanne literis conſignatis, frequentius allegoriae, imagines, parabolae, obſcurius apud Iohannem Chriſtus de ſua morte et reſurrectione loquitur, clarioribus verbis apud Euangeliſtas reliquos. Sed in haud

22) Nonnullos interioris admiſſionis Chriſti diſcipulos, et inter eos Iohannem, plures orationes a magiſtro peroratas, vel ſtatim vel paulo poſt in literas retuliſſe, haud improbabilis eſt interpretum ſententia, v. not. ad Luc. 6, 21. *Michaelis Einleit.* Th. 2. p. 923 ſs. *Paulus* in *Kommentar* Th. 1. p. 387 ſq. 638 ſq. ed. 2. *Hänleinii Einl.* Th. 3. p. 177. Et *Bertholdtus* in libro inſcripto: Veroſimilia de origine Eu. Ioh. p. 27 ſqq. pluribus euincere ſtuduit, Iohannem magnam Euangelii partem deſumſiſſe e libellis, ab ipſo Aramaea lingua conſcriptis, cum Ieſus adhuc his in terris viueret.

paucis ſermonibus a prioribus Euangeliſtis memoriae traditis, eundem reperimus et dicendi et argumenta pertractandi modum, eundem colorem, qui in ſermonibus a Iohanne nobis aſſeruatis, deprehenditur. v. Matth. 6, 22 ſs. 7, 24 ſs. 11, 7—30. 13, 3 ſqq. 15, 13—20. 18, 3 ſqq. 24, 5 ſqq. 25, 1 ſqq. Luc. 8, 10. 10, 18 ſqq. Praeterea Euangeliſtae non omnes ſermones Chriſti congerere voluerunt, ſed delectum fecerunt. Ieſum enim, doctorem publicum, quem ingentes ſaepe populi cateruae ſequebantur, qui per aliquot annos doctoris munere fungebatur, atque tam in vrbe, quam in itineribus per Palaeſtinae regiones ſusceptis, dicendi opportunitatem quam ſaepiſſime nactus erat, longe plura dixiſſe, quam vitae ipſius ſcriptores nobis tradiderunt, nemo facile infitias ibit. Euangeliſtae igitur priores, vt iam ſupra obſeruauimus, ſermones Chriſti notarunt, maximam partem publice coram populo habitos, et fere fragmenta tantum atque argumenta ſermonum illorum nobis exhibuerunt. Iohannes vero, qui ſedulo ſe ad magiſtri doctrinam et dictionem accommodauerat, cuius animum inprimis allegorici Chriſti ſermones, et ab eo ſublimius dicta ferirent, potiſſimum huius generis dicta atque ſermones ſelegit, atque orationes ab eo ſelectae, maximam partem vel priuatim, vel in templo et ſynagogis a Chriſto habitae ſunt, praeſentibus primoribus et doctoribus Iudaicis, ipſius aduerſariis. Neque adeo exinde quod Ieſus apud Iohannem de ſua morte et reſurrectione obſcurius loquitur, clarius apud Euangeliſtas reliquos, colligi poteſt cum non-

nullis, Matthaeum, Marcum et Lucam eam formam eumque habitum illis praesagiis Christi dedisse, vt euentus iis per omnia respondisse videretur. Etenim illa obscurius dicta non excludunt clariora effata, quibus Iesus obscuriora illustrauit, illa clariora reliqui Euangelistae seruarunt, obscuriora Iohannes, cui ea inprimis memoratu digna viderentur, tradidit, et commode illa, omissa etiam vlteriore explicatione, tradere poterat, cum ea iam dudum euentus satis illustrasset.

Superest, vt nonnulla quoque de stilo Iohannis moneamus, eumque a scribendi ratione reliquorum Euangelistarum differre ostendamus. Frequenter abstracta ponere solet pro concretis φῶς, ζωὴ, ὁδὸς ἀνάστασις etc. eandem sententiam affirmatiue et negatiue exprimit, v. 1, 3. 20. 3, 15. 5, 24. 7, 18. 10, 28. etc. eadem verba, easdemque formulas saepius repetit, quo pertinet μαρτυρεῖν, μαρτυρία 5, 31—34. λαμβάνω 5, 41—45. ἄρτος 6, 26. 31—35. 48—58. δοξάζειν 13, 31. 32. 17, 1. 3. 4. 10. 22. εἶναι et μένειν ἔν τινι 14, 10. 11. 20. 15, 4—12. verba et vocabula haud raro sensu diuerso in eodem versu ponit v. ad 1, 33. frequens ei est enallage temporum, v. ad 8, 58. plura vocabula singulari significatu vsurpat, ἁμαρτία *mendacium*, cui opponitur ἀλήθεια 8, 46. ἁμαρτωλὸς *mendax*, *impostor* 9, 16. 24. 25. 31. 34. ἑλκύειν *allicere*, *ducere* 6, 44, 12, 32. ἴδια *domus*, *domicilium* 1, 11. 16, 32. 19, 27. παροιμία pro quo reliqui Euangelistae vtuntur vocabulo παραβολὴ 10, 6. 16, 25. 29. vocabula ei

peculiaria et propria ſunt ἀποσυνάγωγος 9, 22. 12, 42. 16, 2. ἀρχιτρίκλινος 2, 8, 9. γενετὴ 9, 1. γλωσσόκομον 12, 6. ἐκκεντέω 19, 37. ἐμφυσάω 20, 22. κερματιστὴς 2, 14. κηπουρὸς 20, 15. λέντιον 13, 4. 5. μεσσίας 1, 42. 4, 25. παράκλητος 14, 16. 26. 16, 7. προβατικὴ 5, 2. προσφάγιον 21, 5. συμμαθητὴς 11, 16. τετράμηνον 4, 35. φραγέλλιον 2, 15. ψωμίον 13, 26. 27. 30 etc. Conf. omnino qui docte et diligenter de Iohannis ſcribendi ratione disſeruit *Schulzius über d. ſchriftſtelleriſchen Charakter u. Werth d. Ioh.* p. 63 ſqq.

§. 5. *De conſilio Iohanni in ſcribendis comment riis propoſito.*

Multa disputata ſunt a viris doctis, de conſilio quod Iohannes in adornando Euangelio ſecutus ſit. Nempe haud pauci contenderunt Euangeliſtam ſcripſiſſe πολεμικῶς, refutare et impugnare voluiſſe ſuorum temporum errores. Quod autem errores ipſos attinet, quos Iohannes impugnaverit, in diuerſas partes disceſſere interpretes. Ac plures quidem ſtatuerunt, eum Euangelium ſuum oppoſuiſſe *Gnoſticis*, vulgo ſic dictis, inprimis *Valentinianis*, qui multa de aeonibus, eorum numero, ſerie, ordine et genealogiis praecipiebant, ac variis eos nominibus inſigniebant, quibus Iohannes ipſe c. 1. vſus eſt, quo pertinent nomina λόγος, μονογενὴς, χάρις, ζωὴ, ἀλήθεια, eorumque ſedem πλήρωμα ſpatium coeleſte, putabant. Verum enimuero harum opinionum ſubtilitates erant temporum poſteriorum, non Apoſtoli-

corum, et de Valentinianis conftat, eos decreta fua, ipfa Iohannis auctoritate ftabilire et confirmare ftuduiffe, v. not. 19. Quodfi etiam concedere vellemus, ftamina Gnofticismi iam Iohannis aetate reperta effe, etfi caeteroquin ferius, fec. II. Gnofticorum decreta in vulgus edita fint, neutiquam tamen exinde, quod Iohannes iftis nominibus vfus fit, probari poterit, eum eiusmodi opiniones refpexiffe. Iefus enim ipfe fe vocabulis φῶς et ζωὴ infigniuerat, v. 8, 12. 11, 25. et τὸν μονογενῆ appellauerat 3, 16. fin aliter ibi eius verba leguntur; et vnde nominis λόγος vfus deriuandus fit, infra docebimus §. 7. Conf. omnino *Tittmanus* de veftigiis Gnofticorum in N. T. fruftra quaefitis, Lipf. 1773. 8. *Storrius über d. Zweck d. Euang. Gefch.* etc p. 48 fqq. *Loeffleri* Disfert. Iohannis epift. I. Gnofticos inprimis impugnari negans, in Commentt. theoll. a *Velthufeno*, *Rupertio* et me ipfo editis T. 1. p. 153. *Schmidtii Einleit.* Th. 1. p. 148. *Wegfcheideri Einleit. in das Evang. Ioh.* p. 218 fs.

Alii opinati funt Iohannem fcripfiffe aduerfus *Cerinthum*[23]), Iudaeochriftianum, Iohanni aequalem[24]), qui e Palaeftina in Aegyptum fe contulerat,

---

23) Ita *Oederus* in tract. de fcopo Euangelii Ioh. Ap., haerefi Cerinthi oppofiti, Francof. 1732. 8. *Michaelis Einl.* Th. 2. §. 158. *Storrius üb. d. Zweck* etc. p. 43 fqq. *Hugius Einl.* Th. 2. p. 137. *Semlerus*, *Hezelius*, alii.

24) *Lampius* Prolegg. L. 2. c. 3. §. 15. et *Merkelius* in libello: *Beweis dafs die Apocalypfe ein untergefchobenes*

et inde in Asiam peruenerat [25]). Quae quidem opinio nititur testimonio Irenaei adu. haeres. Lib. 3. c. 12. vbi legitur: *hanc fidem annuntians Iohannes, Domini discipulus, volens per Euangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat hominibus errorem, et multo prius, ab his qui dicuntur Nicolaitae, qui sunt vulsio* (ἀπόσπασμα) *eius, quae falso cognominatur scientia* (γνῶσις) *vt confunderet eos, et*

Buch sey p. 149. probare studuerunt, Cerinthum sec. II. demum vixisse, sed parum idoneis argumentis, vt ostenderunt *Walchius* in *Entwurf einer vollständigen Geschichte der Ketzereyen* Th. 1. p. 252. et *Storrius* in *Eichhornii Repertorium für bibl. u. morgenl. Literat.* Th. 14. p. 136 ss. et *über d. Zweck* etc. p. 44. 150.

25) Cerinthum Gnosticum fuisse contendit *Storrius über d. Zweck* etc. p. 149 sqq. eum fuisse christianum iudaizantem, et Iudaismum cum doctrina christiana commiscuisse, statuit *Merkelius* l. c. p. 123. 127. etc. *Schmidtius* in *Biblioth. für Kritik u. Exeg.* Th. 1. p. 181 sqq. et *Kirchengesch.* Th. 1. p. 235 sq. eum Iudaismo fauisse, et cum opinionibus Iudaicis coniunxisse Gnosticorum decreta (de quo vtroque hominis errore v. Epiphan. haer. 28. ed. *Petau.*) ostendere studuit *Paulus* in Historia Cerinthi, p. 110 ss. v. eius Introductionem in N. T. capita selecta p. 28 sqq. Monuit, nec Epiphanium haer. 28. l. c. haer. 51. §. 10. nec Irenaeum 3, 11. 1. 3, 16. 1. 1, 26. in iis quae de Cerinthi doctrina retulerunt, sibi repugnare, discernenda esse tempora, et reputandum, Cerinthum, (vtor ipsius verbis) a iudaizante christianismo ad Gnosticismum cum Iudaismo ex parte adhuc coniunctum transiisse, cum in Aegyptum, et inde in Asiam se contulisset.

suaderet eos, quoniam vnus Deus, qui omnia fecit per Verbum suum, et non quemadmodum illi dicunt, alterum quidem fabricatorem, alium autem Patrem Domini; et alium quidem fabricatoris filium, alterum vero de superioribus, Christum, quem et impassibilem perseuerasse, descendentem in Iesum filium fabricatoris (fabri lignarii?) et iterum reuolasse in suum Pleroma: et initium quidem esse Monogenem, Logon autem verum filium Vnigeniti, et eam conditionem (κτίσιν), *quae est secundum nos, non a primo Deo factam, sed a virtute aliqua valde deorsum subiecta, et abscissa ab eorum communicatione, quae sunt inuisibilia et innominabilia, omnia igitur talia circumscribere volens discipulus domini, et regulam veritatis constituere in ecclesia, quia est vnus Deus omnipotens, qui per Verbum suum omnia fecit, et visibilia et inuisibilia, significans quoque, quoniam per Verbum, per quod Deus perfecit conditionem, in hoc et salutem his, qui in conditione sunt, praestitit hominibus, sic inchoauit in ea, quae est secundum Euangelium doctrina* in principio erat verbum *etc.* Vt autem demonstretur, Iohannem Cerinthi errores impugnasse, praeter l. c. laudari solet, tanquam locus in hac caussa classicus, locus Irenaei 1, 26 1. edit. *Massuet.* qui ita se habet: *Cerinthus autem quidam in Asia, non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a Virtute quadam valde separata et distante ab ea principalitate, quae est super vniuersa, et ignorante eum, qui est super omnia, Deum. Iesum autem subiecit, non ex virgine natum. Impossibile enim hoc ei visum est. Fuisse autem eum Ioseph et Mariae filium,*

ſimiliter vt reliqui omnes homines, et plus potuiſſe iuſtitia et prudentia et ſapientia ab hominibus. Et poſt baptismum deſcendiſſe in eum ab ea principalitate, quae eſt ſuper omnia, Chriſtum, figura columbae, et tunc annuntiaſſe incognitum Patrem et virtutes perfeciſſe. In fine autem reuolaſſe iterum Chriſtum de Ieſu, et Ieſum paſſum eſſe et reſurrexiſſe. Chriſtum autem impaſſibilem perſeueraſſe, exiſtentem ſpiritalem. Neque tamen his Irenaei locis comprobari poteſt, Iohannem Cerinthi errores refutaſſe. Etenim 1) certo definiri nequit, vtrum Irenaeus nobis reliquerit traditionem, an interpretis coniecturam. Eum traditionem eſſe ſecutum, propterea minus probabile eſt, quoniam Iohannem ſcripſiſſe quoque affirmat, contra *Valentinianos* (v. *Storrius* in *Eichhornii Repertorium* l. c.), qui tamen ſerius errores ſuos ſpargebant, et contra *Nicolaitas*, quod nomen fictitium eſt, vt docuit *Eichhornius* in Comment. in Apoc. Ioh. T. 1. p. 75. Cum ergo Irenaeus quod Nicolaitas attinet et Valentinianos, non hiſtorici partes, ſed coniectoris perſonam egerit, qua tandem certitudinis ſpecie affirmabimus, ea quae de Cerintho, Iohannis aduerſario, protulit, non eſſe coniecturis annumeranda? 2) Irenaeus ll. cc. et Epiphanius haer. 28. haer. 51. in iis quae de Cerinthi opinionibus retulerunt, ſibi repugnant, id quod pluribus demonſtrauit *Maſſuetus* in Diſſ. de Cerintho, inſerta eiusd. editioni Irenaei p. 164 ſqq. add. *Walchius* in Comment. nou. Soc. Reg. Gotting. Vol. 5. *Rösleri Biblioth. d. Kirchenväter*, Th. 1. p. 264. *Paulus* l. c. Concedunt viri docti, plures errores, quorum

auctores ignorarentur, a doctoribus antiquis Cerintho esse falso adscriptos. Incertum ergo est, quosnam errores fouerit. 3) Quodsi etiam concedatur, Cerinthum eos errores fouisse, qui ei tribuuntur, certo tamen demonstrari nequit, illos errores, tempore Iohannis, ita fuisse dispersos, vt eorum refutandorum consilium capere posset atque deberet. 4) Vtut vero sit, Iohannem illos errores non refutasse, inde perspicitur, quoniam, vt pluribus demonstrauit *Paulus* l. c., in prologo Euangelii non reperiuntur voces et formulae Cerinthi erroribus distincte et accurate oppositae. Si enim Iohannes opponere sese voluisset Cerintho, scribere debuisset, vt inter alia obseruauit *Paulus*, ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς ἦν ὁ λόγος, nam nomen Dei illa aetate genericae notionis aliquid habere videbatur, Deus supremus dicebatur ὁ Θεός· vid. infra §. 7. Verbis οὗτος (ὁ λόγος) ἦν πρὸς τὸν Θεὸν etiam Cerinthus de suo Christo vti poterat. Non refutabant, monente *Paulo*, ea quae v. 3 et 10. de mundi opificio leguntur, Cerinthum, qui statuebat Deum primum non esse mundi creatorem, nec λόγον, nec Christum suum, sed Virtutem Deo supremo inferiorem. „Cerinthus certe, simulac v. 1. et 2. grammaticis legibus et coaeuorum phrasibus vere non repugnantibus, in Christum suum accommodauerat, theseos in com. 3 — 5. propositae aciem in ipsum directam esse, nemo valebat ostendere. Non enim τὰ πάντα ἐν ἀρχῇ δι' αὐτοῦ γεγονέναι dicuntur; adeoque alius generis πάντα per suum Χριστὸν γεγονέναι, liberum ipsi erat profiteri. Idque eo expeditius vi-

deri poterat, quo frequentius ζωὴ et φῶς in Euangelio ad ea referuntur, quae Chriſtus Ieſus effecerit in terris atque procreauerit.“ Scribere debuiſſet Iohannes πάντα διὰ τοῦ Θεοῦ (τοῦ πρώτου) ἐγένετο, καὶ χωρὶς τοῦ (πρώτου καὶ) ἑνὸς Θεοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. cf. omnino *Paulus* l. c. Cum ergo prologus Euangelii Iohannei, quo ſummam doctrinae in Euangelio comprobandae exhiberi in confeſſo eſt, non contineat ſententiam diſtincte et explicite Cerintho oppoſitam, nec alia in Euangelio Cerinthi doctrinae, inprimis Chriſtologiae ipſius oppoſita reperiantur, ſed nonnullae tantum Prologi ſententiae nonniſi ex obliquo contra eum adhiberi potuerint; cum potius occurrant ſententiae, quibus Cerinthus commode in rem ſuam vti potuiſſet, vnde etiam extiterunt qui putarent Cerinthum Euangelii fuiſſe auctorem, teſte Epiphanio, a quo Alogi dicuntur haer. 51. v. *Pauli* Introduct. in N. T. p. 112 ſqq. *Schmidtii Einleit.* Th. 1. p. 148.; vel inde ſatis apparere arbitramur, Iohannem non ſcripſiſſe contra Cerinthum 26).

---

26) Neque *contra Philonem* in Euangelii prologo disputauit Iohannes. Quae fuit ſententia *Clerici*, quam exornauit in libello: XVIII. prima commata cap. I. Ioh. paraphraſi et animaduerſſ. illuſtrata, 1695. inſerto eiusd. Commentario in Pentateuchum et *Hammondi* edit. N. T. ſec. Francof. 1714. p. 391 ſq. Statuit *Clericus*, Iohannem cauere voluiſſe, ne placita Philonis a chriſtianis cum Chriſti decretis commiſcerentur, ideoque eum etiam voc. λόγος, vtpote notum et peruulgatum retinuiſſe, ac ſenſu chriſtia-

Iohannem in Euangelio ſuo refellere voluiſſe *Iohannis Baptiſtae ſectatores*, qui Ieſum verum Meſſiam eſſe negarent, haud pauci, interpretum inprimis recentiorum contenderunt; v. *Semlerus* in *Zuſätzen zu Townſons Abhandl. üb. die vier Evangg.* Th. 1. p. 53. Th. 2. p. 218. et in Paraphr. Eu. Ioh. p. 11. *Barkey* de ſcopo Euangelii Ioh. in Biblioth. Hagana Claſſ. 3. Faſc. 3. p. 591. et de Sabiis Claſſ. 4. Faſcic. 2. p. 355. *Michaelis* in *Einleit.* §. 159. *Storrius üb. d. Zweck* etc. p. 4. *Herderus* in *Erläuterungen zum N. T.* p. 11. *Schulzius* in *Anmerkk. zu Michaelis Anmerkk.* p. 291. *Overbeckius Neue Verſuche üb. d. Ev. Joh.* 1784. *Keilius* in *Fabricii* Bibl. Gr. T. 4. p. 777. ed. *Harleſ.* *Ruſwurm üb. die erſten Leſer und den Zweck d. Ev. Joh.* in *Auguſti Neuen theol. Blät-*

---

no vſurpaſſe. Sed parum probabile eſt, Iohannem ſcripta Philonis legiſſe. vid. infra §. 7. extr. Iohannes prorſus ſilentio praeteriit voces Philoni de λόγῳ familiares, *πρεσβύτατος τῶν ὄντων, ἀρχάγγελος, ἀρχιερεὺς εἰκὼν Θεοῦ, ἀΐδιον ἀπαύγασμα* etc. Si contra docere voluiſſet, *τῷ λόγῳ* maiorem dignitatem tribuendam eſſe, quam ei Philo tribueret, eum non eſſe Deo ſupremo inferiorem, ſcribere debuiſſet ὁ δὲ λόγος ἦν ὁ Θεὸς, cum Philo accurate diſtingueret *τὸν Θεὸν* Deum ſupremum, a Θεῷ ſubiecto Deo ſupremo inferiori. Quae eſt obſeruatio *Pauli* in *Kommentar üb. d. Evang. Ioh.* p. 75. vid. §. 7. et not. ad 1, 1. *Clerici* ſententiam pluribus refutarunt *Lampius* in Prolegg. p. 205 ſqq. *Witſius* in Miſc. Sacr. T. 2. p. 87. *Carpzovius* de λόγῳ Philonis in Exercitt. ſacrr. in ep. ad Hebr. ex Philone p. 107. *Paulus* l. c. (qui antea *Clerico* adſtipulatus erat in *Memorabilien* St. 8. p. 148 ſqq. 164.) add. *Wegſcheiderus* in *Einleit.* p. 234 ſqq.

tern, B. 3. St. 3. eiusd. *Johannes der Donnerer*, 1806. *Ziegleri Bemerkk. üb. d. Ev. Joh.* in *Gableri Journal für theol. Literat.* Th. 3. p. 21 ſs. *Hugius* in *Einleit. in d. N. T.* Th. 2. p. 141 ſq. reiecerunt tamen hanc ſententiam: *Lindemanus üb. die Iohannisjünger*, in *Eichhornii Allgem. Bibl. d. bibl. Lit.* B. 10. p. 880 ſs. Paulus in Introduct. in capp. N. T. ſelectior. Ienae 1799. 8. p. 194 ſs. *Schmidtius* in *Einleit.* Th. 1. p. 150 ſq. *Eichhornius* in *Einleit.* Th. 2. p. 199 ſqq. Scilicet negari nequit, Apoſtolorum aetate, poſt Chriſti ex his terris abitum, floruiſſe ſectam, neque tamen numeroſam, diſcipulorum Iohannis, vid. Act. 18, 26. 19, 1 ſqq. e qua etiam origo repetenda videtur ſectae *Sabaeorum* ſ. *Zabiorum* (ܨܒܥ̈ *baptiſtae*) ſ. *Mendaeorum* (ܡܢܕܥܐ ܕܝܘܚܢܐ *Iohannis diſcipuli*) etiamnum in Oriente florentis, qui Iohannem Baptiſtam, vt *patrem*, *Apoſtolum lucis*, et *ſervatorem* ſuum venerantur, multis tamen in rebus ab antiquis Iohannis ſectatoribus receſſerunt, in quorum etiam libris ſacris plures opiniones ſibi repugnantes reperiuntur. conf. omnino de iis *Norbergii* Diſſ. de religione et lingua Sabaeorum, in Commentatt. Soc. Gotting. per an. 1780. Vol. 3. (*Michaelis Orient. Bibl.* Th. 15. p. 126 ſs. 143 ſs. Th. 17. p. 42. *Bioernſtählii Briefe überſ. von Groskurd* B. 6. (Lipſ. 1783.) *Chr. Guil. Fr. Walchii* Obſſ. de Sabaeis in Commentatt. Soc. Gotting. per an. 1781. *Overbeckius* l. l. *Stäudlinii Beyträge zur Philoſophie u. Geſch. d. Relig.* B. 2. p. 289 ſs. B. 3. p. 1 ſs. B. 5. p. 1. 208 ſs. *Storrius üb. d. Zweck* p. 28 ſqq. *Wegſcheiderus* l. c.

D 2

p. 225 ſqq. *Hugius* l. c. Antiquiores Iohannis ſectatores hunc magiſtrum ſuum pro Meſſia habuiſſe, nonnulli opinati ſunt, atque hanc in rem laudarunt libros Recognitionum Clementi Romano falſo adſcriptos. ibi Lib. 1. c. 54. p. 505. *Cotel* legitur: *Scribae quoque et Phariſaei in aliud ſchiſma deducuntur; ſed hi baptizati a Iohanne, et velut clauem regni coelorum, verbum veritatis tenentes ex Moſis traditione ſusceptum occultarunt ab auribus populi. Sed e* diſcipulis Iohannis, *qui videbantur eſſe magni, ſegregarunt ſe a populo, et* magiſtrum ſuum velut Chriſtum *praedicarunt.* et c. 60. p. 507. *Vnus ex diſcipulis Iohannis affirmabat,* Chriſtum Iohannem fuiſſe, *et non Ieſum — Moyſe et ipſo Ieſu maior habendus.* Plura tamen huic opinioni obſtant. Nempe Iohannes baptismo initiabat Iudaeos nouae oeconomiae propediem a Meſſia conſtituendae, v. Matth. 3, 2 ſs. 11. ſed libere et palam profitebatur, et data quauis occaſione ſuis inculcabat, ſe non eſſe Meſſiam, imo Ieſum ſe longe maiorem, et pro Meſſia habendum eſſe, v. Ioh. 1, 15. 30. 36. 3, 25. 26. ipſe diſcipulos ad Ieſum ablegabat, quo eum excitaret, vt regnum Meſſianum inſtitueret, v. Matth. 11, 3. Luc. 7, 18. quin et plures de Iohannis diſcipulis ad Chriſti ſigna ſeſe conferebant, v. Ioh. 1, 37 ſs. Matth. 14, 15. parum ergo probabile eſt fuiſſe inter Iohannis diſcipulos qui hunc magiſtrum ſuum pro Meſſia haberent. Neque huic opinioni fauent loci Act. 18, 24 ſqq. 19, 1. ſermo ibi eſt de Apolline, Iudaeo Alexandrino, qui Epheſum deuenerat, aliisque Epheſiis, Iohannis ſectatoribus, quibus non-

nisi baptismus a Iohanne institutus cognitus erat; eos hunc doctorem suum pro Messia habuisse, ibi non legitur. Qui ergo primis ecclesiae temporibus post Christi ex his terris abitum, sese Iohannis sectatores profitebantur, haud dubie baptizati atque instituti erant ab iis, qui Iohannis disciplinae nomina dederant, ante Christi baptismum, cum nondum ipsorum magister, Iesum Messiam esse, declarasset. Ignorabant igitur Iesum esse Messiam colendum, imo Messiae apparitionem adhuc exspectabant, et Iohannem omnibus prophetis maiorem et praestantiorem putabant, vniceque suspiciebant. Tales etiam erant ii, qui Act. ll. cc. commemorantur. Iam qui contendunt Euangelistam contra Baptistae sectatores scripsisse, prouocant ad ea, quae in Euangelio de Baptista commemorata leguntur. Auspicatur, inquiunt, Iohannes Euangelium suum, a descriptione summae dignitatis Iesu, opponit eum, quem τὸ φῶς appellat, Iohanni Baptistae τοῦ φωτὸς praeconi et nuntio v. 8. 9. notat, Iohannem coram sectatoribus suis non semel, sed saepius professum esse, Iesum dignitate se longe maximeque superare v. 15. 30 sqq. 35 ss. 3, 26 ss. et coram synedris declarasse se non esse Messiam, hunc vero inter ipsos versari 1, 19 sqq. etiam c. 10, 40 — 42. Euangelista Baptistae de Iesu testimonii mentionem facit, vt ostendat Iesum esse Iohanne maiorem; ex his igitur locis planissimum est, Iohannem scripsisse Euangelium, vt refelleret homines Iesum Messiam negantes, apud quos Baptistae auctoritas vnice valeret, quibus adeo non firmius et cer-

tius perfuadere poffet, Iefum effe Iohanne Baptifta maiorem, eum Meffiam effe, quam ipfius eorum magiftri teftimonio toties repetito. At enimuero capite tantum Euangelii primo fcriptor oftendit, Iefum fuiffe Iohanne maiorem, et huius de Iefu teftimonium profert in reliqua Euangelii parte nulla amplius Iefu cum Iohanne comparatio inftituitur. Admiffa ergo fententia hac, Euangeliftam disputaffe cap. 1. contra Iohannis fectatores, perfpicitur quidem, quare eo ipfo capite pluribus verba fecerit de Iohanne Baptifta, eiusque de Iefu teftimonio exhibito, fed non explicatur, quonam confilio confcripferit omnem reliquam Euangelii partem, in qua Iohannis fectatores non refpexerit. v. *Eichhornius* l. c. p. 206. Praeterea aliae poffunt afferri rationes, quare fcriptor de Baptifta, eiusque teftimonio copiofius disferuerit. Nempe Baptifta primus Iefum Meffiam agnouerat. Magna in auctoritate Baptifta apud omnes fuerat, et Iohannes Euangelifta ipfe olim eum magiftrum fectatus erat. — Ex hactenus dictis fatis apparere arbitror, parum firmis argumentis niti eorum fententiam, qui Iohannem contra Baptiftae fectatores, Iefum Meffiam effe negantes, Euangelium fuum confcripfiffe praecipiunt.

In nonnullis quoque Euangelii locis refpexiffe Iohannem errores eorum, qui fequenti tempore *Docetae* dicti funt, ftatuerunt *Semlerus* in Paraphr. ad Ioh. 1, 14. *Eckermannus* in *Erklärung aller dunklen Stellen des N. T.* Th. 2. p. 5 fq. *Bertholdtus* in libro

Verosimilia de Origine Eu. Ioh. p. 45. et in Christologia Iudaeorum Iesu Apostolorumque aetate p. 153 sqq. add. *Schmidtius* in *Biblioth. für bibl. Kritik u. Exeg.* B. 1. p. 73. *Augusti Lehrbuch der Dogmengeschichte* p. 21. Nempe Docetae corpus, materia constans, indignum domicilium, quod sibi natura coelestis deligeret, reputantes, veritatem corporis Christi negabant, et nonnisi fictitium quoddam corpus ei tribuebant, adeoque etiam eum solummodo ἐν δοκήσει mortuum esse, imaginariam tantum mortem subiisse, putabant. In quam quidem opinionem, quam etiam Sec. II. et III. Saturninum, Valentinum, Marcionem et Manichaeos fouisse scimus, facile incidere poterant christiani ii, qui decreta philosophiae orientalis de emanationibus, et materia fonte malorum sequebantur, qui cum Platone animum, quantum fieri possit, a corpore auocandum, et ab omnibus cupiditatibus purgandum censebant, corpus inter mala referebant, sapientiae virtutisque impedimentum grauissimum iudicabant, v. Platon. Phaedo T. 1. p. 148. p. 188. ed. Bipont. Timae. T. 9. p. 328 ss. 422 ss. Clem. Alex. Strom. L. 3. p. 518. ed. *Pott.* et cum Philone corpus, animae carcerem (Allegor. L. 3. Opp. T. 1. p. 268. ed. *Pfeiff.* de ebriet. T. 3. p. 217. de migrat. Abrah. T. 3. p. 415.), sepulcrum (Quod Deus sit immut. T. 2. p. 452.) maloque cognatum dicebant, quod voluptatibus suis atque cupiditatibus, quae ex illo oriantur, mentem opprimat. Philo Quis rer. diu. haer. T. 4. p. 120. de migrat. Abrah. T. 3. p. 416. —

Iam Iohannem in Euangelio suo Docetarum rationem habere potuisse, et vero etiam habuisse, his potissimum argumentis defenditur: 1) in Ignatii epistolis ecclesiis illarum regionum destinatis, in quibus Iohannes docuerat et vixerat, nominatim in epistola Smyrnaeis inscripta c. 2. (coll. Apoc. 2, 8.), diserte oppugnantur Docetae. Dissentiunt quidem inter se viri docti quod attinet epistolarum Ignatii authentiam, earumque integritatem, v. supra §. 2. lit. ב, verum vt monuit *Schmidtius* l. c. p. 69. si vel maxime sint suppositiciae, et falso Ignatii nomen prae se ferant, non tamen potuisset scriptor Docetarum errorem in epistola ad Smyrnaeos refutare, si nunquam in illa ecclesia Docetae extitissent. Patet ergo, satis mature in Asiae regionibus christianorum coetus inuasisse homines, qui corporis Christi veritatem negarent. 2) Etiam Sabaeos (cuius sectae origo, vt supra notatum est, e secta discipulorum Iohannis repetenda videtur) Docetarum errori indulgere, e libris illorum sacris apparet. Hoc vero argumentum nullius ponderis est. Etenim Sabaeos illam opinionem fouere, neutiquam ex libris eorum sacris probari posse, ostendit *Storrius üb. d. Zweck* etc. p. 33 ss. 37 sq. Quodsi vero etiam vel maxime demonstrari posset, eos Docetarum errori deditos esse, inde tamen non consequeretur, *Baptistae sectatores Apostoli aetate*, Messiae, quem exspectarent, corpus fictitium tribuisse, cum certum sit, vt supra monuimus, Sabaeos discessisse in multis a decretis sectatorum Iohannis, et noua decreta admisisse. 3) Etiam in ep. 1. et 2. Iohannes

impugnauit Docetarum errorem, v. 1. ep. 1, 4. 4, 2 — 5. (quo loco contra Docetas iam Tertullianus vſus eſt de carne Chriſti c. 24.) 5, 6. 8. 2 ep. 7. cf. *Keilius* ad *Fabricii* Biblioth. Gr. T. 4. p. 782. n. 18. ed. *Harleſ. Schmidtius* in *Einleit.* Th. 1. p. 319. *Bi-blioth.* l. c. *Paulus* in Hiſtoria Cerinthi P. 2. §. 23. neque tamen in his epiſtolis de Docetis eſſe ſermonem nuperrime pluribus comprobauit *Eichhornius* in *Einl.* Th. 2. p. 288 ſs. 297 ſq. 4) Reſpexiſſe autem in Euangelio quoque Apoſtolum eos, qui imaginarium corpus Chriſto tribuerent, docent verba 1, 14. *καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο*, et narrationum de iis, quae in morte Ieſu et poſt eius reſurrectionem euenerunt, delectus, quem Iohannes inſtituit. Refert nimirum, militem Ieſu in crucem acti latus haſta percuſſiſſe, et e vulnere ſanguinem cum aqua profluxiſſe, ſeduloque affirmat rem a ſe oculis vſurpatam eſſe 19, 34. Mariam corpus Ieſu poſt eius reſurrectionem attigiſſe 20, 17. Ieſum excitaſſe Thomam, vt digitos imponeret vulneribus, et manum lateri ſuo admoueret 21, 10 ſs. Ieſum poſt reſurrectionem coenaſſe cum diſcipulis 21, 5. Quomodo vero ex his locis colligi poſſit, Iohannem ſcripſiſſe contra Docetas, non facile perſpicitur. Vrgent inprimis locum 19, 34. ſed vid. ibi notata. Colligi quidem ex illo loco poteſt, extitiſſe illo tempore, qui negarent Ieſum vere mortuum eſſe, ſed non neceſſe eſt vt homines iſti Docetae fuerint.

Fuerunt etiam et patrum memoria et noſtra aetate, qui putarent, Iohannem in conſcribendo Euan-

gelio ſuo vſum eſſe commentariis Matthaei, Marci et Lucae, atque a caeteris Euangeliſtis omiſſa ſupplere voluiſſe. Hoc conſilium fuiſſe Iohanni propoſitum, ſtatuerunt Clemens Alexandrinus, ap. Euſeb. H. E. 6, 14. 3, 24. Hieron. Catal. Script. eccl. c. 9. Epiphanius L. 2. haer. 51. §. 6. cui ſententiae ſubſcripſerunt, eamque pluribus argumentis confirmare ſtuduerunt *Michaelis* in *Einleit.* Th. 2. §. 161. p. 1168. in *Begräbniſs u. Auferſtehungsgeſch.* Praef. p. 61. *Storrius üb. d. Zweck* etc. p. 246 ſſ. *Schulzius über d. ſchriftſtelleriſchen Charakter u. Werth d. Joh.* p. 194. Sed ipſo Euangelii argumento hanc ſententiam refelli, et ab Euſebio fabulam narrari, accurate docuerunt *Lampius* Prolegg. p. 174 ſſ. *Semlerus* ad *Townſonii Abhandl. über die vier Evangelien* Vol. 1. p. 53 ſſ. *Schmidtius Einleit.* Th. 1. p. 142 ſſ. *Gablerus Journal für auserleſ. theol. Literatur* Th. 3. p. 310 ſſ. add. *Wegſcheiderus* l. c. p. 239 ſſ. Scilicet 1) inter plures Iohannis caeterorumque Euangeliſtarum narrationes varii generis discrepantiae reperiuntur, quod attinet ordinem temporis, quo narrationes ſeſe excipiunt, et narrationes ipſas. Hae quidem diuerſitates rem ipſam neutiquam ſuſpectam et incertam reddunt, nec fidem Euangeliſtarum minuunt et frangunt, et facile earum origo explicari poteſt; attamen Iohannem, ſi ei praeſto fuiſſent reliquorum Euangeliſtarum commentarii, in eo elaboraturum fuiſſe, vt inter illos et librum ab ipſo conſcriptum conformitas deprehenderetur, quis eſt qui negare ſuſtineat? cf. hanc in rem 4, 1. 3. 12, 1 ſſ. coll. Matth. 26, 6. 18, 39. coll.

Matth. 27, 23. 19, 17. coll. Matth. 27, 32. 2) Iohannes porro multas res a caeteris Euangeliſtis enarratas, in Euangelio ſuo quoque commemorauit, v. 1, 19 ſs. coll. Matth. 3, 13. Marc. 1, 9. Luc. 3, 21 ſqq. Ioh. 6, 5 ſs. coll. Matth. 14, 13 ſqq. Marc. 6, 32 ſs. Luc. 9, 11 ſs. Ioh. 6, 16. coll. Matth. 14, 22 ſs. Marc. 6, 15 ſqq. quae quidem repetitio ſuperflua fuiſſet, ſi Iohannes ſupplere voluiſſet, ab illis ſcriptoribus omiſſa. 3) Iohannes denique nusquam ſignificauit, ſe commentarios ſuos conſcripſiſſe, vt a caeteris Euangeliſtis omiſſa ſuppleret, ac ne illo quidem loco ſatis notabili 20, 30. vbi apte et commode trium priorum Euangeliſtarum libros laudare potuiſſet, eorum mentionem fecit, et lectores ſuos ad illos remiſit. — Perquam tamen probabile eſt, Iohannem, qui ex Apoſtolis principibus, et auctoritate prae caeteris inſignis erat, Gal. 2, 9. cognitum habuiſſe atque legiſſe Euangelium illud Syrochaldaicum, ſatis mature, cum adhuc in Palaeſtina verſaretur, ibi conſcriptum, v. *Eichhornii Einleit.* Th. 2. p. 131 ſq. quo caeteri Euangeliſtae in ſcribendis ſuis Euangeliis vſi ſunt, v. Comment. noſtr. in Matth. Praefat. neque tamen ei commentarios ſuos ſcribenti illud ad manus fuiſſe videtur. Quodſi enim ei praeſto fuiſſet, non enarraſſet interdum minus accurate, in archetypo accuratius expoſita vt 19, 17. coll. Matth. 27, 32 etc.

Quod fuerit Iohannis in Euangelio conſcribendo conſilium ipſe ſatis aperte 20, 31. his verbis declarat: ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιςεύσητε, ὅτι ὁ Ἰησοῦς

ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Eo ergo confilio illud confcripfit, vt oftenderet, Iefum effe Meffiam, Dei filium, eique fidem effe habendam. Idem confilium etiam Euangeliftis reliquis propofitum fuit, fed Iohannes alia via et ratione illud perfecutus eft. Nempe accuratius exponere voluit, quantum fieri poffet, lectoribus fuis, Helleniftis atque gentilibus, arctiffimam neceffitudinem quae Chrifto cum Deo intercederet, v. *Schmidtius* l. c. p. 154. Non fcripfit πολεμικῶς, fed perfonam hiftorici egit, fideliter enarrantis, quid Iefus docuerit, qualem fe praefliterit, et profeffus fit; quo lectores fuos ad fidem Chrifto habendam adduceret, in eaque confirmaret. Itaque delectum fecit rerum a Chrifto geftarum, et inprimis orationes ab eo habitas, quae originem ipfius diuinam, coniunctionem cum Deo fublimiorem et dignitatem Meffianam fpectarent, cum lectoribus fuis communicauit, de miraculis autem a Chrifto patratis nonnulla tantum attulit, eaque inprimis tum commemorauit, cum oftendere vellet, quid Chriftus hac vel illa occafione de fe profeffus fit.

§. 6. *Oftendit quibus? quo tempore? et vnde? Euangelium fcriptum fit.*

Iohannis Euangelio manifefta indicia infunt, deftinatum fuiffe hunc librum chriftianis ex Helleniftis et gentilibus. Etenim accurate defcribuntur ritus facri, inftituta, mores Iudaeorum, et fitus locorum,

v. 2, 6. 13. 4, 5. 9. 5, 1. 2. 6, 4. etc. etiam nomina Hebraica explicantur, refpiciuntur porro philofophemata Iudaeorum Alexandrinorum, vid. §. 7. rarius denique in Iohannis libro quam in caeterorum Euangeliftarum libris afferuntur loci e libris V. T. et verfione Alexandrina defumti, nempe quoniam gentilibus hi libri minus noti erant. — De tempore fcriptionis Euangelii diuerfae funt virorum doctorum fententiae. Alii ante excidium Hierofolymitanum, alii poft illud Iohannem commentarios fuos fcripfiffe arbitrantur. Qui Iohannem ante expugnata Hierofolyma, ante a. LXX. fcripfiffe autumant, vt *Bafnagius* ad a. 97. n. 12. *Lampius* Prolegg. T. 1. p. 158. *Lardneri* Supplements Vol. 1. p. 391 fs. v. *Wegfcheiderus* l. c. p. 190. hanc fuam fententiam inprimis ex ipfo libri argumento comprobare nituntur. 1) Provocant nimirum ad Ioh. 21, 24. vbi legitur: *οἴδαμεν ὅτι ἀληθής ἐϛι ἡ μαρτυρία αὐτοῦ.* Pluralis, inquiunt, *οἴδαμεν* aperte docet, hanc fubfcriptionem non habere Iohannem auctorem, fed ab aliis effe profectam, qui ipfi fuiffent fpectatores rerum a Iefu geftarum. Optime ergo intelliguntur comites Iohannis, qui cum eo e Iudaea in Afiam fe contulerant, et adhuc recenti memoria res a Iefu geftas tenebant, quales diu poft tumultus Iudaicos fuperfuiffe, non eft credibile. *Lampius* l. c. p. 159. Sed qui verba illa adiecerunt, poterant etiam alio quam *αὐτοψίας* argumento de veritate Euangelii Iohannis effe conuictiffimi. Conf. praeterea quae notauimus c. 21. init. 2) Laudant locum Ioh. 5, 2. *ἐϛι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύ-*

μοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα· Praefens ἐςὶ adhibitum docere praecipiunt, tunc temporis cum Iohannes haec fcriberet, Hierofolymam nondum fuiffe expugnatam atque deletam. Hoc vero argumentum parum firmum effe, iam recte iudicauit *Michaelis* in *Einleit.* p. 1173. conf. etiam *Eichhornius* in *Einleit.* Th. 2. p. 257. et quae ad Ioh. l. c. notata funt. 3) In medium quoque proferunt locum Ioh. 21, 18 fq. obferuant, memoraffe quidem ibi Euangeliftam Iefu praedictionem de Petri morte violenta, fed non annotaffe praedictioni euentum refpondiffe; recte ergo inde colligi, Iohannem ante Petri mortem et cum Petrus Romae fub Nerone a. LXVII. crucifixus fit, v. *Potti* Prolegg. in ep. 1. Petr. p. 8. ante a. LXVII. Euangelium confcripfiffe. Verum enimuero hac annotatione fuperfedere poterat fcriptor, quoniam fatis notum erat lectoribus Euangelii, Petrum crucis fupplicio affectum fuiffe. Iohannes fi viuente adhuc Petro fcripfiffet c. 18, 10. vbi enarrat, Petrum fica deftricta Malcho, pontificis feruo, aurem abstuliffe, fortaffis aeque ac reliqui Euangeliftae, Petri nomen reticuiffet, v. ad Matth. 26, 49. cf. quoque ea quae fupra §. 1. p. 2. fq. obferuauimus. 4) Monent denique etiam in nonnullis verfionibus antiquis notari, hoc Euangelium ante Hierofolymam expugnatam effe literis confignatum. v. *Lampius* l. c. p. 160 f. At fatis conftat, eiusmodi fubfcriptionibus nullam fidem effe habendam, v. *Michaelis* *Einl.* Th. 2. p. 1171. — Verior ergo omnino eft eorum fententia, qui Iohannem poft euerfam Hierofolymam, circa finem feculi pri-

mi commentarios ſuos exaraſſe contendunt. Iohannes enim poſt a. C. demum LXVII. cum Petrus et Paulus obiiſſent, in Aſiam minorem transgreſſus eſt, et ſtabilem ſedem Epheſi fixit, vid. §. 1. Apocalypſeos librum, cum ex inſula Patmo ad Epheſios rediiſſet, in vulgus edidit, v. Apoc. 1, 9. add. §. 1. extr. Oratio Graeca minus limata et polita, quae in illo libro deprehenditur, ſcriptorem minus exercitatum, nec ſatis idonea linguae Graecae ſcientia inſtructum prodit v. §. 1. extr. Quod vero Euangelium attinet, oratio Graeca cultior et magis polita, ipſa narrandi ratio et ſedatius ſcribendi genus, ſatis euidenter docent, Iohannem cum illud ſcriberet, iam per longius tempus in locis vixiſſe, vbi accuratiorem et pleniorem linguae Graecae ſcientiam ſibi comparare poſſet, eumque fuiſſe aetate prouectum. Atque id ipſum etiam veterum eccleſiae doctorum teſtimonia confirmant, quamquam in conſtituendo ſcriptionis anno variant. Iohannem enim omnium poſtremum ſcripſiſſe Euangelium tradit Euſeb. H. E. 3, 24. ἤδη δὲ Μάρκου καὶ Λουκᾶ τῶν κατ᾽ αὐτοὺς Εὐαγγελίων τὴν ἔκδοσιν πεποιημένων, Ἰωάννην φασὶ τὸν πάντα χρόνον ἀγράφῳ κεχρημένον κηρύγματι, τέλος καὶ ἐπὶ τὴν γραφὴν ἐλθεῖν κ. τ. λ. add. Clemens Alex. ap. Euſeb. H. E, 6, 15. Hieronymus catal. ſcript. eccleſ. c. 9. *Iohannes nouiſſimus omnium ſcripſit Euangelium.* Epiphanio teſte haereſ. 51, 12. Iohannes nonagenario maior μετὰ ἔτη ἐννενήκοντα τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς Euangelium edidit, auctore Suida voc. Ἰωάννης, anno aetatis centeſimo. Annus igitur ſcriptionis Euangelii certo qui-

dem conſtitui nequit, perquam tamen probabile eſt, Iohannem illud, cum aetatis annum octogeſimum exceſſiſſet, literis conſignaſſe. — Quod denique locum ſcriptionis attinet, antiquiſſimi doctores eccleſiaſtici tradunt, Iohannem Epheſi commentarios ſuos conſcripſiſſe, Irenaeus adu. haer. 3, 1. ἔπειτα Ἰωάννης ὁ μαθητὴς τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ ἀναπεσὼν, καὶ αὐτὸς ἐξέδωκε τὸ εὐαγγέλιον ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας διατρίβων· add. Euſeb. H. E. 5, 8. 3, 24. 6, 14. Hieronymus Praefat. in Matth. *Iohannes cum eſſet in Aſia, etiam tum haereticorum ſemina pullularent — coactus eſt, ab omnibus paene tunc Aſiae epiſcopis et multarum eccleſiarum legationibus de diuinitate ſaluatoris altius ſcribere.* Quam quidem traditionem cum ipſum Euangelii argumentum confirmet, vid. §. 7. non audiendi ſunt, qui in inſula Patmo Iohannem ſcripſiſſe profitentur, vt Hippolytus de XII. Apoſtolis, et Pſeudo-Athanaſius Opp. Athanaſ. T. 2. p. 155. v. *Lampius* Prolegg. T. 1. p. 153. *Keilius* ad Fabric. Bibl. Gr. T. 4. p. 774. ed. *Harles.*

§. 7. *De λόγῳ Iohannis.*

Chriſtum a Iohanne Capitis primi verſu primo nominari λόγον, omnis orationis ſeries ſat luculenter docet, coll. v. 4. 7. 10. add. v. 14. vbi diſerte legitur: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν κ. τ. λ. Sed quonam ſenſu, et quanam de cauſſa hoc ipſum vocabulum Iohannes adhibuerit, magnopere disſentiunt inter ſe interpretes. Scilicet plures A) vt

Laurentius Valla in Notis ad h. l. *Beza* ad h. l. *Cramerus* in *Beyträgen zur Beförderung theolog. Kenntnisse*, Th. 1. p. 232. *Moschius* in *Erklärung der Evangg.* Th. 1. p. 289. *Ernestius* in *Neue theol. Biblioth.* B. 3. p. 129 ss. *Tittmanus* in Meletemat. sacr. s. Commentario exegetico-critico-dogmatico in Euangelium Iohannis, Lips. 1816. 8. et in Diss. Iesus Deus et seruator in Euang. Ioh. demonstratus, Viteb. 1778. p. 7. alii, existimarunt abstractum positum esse pro concreto, vt adeo λόγος sit idem quod ὁ λεγόμενος *promissus*, atque respondeat formulae vsitatiori ὁ ἐρχόμενος. Nititur haec interpretandi ratio argumentis potissimum his: a) Messias illis temporibus κατ' ἐξοχὴν dicebatur *venturus*, *promissus*, ὁ ἐρχόμενος, Matth. 11, 3. Ioh. 6, 14. 11, 27. b) Eiusmodi abstracta centies adhibentur pro concretis, veluti σωτηρία pro σωτήρ 4, 22. σωτήριόν et παράκλησις τοῦ Ἰσραήλ Luc. 2, 25. 30 etc. c) Hebraicum vocabulum דבר quod Graeco λόγος respondet, quam saepissime *de promissione* dicitur, et ab interpretibus Alexandrinis expressum deprehenditur vocabulis ἀγγελία et ἐπαγγελία, veluti Prou. 12, 25. vt adeo λεγόμενος sit idem quod ἐπαγγελλόμενος. d) Haec interpretandi ratio Iohannis consilio est maxime consentanea. Versatur enim in eo, vt Iesum, Messiam promissum et exspectatum demonstret, quare quam maxime aptum hoc cognomentum est, praesertim cum Christus ipse, in omnibus sermonibus in hoc libro memoratis, se dixerit patris legatum et patrem mittentem. — Huius interpretationis fun-

damentum *Tittmanus* in Disſ. Ieſus Deus et ſeruator etc. p. 7. et in libro: de veſtigiis Gnoſticorum in N. T. fruſtra quaeſitis, Lipſ. 1773. (quocum libro comparandus *Hornius über die bibliſche Gnoſis*, Hannov. 1805. 8.) ſecutus *Witſium* in Miſcell. Sacr. T. 2. Exercit. 3. §. 18. p. 102. eſſe putat in locis 2 Sam. 7, 21. et 1 Chron. 17, 19. priori loco legitur: בַּעֲבוּר דְּבָרְךָ *propter promiſſionem tuam*, poſteriori: בַּעֲבוּר עַבְדְּךָ *propter ſeruum tuum*. Notant ergo hi interpretes, illis in locis דבר et עבד vſurpata eſſe tamquam vocabula idem valentia, atque vocabulum דבר ab ipſis quoque interpretibus Alexandrinis 2 Sam. l. c. expreſſum eſſe nomine Graeco δοῦλος h. e. *miniſter promiſſus*, praeterea Meſſiam κατ᾽ ἐξοχὴν dici *ſeruum, miniſtrum Dei*, Ieſ. 52, 13. hinc Iohannem vocabulum λόγος eo ſenſu adhibuiſſe, et commode adhibere potuiſſe, vt ſignificaret, *miniſtrum illum Dei in V. T. promiſſum, Meſſiam.* Verum enimuero 2 Sam. et 1 Chron. ll. cc. neutiquam de Meſſia ſermo eſt, auctores autem verſionis Alexandrinae, 2 Sam. expreſſerunt lectionem עבדך quae e loco parallelo 1 Chron. in illum translata fuiſſe videtur. Quod autem attinet interpretationem vocabuli λόγος, vt abstractum poſitum ſit pro concreto, atque *promiſſum* ſignificet, non poteſt idonea ratio proferri, cur Iohannes hoc figurato et inuſitato nomine inſigniuerit Chriſtum, cur eum non τὸν ἐρχόμενον vel ἐπαγγελλόμενον dixerit? imo iam aliunde ſatis cognitum lectoribus Iohannis hoc vocabulum eſſe debuit, cum ſcriptor eo vſus ſit tanquam omnibus

notiſſimo, nulla plane eius explicatione aut defini-tione addita. Rectius igitur huius vocabuli vſus ex aliis fontibus deriuatur, de quibus deinceps di-cendi locus erit.

*

Quare nec probari poteſt eorum ſententia, a priori illa parum recedens, qui ὁ λόγος dictum eſſe exiſtimant pro, ὁ λέγων, ὁ λέγων τὰ τοῦ Θεοῦ, *doctor diuinus*, *interpres*, *orator*, *auctor doctrinae melioris;* quae fuit iam ſententia *Origenis* Comment. in Ioh. p. 41. qui explicat ὁ παραγγελλόμενος τὰ κρύφια τοῦ πατρὸς, et Epiphanii Haereſ. 73. ἑρμηνεὺς τῶν τοῦ Θεοῦ βουλημάτων, v. *Suiceri* Theſ. Eccl. T. 2. p. 259. quos ſecuti ſunt, *Doerderlinius* in Inſtitut. theologi chriſt. T. 1. §. 105. Obſ. 2. *Storrius* in libro *über den Zweck der Evangel. Geſchichte u. der Briefe Johannis* p. 49. *Eckermanus* in *Theolog. Beyträgen* B. 2. p. 1 ſs. *Kühnius* in Spicileg. *Loesneri* Obſſ. ad N. T. p. 56. *Leonh. Ioh. Car. Iuſti* in *Paulus Memorabilien* St. 1. n. 2. Monent huius ſententiae defenſores, etiam φῶς dici pro φαίνων, φωτίζων 1, 4. 5. 7. ὁδὸς καὶ ἀλήθεια pro δεικνύων τὴν ὁδὸν τὴν ἀληθινήν. Obſeruant, λόγος haud raro denotare *doctrinam*, vt Matth. 7, 24. 26. Rom. 9, 6. Hebr, 4, 12. 2 Petr. 5, 5. et in verſione ſeptuagintauirali Prou. 2, 17. Hebr. אלוף per abstractum διδασκαλία redditum eſſe. Prouocant ad Sap. 18, 15. vbi genius coeleſtis, quatenus fuerit legatus Dei, dictus ſit λόγος Θεοῦ, ad Luc. 4, 36. τίς ὁ λόγος οὗτος; ſed haec verba non ſignificant, *quisnam hic do-*

ctor? imo, *quid hoc rei eſt* v. ibi not. Laudant etiam Apoc. 19, 13. vbi Chriſtus nominatur ὁ λό-γος, ſed nec ibi notat *doctorem*, vt contextus docet, eſt enim in antecedentibus ſermo de clade hoſtium Λόγου, nec huic nomini μυϛήϱιον ineſſet, id quod Iohannes ibi diſerte dicit, ſi nonniſi doctorem nota-ret, ergo eodem ſublimiori ſenſu Apoc. l. c. Iohannes vocem ὁ λόγος cepit, quo eam in Euangelii ſerius ſcripti prologo adhibuit, v. *Paulus Kommentar üb. das Evang. Joh.* Erſt. Th. p. 55. nec in vllo anti-quitatis monumento ea praedicata, quae Iohannes τῷ λόγῳ tribuit, appoſita leguntur τῷ λόγῳ h. e. *verbo, ſermoni, doctori, oratori.*

B) 1. Recentiorum interpretum plerique per λόγον intelligendam eſſe praecipiunt *ſapientiam Dei*, ſiue *potentiam et ſapientiam Dei*, *in perſonam muta-tam*, vid. *Telleri Wörterbuch* ſ. v. *Wort. Loeffler* in *kurze Darſtellung d. Entſtehungsart der Dreyeinig-keitslehre*, ad calcem verſionis vernaculae libri *Souve-rainii, Verſuch üb. d. Platonismus der Kirchenväter*, p. 428. *Jeruſalem Nachgelaſſene Schriften* Th. 1. p. 618 ſs. *Paulus* in *Memorabilien* St. 8. p. 114 ſs. (qui tamen ipſe hanc ſententiam reiecit, aliamque propoſuit in *Kommentar üb. d. Ev. Joh.* de qua infra dicetur;) *Schmidt Biblioth. für Kritik u. Exegeſe des N. T.* Th. 1. p. 366 ſs. *Lindemanus* in *Eichhornii Allgem. Biblioth. d. bibl. Literatur* B. 10. p. 886 ſs. *Eckermanus* in *Handbuch für d. ſyſtematiſche Studium d. chriſtl. Glaubenslehre* B. 2. p. 505. *Ammonius* in

Opuscc. Theoll. Nouu. p. 1. sqq. et in *Biblisch. Theologie* B. 1. p. 207 ss. ed. 2. *Ziegler Bemerkungen über das Evang. Joh.* in *Gableri Neuesten theol. Journal* B. 9. p. 17 ss. *Bauerus* in *Biblisch. Theol. des N. T.* B. 2. p. 260. add. *Eichhornii Einleitung in d. N. T.* B. 2. p. 169 ss. [27]). Quo autem demonstrent viri docti, quos iam nominatim induximus, λόγον Iohannis hoc ipso sensu capiendum esse, prouocant ad Ps. 33, 6. Gen. 1, 1. vbi *verbum Dei* (potentia diuina) mundum creasse legitur (v. *Eichhorn Einl.* T. 2. p. 164.); ad Prou. 8, 30. vbi sapientia describitur tanquam Dei adiutrix, in condendis singulis mundi partibus; ad Sap. 9, 1. vbi quoque sapientia dicitur Dei in creando mundo adiutrix fuisse, et consiliorum ipsius conscia, atque vocabula λόγος et σοφία tanquam synonyma iunguntur; verba sunt: Θεὲ πατέρων — ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου, Καὶ τῇ σοφίᾳ σου κατεσκευάσας ἄνθρωπον. Laudant etiam ex libro Siracidis et Sapientiae locos hos: Sir. 1, 4. προτέρα πάντων ἔκτισται ἡ σοφία. 24, 3.

---

27) *Eichhornio* iudice l. c. p. 175. σοφία et λόγος saepius quidem in scriptis Iudaeorum permutantur, sed λόγος latioris significationis est quam σοφία, λόγος est *vis et sapientia Dei*, σοφία autem tantummodo *sapientiam* declarat, et haec vocabula tum demum permutantur, cum tantum de sapientia Dei sermo est. Iohannem ergo vsum esse monet vocabulo λόγος, quod Iesum describere voluerit, non tantum tanquam legatum Dei sapientissimum, sed etiam potentissimum.

vbi ſapientia loquens inducitur: ἐγὼ ἀπὸ ϛόματος ὑψίϛου ἐξῆλθον· v. 8. ὁ κτίσας με — εἶπεν, ἐν Ἰακὼβ κατασκήνωσον. Sap. 7, 25. vbi ea vocatur ἀτμὶς τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής. v. 26. ἀπαύγασμα φωτὸς αἰδίου, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ. Sap. 9, 4. δός μοι τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν. (eadem potentiae in perſonam mutatio deprehenditur 11, 22. τὸ γὰρ μεγάλως ἰσχύειν σοι πάρεϛιν πάντοτε add. 13, 1.) v. 9. καὶ μετὰ σοῦ ἡ σοφία ἡ εἰδυῖα τὰ ἔργα σου. 8, 4. vbi ſapientia nominatur μύϛης τῆς τοῦ Θεοῦ ἐπιϛήμης, καὶ αἱρετὶς τῶν ἔργων αὐτοῦ. v. 6. τίς αὐτῆς τῶν ὄντων μᾶλλόν ἐϛι τεχνίτης. 9, 10. ἐξαπόϛειλον αὐτὴν ἐξ ἁγίων οὐρανῶν, καὶ ἀπὸ θρόνου δόξης σου πέμψον αὐτὴν, ἵνα συμπαροῦσά μοι κοπιάσῃ, καὶ γνῶ τί εὐάρεϛόν ἐϛι παρὰ σοί. 10, 16. εἰσῆλθεν εἰς ψυχὴν θεράποντος κυρίου. 7, 27. κατὰ γενεὰς εἰς ψυχὰς ὁσίας μεταβαίνουσα, φίλους Θεοῦ καὶ προφήτας κατασκευάζει. Monent praeterea inde a cap. 11, 2. auctorem non amplius loqui de σοφίᾳ, ſed inducere Deum ipſum operantem coll. v. 7, 13. ᾔσθοντο τοῦ κυρίου. v. 17. ἡ παντοδύναμός σου χείρ. v. 20. ὑπὸ πνεύματος δυνάμεώς σου. v. 23. ἐλεεῖς δὲ πάντας κ. τ. λ. add. v. 24. 27. atque vel hanc ſubitam mutationem ſubiecti, cum primo σοφία ſubiectum ſit, deinde Deus ipſe, aperte docere, σοφίαν non ſpectari vt ſubſtantiam. Id ipſum, ſapientiam in libro Siracidis non eſſe ὑφιϛάμενον, ſed perſonam fictam,

ostendit quoque *Bretschneiderus* Commentar. in Sirac. Excurs. 3. p. 729 sqq. eam etiam in libro Sapientiae personae forma indutam esse, demonstratum iuerunt *Faber* in Commentat. super libro Sapientiae, Onoldi 1776. 4. et *Hassius* in vers. german. libri Sapient. Ienae 1785. p. 249. v. et infra C.

2. Iam qui per λόγον intelligunt *sapientiam*, s. *potentiam et sapientiam Dei*, cum Iohannes v. 14. inter alia scripserit, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, his ipsis verbis eum respexisse putant philosophemata illorum temporum de emanationibus ex Deo, iisque se accommodasse, vt sub inuolucro significaret, Iesum fuisse cum Deo coniunctissimum, fuisse doctorem religionis summum, a Deo maxime dilectum, ab eoque singulari modo adiutum; alii arbitrantur Iohannem philosophema, de vere emanata ex Deo virtute et cum Christo coniuncta, ipsum credidisse, illudque in prologo Euangelii sui proposuisse, sic *Zieglerus* in *Gableri Neuest. theol. Journ.* l. l. et *Lindemanus* in *Eichhornii Allg. Bibl.* l. l. Scilicet e systemate emanatiuo, quo antiquitus philosophi Orientis creationis modum et mundi origines explicare studuerunt, quodque Iudaeis e Babylonia reuersis non incognitum erat, virtutes diuinae, δυνάμεις, ex Deo tanquam fonte aliquamdiu vere emanant [28]), ita ta-

---

28) Eorum sententiam qui opinantur ex Emanatistarum decretis virtutes diuinas per allegoriam tantum emanare, eos non esse locutos de emanationibus proprie sic dictis, sed significare tantum voluisse virtutis diuinae, Dei,

men, vt ſubſtantia Dei eadem maneat, non mutetur, redeunt deinde ad Deum, nec amplius extra Deum exiſtunt, v. *Bruckeri* Hiſt. crit. phil. T. 2. p. 645 ſs. *Kleuker üb. d. Natur u. d. Urſprung der Emanationslehre bey d. Kabbaliſten* p. 7 ſqq. *Poelitz* Diſſ. de grauiſſimis theologiae ſeriorum Iudaeorum decretis (Lipſ. 1794. 4.) p. 21 ſqq. *Horn üb. die bibl. Gnoſis* p. 339 ſs. *Buhle Geſchichte d. Philoſ.* Th. 1. p. 591 ſqq. *Bertholdt* de Chriſtologia Iudaeorum Ieſu Apoſtolorumque aetate, Erlang. 1811. p. 104 ſqq. Hoc ſyſtemate emanatiuo nitebatur doctrina Cabbaliſtarum. Sicuti autem philoſophemata, quibus deinde Gnoſtici vtebantur, prius cognita fuere, quam ſectae ipſae exiſtere coepiſſent (Gnoſticorum decreta potiſſimum ſeculo ſecundo in vulgus edita ſunt), ſic et decreta Cabbaliſtarum antiquiora ſunt ipſis Cabbaliſtis, iam Iohannis aetate (vt ſtatuunt interpretes, in quorum ſententia exponenda iam verſamur) cognita erant, ſerius tamen magis exornata ſunt, vid.

---

efficaciam atque operationem, docte et accurate refutauit *Süſkindius* in *Magazin für chriſtl. Dogmatik u. Moral* St. 10. p. 45 ſqq. Cabbaliſtas quoque de virtutibus diuinis, quas in perſonas mutabant, vere e Deo emanatis cogitaſſe, eos putaſſe Sephiras vere e Deo eradiaſſe et ſeſe cum Meſſia coniunxiſſe, oſtendit ib. p. 47. etiam Gnoſticorum philoſophemata de aeonibus non pro allegoriis habenda eſſe, ſed Aeonas iis fuiſſe hypoſtaſes, naturas intelligentes, quae vere e Deo emanarint, pluribus probauit p. 38 ſqq. add. *Hornius über die bibliſche Gnoſis* p. 74 ſqq.

Corrodi Krit. Gesch. d. Chiliaſ. Th. 1. p. 41 ſs. *Herder* ΜΑΡΑΝ ΑΘΑ *das Buch von der Zukunft des Herrn* p. 334. *Eichhorn Allgem. Biblioth.* B. 3. p. 206. *Horn* l. l. p. 348 ſs. Cabbaliſtae Sephiras, סְפִירוֹת h. e. virtutes diuinas, (v. *Schoettgenii* Hor. Hebr. T. 2. p. 49.) inter quas eminet *ſapientia*, רוּחַ חָכְמָה (Ieſ. 11, 2. quo loco doctrina de Sephiris nititur), σοφία, λόγος Θεοῦ, tribuebant Meſſiae, ita vt eas e Deo vere emanantes et cum Meſſia ſeſe coniungentes ſibi cogitarent, vid. *Eichhorn über die Perſonification der Eigenſchaften Gottes unter den ſpätern Juden*, in *Allgem. Biblioth. d. bibl. Literat.* B. 3. p. 197. 215. 219. *Loewe, einige Bemerkungen üb. die Sephiroth*, ibid. Th. 5. p. 397 ſs. *Vitringa* de Sephiroth Cabbaliſtarum in Obſſ. Sacr. p. 142. *Schoettgenius* l. c. p. 267 ſqq. *Poelitz* l. c. p. 27. *Ammonius* in Opuſcc. nouu. theologg. p. 8 ſq. Illae Sephirae etiam in Apocalypſi Iohannea, vt plures opinantur, occurrunt, v. *Rheuferdius* de ſtilo Apocalypſeos cabbaliſtico, Opp. Philol. Trai. ad Rhen. 1722. p. 1 ſqq. *Vitringa* l. c. *Eichhornius* l. c. Verbis igitur ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο ex interpretum ſupra laudatorum ſententia Iohannes, Emanatiſtarum Cabbaliſtarumque decreta reſpiciens, declarare voluit, vim et ſapientiam diuinam e Deo, tanquam fonte emanando eſſe profectam, et ſeſe cum Ieſu coniunxiſſe. Ad hunc vſum loquendi confirmandum in medium proferunt locos libri Sapientiae, in quibus Dei ſapientia e Deo exire, animos piorum intrare, eos adiuuare et Dei amicos reddere dicitur 9, 10,

10, 16. 7, 27. vid. *Staeudlinii* theologiae moralis Hebraeorum ante Chriftum hiftoria, Gott. 1794. 4. inferta Commentatt. theoll. a *Velthufen*, *Rupertio* et me editis Vol. 2. p. 380 fq. Hunc vfum loquendi illuftrare nonnulli etiam voluerunt e fcriptis Philonis, Iudaei Alexandrini, A. XX. aut XXV. ante Chrift. nati, quem per λόγον *rationem*, *intelligentiam* fiue *fapientiam Dei* intellexiffe autumant, nec mirandum effe praecipiunt Philonem de ratione f. fapientia diuina in perfonam mutata fatis audacter verba feciffe, cum omnino eius dictio figuris et translationibus audaciffimis fit referta. cf. *Moshemius* in nott. ad *Cudworthi* fyftem. c. 4. §. 36. p. 640 fs. *Souverainius* l. c. p. 92 fs. coll. p. 399 fqq. Append. Sed vid. infra notata fub lit. *C*.

3. Interpretibus, quorum fententiam hactenus expofuimus, praeter alia quae infra memorabimus, opponuntur potiffimum haec: *a*) Senfus formulae ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο non effe poteft, Dei fapientia f. Deus in homine Iefu infigniter efficacem fefe exhibuit. Haec enim profopopoeia duriffima effet, nullo exemplo fimili defendenda et confirmanda, atque a fimplicitate Iohannis prorfus aliena. v. *Storr über d. Zweck* etc. p. 431. add. *Flatti* Commentatio, in qua fymbolica eccl. noftrae de Deitate Chrifti fententia probatur et vindicatur p. 10. 32. *Süfkind* in *Magazin für bibl. Dogm. u. Moral* St. 10. p. 35. Neque comparari poteft cum illa loquendi formula locus Sap. 7, 27. vbi legitur: σοφία κατὰ γενεὰς εἰς ψυχὰς ὁσίας μεταβαίνουσα, φίλους θεοῦ καὶ προ-

φῆτας κατασκευάζει, diuerſa enim eſt ſapientiae ἐνσάρκωσις (ſapientia humanam ſpeciem induit ſibi) a κοινωνία, communicatione ſapientiae, vid. *Süſkind* p. 36 ſq. *b*) Si per λόγον *ſapientia*, vel *vis et ſapientia Dei* intelligitur, languida et frigida oratio Iohannis v. 1 — 3. exiſtit, nec apparet, quomodo ſcriptor ab ineptae loquacitatis et moleſtae in cumulandis tautologiis ſedulitatis crimine defendi ac liberari poſſit, v. *Storr* l. c. *Flattus* l. l. p. 25 ſ. *c*) Non poteſt demonſtrari, iam Iohannis aetate decretorum Cabbaliſtarum ſubtilitates, nominatimque opinionem illam, Sephiras, i. e. virtutes diuinas e Deo emanatas cum Meſſia coniunctas fore, vſitatam et peruulgatam fuiſſe; quodſi etiam concedatur fuiſſe, qui illa aetate hanc opinionem fouerent, ea tamen Iudaeis indoctis incognita erat, neque adeo Iohannes eam in Euangelii prologo reſpicere potuit; etiam loci Apocalypſeos commode aliam explicationem admittunt, vt adeo non contendi poſſit, illo in libro Sephiras occurrere, vid. *Süſkind* l. c. p. 54 ſs. p. 59 ſqq. qui idem docet non poſſe ad demonſtrandam antiquitatem opinionis de Sephiris prouocari ad librum Sohar, de quo vid. *Schoettgenius* Hor. Hebr. T. 2. Praef. §. 13. p. 48 ſqq. 805 ſs. 601 ſs. cum hic liber, etſi contineat decreta Rabbi Ben Iochai, qui exeunte ſeculo I. et ineunte ſec. II. vixiſſe fertur, valde interpolatus ſit.

C) Alii per Λόγον non *virtutem diuinam*, ſed *ſubſtantiam*, ὑπόστασιν, intelligendam eſſe praecipiunt, v. *Morus* in Recitatt. in Euang. Ioh. p. 15 ſqq. *Keilius* de doctoribus vet. eccleſiae culpa corruptae per

Platonicas ſententias theologiae liberandis Commentat. II. p. 89 ſs. *Lange Erklärung des Evang. Joh.* p. 44 ſq. al. Ac *Paulus* quidem, qui ad recte intelligendam vim vocabuli Λόγος in ſubſidium vocandum eſſe cenſet vſum loquendi inter Iudaeos Alexandrinos potiſſimum receptum, nobisque e Philone accuratius cognitum, per Λόγον ſignificari ſtatuit, *naturam intelligentem, e Deo ante mundum conditum emanando profectam, Deo proximam et ſimillimam,* Θεὸν δεύτερον, *Deo ſupremo inferiorem, omnibus tamen geniis ſuperiorem.* v. *Paulus* l. c. p. 91 ſqq. — De ſubſtantia cogitandum eſſe, huius aſſertionis argumentum 1) repetunt *Keilius* l. c. p. 71 ſqq. *Langius*, alii, *ex libris apocryphis* V. T. inprimis Sapientiae atque Siracidis libro, et ex iis demonſtrare volunt, iam ante Chriſti tempora ſententiam de ratione vel ſapientia Dei, mundi condendi atque gubernandi cauſſa ex eo progreſſa, ſubſtantiaeque forma induta, in religionis doctrinam a Iudaeis ſusceptam fuiſſe atque probatam. Sed ſi illis in locis librorum apocryphorum ſupra lit. *B.* 1. laudatis, membrorum parallelismum, omnemque contextum reſpicimus, ſi eos locos, in quibus imagines poeticae proponuntur, cum iis comparamus, vbi auctor verbis propriis vtitur, eiusque oratio ſedatior fluit; ſatis euidenter apparere arbitror, in libris apocryphis, vt in illo loco Prou. cap. 8, 22. non eſſe ſermonem de ſubſtantia extra Deum exiſtente, ſed de virtute diuina, de ſapientia Dei perſonae forma induta, et ex hac ipſa proſopopoeia explicandas eſſe imagines

paulo audaciores interdum adhibitas. Praeter eos quos supra sub lit. *B.* 1. laudauimus, ita ipse quoque *Paulus* iudicauit in *Kommentar* p. 21. 25. 29. 31. — 2) prouocant ad *Chaldaicas librorum V. T. paraphrases*, quo comprobent, Iudaeis Palaestinensibus, Iohannis aetate, dogma illud non fuisse nouum atque incognitum, v. *Keilius* l. c. p. 89 sqq. Nempe vbi in textu Hebraico legitur יְהֹוָה aut אלהים aut ארני, in paraphrasibus Chaldaicis poni solet מֵימְרָא דִי יְהֹוָה *verbum Iouae*, hac vero ipsa voce significari putant interpretes substantiam a Deo genitam. Contra vero *Morus* Comment. in Ioh. p. 20. *Paulus* l. c. p. 9 sqq. *Süskindius* l. c. p. 16 sqq. alii, statuunt, in paraphrasibus istis Chaldaicum vocabulum מימרא vt Hebraeorum שֵׁם, לֵב, נֶפֶשׁ et Rabbinorum עֶצֶם (v. *Deylingius* Obss. Sacr. P. 1. p. 131.) vbique vel loco pronominis reciproci positum esse, vel ita, vt habeat vim explicationis, et notet Deum iubentem, volentem, iussum Dei. Sic Leuit. 26, 30. legitur וְגָעֲלָה נַפְשִׁי אֶתְכֶם, *ego eos repudiabo.* Onkelosus habet: וִירַחֵק מֵימְרִי יַתְכוֹן vbi מימרא respondet Hebr. נפש et vim pronominis obtinet. Gen. 20, 3. pro verbis Hebraicis וַיָּבֹא אֱלֹהִים אֶל־אֲבִימֶלֶךְ Onkelosus et Ionathan vsi sunt verbis his: וַאֲתָא מֵימַר מִן־קֳדָם יְיָ לְוָת־אֲבִימֶלֶךְ *et venit verbum a Deo ad Abimelechum.* Comparant locum Hos. 1, 7. vbi Deus ita loquens inducitur: *et seruabo eos per Iouam* i. per me, ego eos seruabo. Ies. 45, 12. in textu Hebraico est אָנֹכִי עָשִׂיתִי אֶרֶץ. Ionathan habet, אֲנָא בְמֵימְרִי עַבְדֵית אַרְעָא *ego in verbo meo feci terram* i. a me facta est terra, me iu-

bente orta eſt. Deut. 1, 30. מֵימְרֵיהּ poſitum eſt pro הוּא; verba Hebraica ibi ſunt: הוּא יִלָּחֵם לָכֶם (Ioua) *ille pro vobis pugnabit.* Onkeloſus reddidit מֵימְרֵיהּ יְגִיחַ לְכוֹן, add. 31, 21. — Vid. infra *D.* 2. *d.*
3) Praeter libros apocryphos et Chaldaicarum verſionum auctores laudant etiam, v. *Keilius* l. c. p. 76., eiusdem Iudaicae de natura aliqua intelligente a Deo prognata doctrinae teſtem, *Ariſtobulum*, Iudaeum, philoſophum Peripateticum, qui, vt plurimi volunt, Ptolemaeo Philometore regnante vixit, et commentarium in libros Moſis, in quo allegoricam interpretationem ſecutus ſit, ſcripſiſſe fertur, v. *Horn über die bibl. Gnoſis* p. 360 ſs. et *Valckenaerii* diatribe de Ariſtobulo Iudaeo, philoſopho peripatetico Alexandrino edid. *Ioh. Luzac*, Lugd. Bat. 1806. 4. (coll. *Gableri Journal für auserleſene theol. Literat.* B. 5. p. 183 ſqq.) cuius fragmenta reſeruarunt Euſeb. Praepar. Euang. 8, 9. 10. 9, 6. H. E. 7, 32. Clem. Alex. Strom. 1. p. 342. *Sylb.* Cyrill. Alex. Opp. T. 6. p. 134. Lutet. 1638. pluribus tamen argumentis iisdemque haud contemnendis *Eichhornius* in *Allg. Bibl. der bibl. Literat.* B. 5. p. 253 ſs. 280. oſtendit, non poſſe probari vixiſſe illo tempore huius nominis Iudaeum, philoſophum Peripateticum, et Euſebium, Clem. Alex. atque Cyrill. Alex. librum ſuppoſiticium pro Ariſtobuli commentario habuiſſe.

4) Inprimis autem prouocant interpretes illi ad *Philonem*, Iudaeum, philoſophum Alexandrinum, qui decreta eclecticae philoſophiae Graecae, quae tum florere coepit, cum Chaldaicis Iudaeorum Pa-

laeſtinenſium commentis coniungebat, v. *Poelitz* l. c. p. 13. *Horn üb. die bibl. Gnoſis* p. 348. 364. *Bertholdtus* de Chriſtologia Iudd. p. 15. quem eandem ſententiam profiteri veriſſime ſtatuunt. Loquitur nimirum Philo de natura intelligente e Deo emanando progreſſa quam dicit πρεσβύτατον τοῦ Θεοῦ λόγον (T. 1. p. 207.) τόν πρεσβύτερον τῶν γένεσιν εἰληφότων (T. 1. p. 437.) πρεσβύτατον καὶ γενικώτατον τῶν ὅσα γέγονε (T. 1. p. 121.) Deum autem τοῦ λόγου πηγὴν (T. 1. p. 207.) appellat. Inter hunc λόγον et ingenitum patrem, Philone auctore, nulla alia natura interiacet (T. 1. p. 82.), omnibus naturae diuinae copiis eſt ita inſtructa, vt exactiſſimam Dei imaginem referat (T. 2. p. 225.), Deus eo tamquam inſtrumento in condendo mundo vſus fuit (T. 1. p. 106.), mundum et naturas intelligentes creauit (T. 1. p. 431. 630.), mundum etiamnum conſeruat et gubernat, ei regendo a Deo ipſo praefectus (T. 1. p. 562. p. 308.), eo Deus ad homines nuntio et interprete vtitur (T. 1. p. 501.), angelis praeeſt (T. 1. p. 560 ſq. vnde etiam eum ἀρχάγγελον Philo nominat T. 1. p. 501.), probos adiuuat, improbos punit (T. 1. p. 633.), omninoque mediatorem inter Deum et hominem agit. T. 1. p. 501. Conf. qui Philonis decreta de λόγῳ accuratius examinarunt, *Keilius* p. 78 ſqq. *Flattus* in *vermiſchten Verſuchen* p. 248 ſqq. *Stahlius üb. d. Lehrbegriff des Philo*, in *Eichhornii Allgem. Bibl.* B. 4. p. 809 ſs. *Paulus* in *Kommentar* p. 37 ſqq. *Süſkindius* l. c. p. 10 ſqq. *Roſenmüllerus* in hiſtoria interpretationis libror. ſacror. in eccl. chriſt. inde ab App. aetate,

vsque ad Origenem P. 1. Hildburghuſ. 1795. p. 22 ſqq. Huius autem opinionis de λόγῳ ſubſtantia e Deo emanata, Deoque ſimillima, cum eo coniunctiſſima, Philonem non eſſe auctorem habendum, ſed eam a Iudaeis Alexandrinis aetate Philonis iam receptam fuiſſe, contendit *Paulus* l. c. p. 57. excogitatam eam eſſe ſtatuit a Iudaeis Alexandrinis philoſophantibus, quoniam philoſophi gentiles Polytheismum ita defendebant, vt dicerent curam materiae, ſpecialem prouidentiam, immediatam rerum humanarum gubernationem alienam eſſe a maieſtate et puritate Numinis ſummi; eo facilius autem incidere potuiſſe Iudaeos Alexandrinos in hanc opinionem de λόγῳ natura intelligente, cum loco daemonum et deorum gentilium (Act. 14, 11.), ipſi quoque multos genios, et genios tutelares admitterent, cumque Iudaei Palaeſtinenſes de Deo loquentes, circumlocutiones has מימרא די יי ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, חכמה σοφία Θεοῦ adhibere, et ſapientiam Dei in perſonam mutare ſolerent. Prou. 8, 22. v. *Paulus* p. 35 ſq. Duplici ergo ſenſu, vt *Paulus* l. c. p. 53. 58. obſeruauit, Iohannis aetate formula ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ vſurpabatur. Palaeſtinenſes Iudaei, (vt patet e libro Siracidis Iudaei Palaeſtinenſis [29]) et verſionibus Chaldaicis,) quin et ipſe auctor Σοφίας Σαλομῶντος [30]),

29) Sir. 50, 27. Siracidis librum Hebraica ſ. Aramaea lingua conſcriptum ipſius nepos in linguam Graecam transtulit, v. *Bretſchneider* Commentar. in Sirac. Prolegg. p. 9. *Paulus* l. c. p. 21.

30) Qui Iudaeus Alexandrinus erat, et Graece librum conſcripſit, quae eſt haud improbabilis *Haſſii* ſen-

formula ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ita vtebantur, vt esset periphrasis Dei, saepius etiam τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ adhibebant de vi et sapientia Dei in personam mutata. Contra vero Philo et cum eo plures Iudaeorum Alexandrinorum per τὸν λόγον intelligebant substantiam plane singularem, e Deo olim emanando profectam, Deo supremo proximam. Iam cum in Euangelii Iohannei prologo ὁ λόγος non commode significare possit sapientiam Dei i. e. Deum ipsum sapientissimum, quippe quod haec vocis notio neutiquam conueniens sit omnibus prologi partibus, v. supra *B*. 3. *a* sq. in subsidium vocandus est, monente *Paulo* p. 60., vsus loquendi Philonis et Iudaeorum Alexandrinorum. Iohannem autem hunc vsum loquendi sequi potuisse, et secutum esse, his quoque argumentis confirmatur: a) Iohannes per plures annos in Asia minori, inprimis Ephesi commoratus erat, cum Euangelium suum Ephesi conscriberet, Ephesiis autem ob mercaturam multa cum Alexandrinis negotia erant, v. *Schmidt Einleitung in d. N. T.* Th. 1. p. 141. Philonis ergo philosophi Alexandrini philosophemata Iohanni innotescere poterant. b) Scribebat Iohannes in vsum Hellenistarum et christianorum e gentilibus, eo prae-

---

tentia in vers. german. huius libri, v. *Schärfenbergius* in *Fabricii* Biblioth. Gr. T. 3. p. 729. not. cc. ed. *Harles*. *Bruckeri* comment. de vestigiis philosophiae Alexandrinae in libro Sapientiae, quae inserta est Miscell. Berol. T. 6. p. 150. add. *Jahn Einleit. in die göttl. Bücher d. A. T. Wien* 1803. Th. 2. Abschn. 4. p. 948 sqq. *Eichhorn Einleit. in die Apocryph. Bücher* p. 109 sq.

clarius ergo adhibere poterat decreta Philonis philosophi Alexandrini, cum gentiles tunc temporis Platonis dogmata maximam partem sequerentur, (v. *Paulus* p. 66.) cuius doctrina de νοῖ diuino, quem et λόγον dicebat, etsi caeteroquin parum probabile sit, eum de substantia, natura intelligente extra Deum, cogitasse [31]), haud dubie Alexandrinis Iudaeis ansam quoque dedit ad excogitandum opinionem de λόγῳ, natura intelligente e Deo emanata, et contulit ad eam stabiliendam eique auctoritatem conciliandam, v. *Paulus* l. c. Caeterum Iohannes, vt *Paulus* animaduertit p. 65. non propterea doctrinam de Λόγῳ i. e. de natura intelligente plane singulari, e Deo emanata, Deo proxima, admittebat, et hanc naturam cum homine Iesu sese coniunxisse docebat, quoniam Iudaei Alexandrini doctrinam illam de λόγῳ profitebantur, sed propterea, quoniam Christus ipse ea fere ornamenta sibi tribuerat, quae Iudaei Alexandrini τῷ Λόγῳ τοῦ Θεοῦ tribuere solebant.

D) Equidem arbitror, Iohannem, qui vellet ostendere Iesum Messiam sublimiori modo cum Deo arctissime fuisse coniunctum, per τὸν λόγον intellexisse, naturam intelligentem, omnibus geniis et creaturis superiorem, Deo coniunctissimam, ab eo tamen distinguendam, e Deo ante mundum conditum profectam, quae adeo et Deus dici haberique possit et debeat. Scriptorem nostrum, qui Ephesi Euangelium suum

31) Vid. *Tennemann über den göttlichen Verstand aus der Platonischen Philosophie*, νοῦς, λόγος, in *Paulus Memorabilien. Erst. Stück* p. 34 sqq.

literis consignauerit, Philonis vsum loquendi respexisse, lubenter largior, sed probari quoque posse puto, haud inusitatam fuisse etiam Iudaeis Palaestinensibus Christi aetate opinionem hanc: naturam coelestem maiestate et dignitate Deo proximam, in terras venturam, et corpore humano indutam Messiae partes acturam esse. 1) Exspectarant nimirum Iudaei inde a Dauidis temporibus, cum iam labaret et ad ruinam vergeret ipsorum ciuitas, magnum quondam ducem et regem, Messiam, salutis pristinae restauratorem, feliciorisque status reipublicae ipsorum auctorem. vid. ad Matth. 3, 2. Sapientiores autem Iudaei, e Babylonia reduces, salutis pristinae restaurationem viribus mere humanis longe superiorem iudicabant; v. *Bertholdtus* de Christologia Iudaeorum Iesu Apostolorumque aetate p. 98. In Babylonia doctrina Iudaeorum de geniis magis exculta et nouis accessionibus adornata erat. Diuidebant angelos e Babylonia reuersi, in diuersa genera, diuersos ordines et classes, atque cuiuis ciuitati, singulisque hominibus angelos tutelares tribuebant, v. ad Matth. 18, 10. inter alia quoque existimabant, Deum vsum esse comitatu et ministerio angelorum in monte Sinaitico, cum legem promulgaret, v. Act. 7, 53. Gal. 3, 16. Hebr. 2, 2. ibique interpp. Talibus igitur decretis cum vterentur Iudaei Babyloniorum Persarumque pneumatologia imbuti, eos sponte et facile in eam opinionem incidere potuisse, naturam coelestem, e Deo emanatam, (v. supra B. n. 2.) corpore humano indutam, Messiae, seruatoris venturi munus esse suscepturum, quis est qui dubitet? Fouisse

vero etiam Iudaeos poſt exilii tempora hanc ipſam opinionem, ſat luculenter docet locus libri Danielis [32]) 7, 13. vbi Meſſias deſcribitur tanquam natura coeleſtis, forma humana induta, atque in nubibus coeli venire dicitur, v. *Bertholdtus* ad h. l.

2) Ieſu aetate, qua illa opinio de Meſſia, natura coeleſti, magis exculta et exornata erat, dicebant Iudaei *a*) Meſſiam non modo patribus gentis adeoque omnibus hominibus, ſed etiam angelis, quorum varios admittebant ordines, ſuperiorem eorumque dominum, *Ialkut Schimuni* ex libro Tanchuma ad Ieſ. 52, 3. *ecce inſignis erit ſeruus meus, rex Meſſias, elatus, excelſus, et ſublimis valde, elatior Abrahamo: quia ſcriptum eſt de eo: ſuſtuli manum meam ad Iouam* (Gen. 14, 22.); *et excelſior Moſe, quod ſcriptum eſt de eo: dicit ad me: tolle eum in ſinum tuum* (Num. 9, 22.), *nam maior eſt patribus. Bereſchith Rabba* ad Gen. 28, 16. *dicit ſcriptura* (Zach. 4, 7.): *quis tu mons magne? mons hic magnus eſt Meſſias. Et quare vocat eum montem magnum? quia eſt maior quam patres.* — Hebr. 1, 4. *Ialkut Schimuni* l. c. *Meſſias ſublimior eſt angelis miniſterii, ſicut dictum eſt* (Ezech. 1, 18.): *erant ſublimes, ſed eſt ſublimior illis. Sohar* Gen. fol. 88. *de te* (Meſſia) *dicitur* (Pſ. 2, 8.): *oſculamini filium, tu es filius meus. Eſt autem ille Princeps Iſraelis, dominus ſuper inferiora, dominus angelorum miniſterii, filius altiſſimi, filius Dei et habitaculum gra-*

---

32) De cuius libri indole, et aetate ſeriore, v. *Bertholdt Daniel überſ. u. erklärt* Th. 1. p. 49. 76. 92.

tiae; ſtatuebant, eum in coelo verſari angelorum miniſtrantium choro cinctum Matth. 16, 27. 13, 41. 26, 31. quibus in locis Ieſum Chriſtologiae Iudaeorum conuenienter locutum eſſe appoſite animaduertit *Bertholdtus* l. c. p. 131. — *b*) credebant naturam illam coeleſtem, ante mundi initia extitiſſe. Scilicet vulgaris Iudaeorum Chriſti aetate opinio erat, animas olim a Deo procreatas eſſe easque, priusquam corpora humana incedant, verſari in promtuario aethereo, quod in ſcriptis Rabbinorum גוף appellatur, v. *Lightfoot.* Hor. Hebr. et Talm. ad Ioh. 9, 2. *Eiſenmenger entdeckt. Iudenthum* Th. 2. p. 12. *Bertholdt* l. c. p. 135. Etiam Philo ſedem animarum in aëre collocat, v. *Stahl üb. Philos. Lehrbegriff*, in *Eichhornii Allgem. Biblioth.* B. 4. p. 853. [33]). Tri-

---

33) Hebraeos antiquiores iam ſtatuiſſe, animas, priusquam humanis corporibus iungantur, in Orco verſari, probare voluerunt nonnulli e locis Iob. 1, 21. Pſ. 139, 15. Cohel. 3, 20. v. *Ammon über das Todtenreich der Hebr.* in *Paulus Memorabilien* St. 4. p. 194 ſs. *Ziegler theolog. Abhandll.* B. 2. p. 210. *Zobel Magazin für bibl. Interpretation* St. 1. Abh. 1. p. 75 ſs. (coll. *Gabler Iournal für auserleſ. theol. Literat.* B. 4. p. 626 ſq.) Sed illis in locis ne ſermo quidem eſt de praeexiſtentia *animarum* (quod tantum ſeriorum Iudaeorum decretum fuit, cf. not. ad 9, 2.). vid. *Dathius* ad Pſ. l. c. et *Knappii* verſ. german. ed. 3. *Serz* figmentum de animo humano ante ſubter terra exiſtente quam corpori coniungeretur Ebraeis falſo tribui, Norimb. 1792. 4. *Keilius* de doctoribus vet. eccl. culpa corruptae per Platonicas ſententias theologiae liberandis Commentat. XI. Lipſ. 1801. 4. p. 6 ſs. *Cramer* Diſſ. Praeſide *Winzero* defenſa — doctri-

buebant ergo naturae illi coelesti, quam omnibus hominibus, omnibus coelitibus superiorem putarent, praeexistentiam προϋπαρξιν, et quidem apud Deum, e quo emanasset vel procreata esset, ante mundum conditum [34]). *Nezach Israel* c. 35. fol. 48. col. 1. משיח מפני תוהו *Messias erat iam ante Tohu* (Gen. 1, 2.) i. e. ante mundi initia, v. *Schmidtii Biblioth. für Kritik u. Exeg.* Th. 1. p. 38. — c) cuius coelestis naturae ministerio Deum in creando mundo vsum esse putabant. Opinabantur nimirum, Deum in caussis solennibus, cum singularem suam declarat praesentiam, comitatu angelorum vti, atque per angelos tanquam auctores secundarios legem fuisse latam; cumque Messiam omnibus geniis coelestibus superiorem, Deo proximum, et ante mundum conditum extitisse putarent; hinc statuebant, eius ope et ministerio mundum esse creatum. (Ebr. 1, 1.) *Sohar* 1.

---

nae Iudaeorum de praeexistentia animarum adumbratio et historia, Viteb. 1810. 4. qui et recte p. 21. locum libri apocryphi Esdrae 4, 36. (v. Fabricii cod. pseudepigr. V. T. Vol. 2. p. 174.) non de receptaculo animarum, quae priores sint corporibus, sed de sede animarum in Scheol, corporibus morte solutarum, intelligit.

34) Rabbini quidem plerumque de praeexistentia *nominis* Messiae loquuntur, v. *Schöttgen.* Hor. Hebr. ad Matth. 2, 6. Luc. 1, 31. *Wetstenius* ad Ioh. 17, 5. et recte quidem, natura enim illa coelestis tum demum proprie Messias dici poterat, postquam in has terras venerat, se cum Iesu coniunxerat. Loqui ergo poterant de praeexistentia nominis Messiae, et de praeexistentia Messiae, h. e. naturae inter coelites eminentissimae, a qua Messiae munus suscipiendum erat.

fol. 128. ad Gen. 49, 11. *Scriptum est* (Gen. 1, 2.) *spiritus Dei incubabat aquis. Spiritus is est regis Messiae. Bereschith Rabba* T. 2. p. 5. hic (רוח אלהים Gen. 1, 2,) est spiritus regis *Messiae.* — *d*) huic naturae coelesti assignabant etiam praecipuas partes in mundo gubernando, eumque patronum gentis Israelitarum Deo carissimae, diuinitus constitutum autumabant. Fuisse nimirum illo tempore communem Iudaeorum persuasionem, Deum incorporeum esse, vel docet locus Ioh. 1, 18. vbi haec sententia: Deum nemo vnquam vidit, tanquam satis nota proponitur. Iam cum illa aetate naturam coelestem Deo proximam Messiae partes suscepturam esse putarent Iudaei, cum genios tutelares admitterent: locos V. T. apparitiones Dei memorantes, (quibus in locis antiqua cogitandi et loquendi simplicitas regnat, aut picturae poeticae virtutum diuinarum proponuntur,) proprie quidem capiebant, sed de apparitionibus Messiae interpretabantur, v. *Ziegleri Erläuterung der Stelle Ioh.* 8, 12. in *Henkii Museum für Kirchengesch. Exegese u. Religionsphilos.* B. 5. p. 247 ss. eum Dei ministrum in gubernando mundo habebant, ad eumque referebant omnia quae a mundi primordiis a Deo in cultorum suorum salutem gesta traduntur. Hanc fuisse Iudaeorum illius aetatis opinionem, pluribus versionum Chaldaicarum locis comprobari potest, quae si vel maxime recentioris sint aetatis [35]), recte tamen ad antiquiorum etiam Iudaeorum sententias cogno-

---

35) Vid. *Eichhornii Einleit. in d. A. T.* Th. 1. §. 213. 222. coll. 210. qui ibi ostendit, Onkelosi paraphrasin, re-

fcendas poterunt adhiberi, cum fuarum opinionum Judaei femper fuerint tenaciffimi, vt vere iudicarunt *Keilius* de doctoribus etc. Comment. II. p. 89, *Bertholdtus* l. c. p. 129. alii. E pluribus autem locis hos attuliffe fufficiat: *Onkelof.* Num. 23, 21, Verbum Iouae *adiuuat illos et Schechina Regis illorum eft inter eos.* — *Targum Hierof.* Verbum Iouae *eft cum illis et vociferatio a gloria regis illorum protegit illos.* — *Pfeudo-Ionath.* Verbum Iouae, *Dei ipforum, eft illis auxilio et iubilum regis Meffiae vociferatur inter illos.* — Refpicit haec triplex interpretatio opinionem illam, Meffiam Ifraelitis Arabiae deferta peragrantibus comitem fe adiunxiffe non confpicuum. Patet autem ex hoc loco, interpretes *Verbum Iouae,* et *Meffiam* et *Schechinam* i. e. maieftatem, gloriam Dei, v. *Buxtorfii* Lex. Talm. p. 2493. pro vno eodemque habuiffe. Id quod confirmat etiam locus Ionathanis Iudd. 6, 11 ff. vbi qui v. 11. vocatur *angelus Dei*, v. 12. et 16. dicitur *Verbum Dei*, et v. 13. *Schechina Dei.* — *Onkelof. Deut.* 1, 32. 33. *non credi iftis* Verbo Iouae, *Dei veftri quod ductor fuit coram vobis in via.* *Targ. Hierof.* Deut. 26, 17. 18. Verbum Iouae *regem conftituiftis fuper vos hodie, ut fit vobis in Deum.* *Verbum vero Iouae conftituit fe in regem fuper vos nomine fuo, ut fitis ipfi populus dilectus, veluti peculium.* Gen. 7, 16, vbi de Noacho fermo eft: Onkelofus: *et protexit ipfum Deus per* Verbum *fuum.* Ionathan: et *pepercit ipfi* Verbum

---

liquarum antiquiffimam, circa annum p. C. N. 300. confectam effe.

Dei. Targ. Ion. Ief. 16, 1. *Asportent dona Meffiae Ifraelitarum, qui robuftus erit, propterea quod ifte in deferto fuit rupes ecclefiae Zionis.* Targ. Ion. Num. 21. 5. 6. 7. *et cogitauit et locutus eft populus contra* Verbum Iouae *et contendit contra Mofen, dicens: quare adfcendere feciftis nos ex Aegypto, vt moriamur in deferto? quare non adeft panis et aqua? Propterea immifit* Verbum Dei *in populum ferpentes regulos et momorderunt populum. Et venit populus ad Mofen et dixit: peccauimus, quoniam cogitauimus et locuti fumus* contra Schechinam Iouae *et contra te contendimus.* Alios plures huius generis locos vid. ap. *Schoettgenium, Keilium, Zieglerum* et *Bertholdtum* ll. cc. add. locum fupra n. 2. a. e libro Sohar laudatum, et Sohar fol. 45. 2. ad verba Ief. 2. 19. et venient in fpeluncas rupium, et fiffuras petrarum, a facie terroris Domini; *haec eft Schechina, quae ab illo tempore et poftea exaltabitur, et Meffias eft cum ea.*

3) Ita autem, vt hactenus oftendimus, Chrifti aetate, complures Iudaicorum doctorum de Meffia cogitaffe [36]), etiam inde, vt opinor, patet, quo-

---

36) Haud negauerim fuiffe etiam illo tempore inter doctores Iudaicos, qui Meffiam defcriberent, hominem, quocum vis e Deo emanata, coniuncta effet. Nitebatur haec eorum opinio, a Cabbaliftis ferius exculta, inprimis locis Prou. 8. et fimilibus in libro Siracidis atque Sapient. occurrentibus; quamquam his in libris non eft de Meffia fermo, locus enim Sir. 48, 10. adulterinus eft. v. ibi *Bretfchneiderus.* Plures quoque Iudaeorum, inprimis de plebe, Meffiam fibi cogitaffe, tanquam merum hominem, fingulari tamen auxilio Dei adiutum, e doctrina Ebionitarum

niam primores Iudaeorum, cum Iesus de sua intima cum Deo coniunctione loquebatur; cum se in coelum, vnde venisset, rediturum esse docebat; atque se Abrahamo maiorem et priorem profitebatur; non opponebant, talia ne de Messia quidem praedicari, sed Iesum vel irridebant, vel *βλασφημίας* accusabant, vid. 8, 59. 6, 42. 7, 35. 5, 19 ss. 30 ss. 10, 37 sq. add. not. ad 1, 15. 20. adiuuatur haec sententia nostra etiam eo, quod illo tempore inter Iudaeos erant, qui opinarentur, Messiam non in Iudaea natum, et ab incunabulis piis votis salutatum, atque honoribus publicis ornatum, sub eorum oculis ad aetatem maturiorem peruenturum et Messiae munus suscepturum esse, sed iam adultum et inopinato insigni splendore cinctum, proditurum esse [37]), vid. not. ad 7, 27. quae eorum opinio haud dubie nitebatur locis Dan. 7, 13. Mal. 3, 1 sqq. Neque enim omnibus omnino Iudaeis communem fuisse opinionem hanc, Messiam e familia Dauidica oriundum esse, et Bethlehemi natum iri, sed varias eos de Messia

---

et Nazaraeorum patet, quos Iesu dignitatem diuinam denegasse, eique mere naturam humanam tribuisse, constat. v. *Bertholdtus* l. c. p. 94 f. p. 91.

37) Sohar Ex. fol. 11. *Apparebit columna ignea a summo ad imum pertingens, per quadraginta dies, quam omnes mundi populi contemplari poterunt. Atque hoc tempore reuelabitur rex Messias egrediens ex horto Eden. Reuelabitur autem in terra Galilaea, quoniam illa erat locus primus, qui deuastabatur in terra sancta, quam ob caussam reuelabitur ibi primum prae cunctis locis.*

eiusque perſona fouiſſe ſententias, exinde quoque elucefcit, quoniam Herodes, auctore Matthaeo 2, 4 ſqq. ſynedrium magnum conuocauit, vt ex eo cognoſceret, vbi Meſſias naſci deberet. Si inter omnes conſtitiſſet, Meſſiam natum et quidem Bethlehemi natum iri, non opus fuiſſet conſultatione totius ſynedrii.

4) Chriſtus ipſe cum his in terris verſaretur, ſaepius, vt Iohannes refert, de ſua dignitate eximia, praeexiſtentia, et interiori cum Deo coniunctione locutus erat, atque ea fere ſibi tribuerat ornamenta, quae Iudaei Meſſiae tribuere ſolebant. Ioh. 8, 58. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγὼ εἰμί. 17, 5. δόξασόν με — τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί. 6, 62. ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν πρότερον. 3, 13. οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. 6, 46. οὐχ ὅτι τὸν πατέρα τις ἑώρακεν, εἰ μὴ ὁ ὢν παρὰ τοῦ Θεοῦ, οὗτος ἑώρακε τὸν πατέρα. 8, 14. οἶδα πόθεν ἦλθον καὶ ποῦ ὑπάγω. v. 42. ἐγὼ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω. 16, 28. ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον, καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα. 10, 30. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν.

5) Iohannes e narrationibus aliorum plura decreta philoſophiae Alexandrinae atque Philonis cognouerat [39]). Inter Philonis decretum de Λόγῳ et no-

38) Parum probabile eſt, Iohannem ſcripta Philonis aliorumque illius aetatis philoſophorum legiſſe. Quodſi

tiones, quas ſibi Palaeſtinenſes quoque Iudaei de Meſſia formarant, ſimilitudo intercedebat, et Chriſtus ipſe ea fere de ſe praedicauerat, quae Philo et Iudaei Alexandrini philoſophantes de Λόγῳ praedicare ſolebant. Iohannes igitur, et ipſe Palaeſtinenſis, vt iis, quibus Euangelium ſuum deſtinarat, illa Chriſti dicta, quantum fieri poſſet, illuſtraret, decretum Philonis de Λόγῳ reſpiciens, hoc ipſum vocabulum adhibebat, atque in Chriſtum transferebat, ita, vt per Λόγον intelligeret, ſicuti ſupra notauimus, naturam intelligentem, Deo coniunctiſſimam, ante mundum conditum exiſtentem, omnibus geniis et creaturis ſuperiorem, atque non philoſophica ſubtilitate, ſed populariter doceret, hunc Λόγον eſſe hominem factum, cum Ieſu ſeſe coniunxiſſe. Hac interpretatione vocabuli Λόγος admiſſa, quae ſimplicitati Iohannis conuenientiſſima eſt, prologus Euangelii cum Euangelio ipſo, cum variis enuntiationibus, quae Chriſtum de ſua dignitate coeleſti Iohannes protuliſſe refert, mirifice conſentit; conſentit et haec Iohannis doctrina cum Pauli de Chriſto doctrina, v. 1 Cor. 15, 47. Phil. 2, 6. 2 Cor. 4, 4. (Hebr. 1, 3.) Eph. 4, 9 ſſ. al. conf. *Meyer Entwickelung des Pauliniſchen Lehrbegriffs* p. 91 ſqq. 367 ſqq.

---

enim haec ſcripta ipſe legiſſet, plura alia ſtudii philoſophici veſtigia in ipſius libris deprehenderentur, atque interiorem linguae Graecae ſcientiam Iohannis ſcripta proderent, v. *Horn üb. bibl. Gnoſis* p. 406.

CAPVT I.

1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος] *initio rerum, ante mundum conditum extitit Logos.* ἐν ἀρχῇ scl. τοῦ κόσμου, vt ἀπ' ἀρχῆς Matth. 19, 4. 8. 24, 21. respondet Hebr. בראשית Gen. 1, 1. quem locum Iohannes respexit, vnde et scripsit ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, non ὁ λόγος ἦν ἐν ἀρχῇ. Iam cum h. l. additum legatur ἦν, verba explicari debent, *ante rerum initia* s. *ante mundum conditum*, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι Ioh. 17, 5. πρὸ καταβολῆς κόσμου Eph. 1, 4. quo eodem sensu ἐν ἀρχῇ adhibitum legitur in versione septuagintauirali Prou. 8, 23. vbi accuratius definitur per praecedens πρὸ τοῦ αἰῶνος et sequens πρὸ τὴν γῆν ποιῆσαι. Itaque verbis ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος praeexistentiam τοῦ λόγου, siue Christi, (v. Prolegg. §. 7. init.) ante mundum conditum coll. v. 2. 3. declarari, in promtu est, et Iudaeos eam Messiae tribuisse docuimus Prolegg. §. 7. D. 2. *b.* E plurimorum autem interpretum, cum veterum, tum recentiorum, sententia his ipsis verbis ἐν ἀρχῇ ἦν, non tam praeexistentia ante mundum conditum, quam potius omnino aeternitas τοῦ λόγου significatur, cum Hebraei ita descripserint aeternitatem, vt dixerint, aliquid fuisse initio, ante rerum initia, ante mundum conditum; quam in rem prouocant ad Ps. 90, 2. vbi tamen additum legitur מֵעוֹלָם עַד־עוֹלָם. Contra vero, recte opinor, monuerunt *Schulzius* in *Anmerkk.*, *Langius* ad h. l. alii, aeternitatem, sensu strictissimo et philosophico sumtam, e verbis ἐν ἀρ-

χῇ ἦν, neutiquam elici poſſe; Iudaeos etiam formulis πρὸ τοῦ αἰῶνος et ἀπ᾽ ἀρχῆς, ita vſos eſſe, vt non de aeternitate cogitarent, ſatis perſpicue apparere e locis Sirac. 24, 9. Sap. 7, 25. 26. praeterea Philonem atque Alexandrinos Iudaeos, quorum philoſophema de λόγῳ Iohannes reſpexerit, per τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ intellexiſſe quidem naturam coeleſtem, quae ante mundum conditum extiterit, at e Deo olim emanando profecta ſit, v. *Pauli Kommentar* p. 69 ſs. 463. add. Prolegg. §. 7. — Nonnulli etiam, praeeunte *Artemonio* (*Sam. Crellio*) in libro: initium Euangelii Iohannei ex antiquitate eccleſiaſtica reſtitutum P. 1. c. 1. ἐν ἀρχῇ de *rei chriſtianae initiis*, explicuerunt. Quamquam vero negari nequit, voces ἐν ἀρχῇ et ἀπ᾽ ἀρχῆς Act. 11, 15. Ioh. 15, 27. 1 Ioh. 2, 7. rei chriſtianae initia, initium praedicationis doctrinae chriſtianae denotare; quo minus tamen h. l. eo ſenſu formula ἐν ἀρχῇ accipi poſſit, impediunt ſcriptoris conſilium, v. Prolegg. §. 5 extr., et omnis orationis feries coll. v. 2. 3. 9 ſs. oriretur etiam ſic ſenſus vel maxime frigidus, ſi Chriſtus diceretur fuiſſe tum, cum doctrina ipſius coepiſſet propagari, nec apparet, quare hoc potiſſimum initium intelligatur v. *Titimani* Meletemata. p. 30. καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν] *apud Deum fuit* h. e. in ſocietate et conſuetudine Dei longe beatiſſimus vixit. Scilicet formula *verſari*, *eſſe apud aliquem*, εἶναι πρός τινα, coniunctionem, ſocietatem, familiaritatem indicat, vt Marc. 9, 19. quae eadem notio etiam ineſt formulae infra v. 18. adhibitae ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός· chriſtianis porro hoc nomine dignis non vno in loco librorum N. T. promittitur, eos *fore* aliquando *apud Deum et Chriſtum*, v. Ioh. 14, 2. 3. 12, 26. 17, 24. 1 Theſſ. 4, 17. cuius promiſſionis hunc eſſe ſenſum, eos felicitate ſumma olim perfruituros eſſe, ſat luculenter docent loci: Ioh. 12, 26. extr. Rom. 8, 17. 2 Tim. 2, 12. Chriſtus denique ipſe in precibus illis ſolennibus Ioh. 17, 5. ita loquens inducitur: δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν

κόσμον εἶναι, παρά σοι h. e. *iube me frui ea apud te beatitate, qua apud te gauiſus ſum ante mundum conditum.* v. ibi notata. Ineſt ergo verbis ἦν πρὸς τὸν Θεὸν notio coniunctionis, familiaritatis et beatitatis ſummae. Qui per λόγον potentiam et ſapientiam Dei in perſonam mutatam intelligunt, v. Prolegg. §. 7. B., verba: ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν interpretantur: Deus erat potentia et ſapientia praeditus; laudant Sir. 1, 1. πᾶσα σοφία παρὰ κυρίου, καὶ μετ' αὐτοῦ ἐστιν εἰς τὸν αἰῶνα, vbi v. *Bretſchneiderus:* ib. 5. 6. ἔλεος καὶ ὀργὴ παρ' αὐτοῦ, ſed v. Prolegg. §. 7. B. 3. b. Ineptam *Schlichtingii* Comment. poſthum. in Ioh. 1, 1. Opp. T. 1. p. 5. 73. verborum expoſitionem: Logos, Chriſtus praefinitus erat, Dei decreto, ſatis refutauit *Storrius üb. d. Zweck d. Euangel. Geſch. Ioh.* p. 435 ſq. καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος] *et Deus erat Logos.* Subiectum eſt ὁ λόγος, praedicatum, Θεός, et verba inuerſo ordine poſita ſunt pro, καὶ ὁ λόγος ἦν Θεός, vt in illo πνεῦμα ὁ Θεὸς 4, 24. vid. *Glaſſius* Phil. S. p. 665. Sed in hac enuntiatione explicanda in varias partes discedunt interpretes. Ac plurimi quidem putant his verbis declarari, τὸν λόγον, licet certa quadam ratione a Deo diſtinguendum (ἦν πρὸς τὸν Θεὸν) eſſe eiusdem eſſentiae cum patre, ei eſſe eodem ſenſu, quo patri, nomen Θεὸς tribuendum, eum eſſe ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, et cum patre τὸ ἓν τῆς Θεότητος conſtituere, v. *Lampius* ad h. l. non additum quidem legi articulum nomini Θεός, qui tamen ei alias apponi ſoleat, cum de Deo vero et ſummo ſermo ſit, ſed omiſſum eum eſſe, quo ſignificaretur, Θεὸς eſſe praedicatum; neque articulum discrimen facere, inter Deum patrem et τὸν λόγον, vel inde apparere, quod nomen Θεὸς pluribus in locis, ſine articulo, Deum verum indicet, vt in hoc capite v. 6. 13. 18. 3, 1. 19, 7. 2 Cor. 1, 21. 5, 5. quin et Θεὸς cum articulo, paſſim de Deo falſo vſurpetur, vt Amoſ. 8, 14. viuit ὁ Θεός σου. 5, 26. τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν. — Sed, vt alii ſtatuunt, Iohannes per τὸν λόγον ſignificare voluit naturam coeleſtem a Deo prognatam, ei

proximam et fimillimam, cum eo coniunctiffimam, quae adeo Θεὸς *ein Gott*, dici haberique poffit et debeat. Senfu igitur longe eminentiori, quam quo reges, magiftratus ab Hebraeis dicebantur אלהים, Θεοὶ, Ex. 21, 6. 1 Sam. 2, 25. Pf. 82, 1. 6. 138, 1. Ex. 4, 16. 7, 1. vocabulum Θεὸς adhibuit, et de induftria omifit articulum in voce Θεὸς, id quod vel inde patet, quoniam praeceffit πρὸς τὸν Θεὸν et v. 2. fequitur πρὸς τὸν Θεόν. Neque tamen ea de cauffa articulum omifit, vt oftenderet vocabulum Θεὸς effe praedicatum, nam faepius praedicato aeque ac fubiecto articulus apponitur, vt 2 Cor. 3, 17. ὁ δὲ κύριός τὸ πνεῦμά ἐστιν, conf. *Glaffii* Philol. S. p. 143 fq. fed omifit eum propterea, quoniam ex vfu loquendi Iudaeorum Alexandrinorum et Philonis, Deus fummus et Pater dicebatur ὁ Θεὸς, fed ὁ λόγος fine articulo Θεός. Philo de Somn. Vol. p. 655. *Mang.* τί οὖν χρὴ λέγειν; ὁ μὲν ἀληθείᾳ Θεὸς εἷς ἐστιν· οἱ δ' ἐν καταχρήσει λεγόμενοι πλείους. Διὸ καὶ ὁ ἱερὸς λόγος ἐν τῷ παρόντι (Gen. 31, 13.) τὸν μὲν ἀληθείᾳ, διὰ τοῦ ἄρθρου μεμήνυκεν, εἰπὼν, Ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς, τὸν δ' ἐν καταχρήσει χωρὶς ἄρθρου· φάσκων, ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ, οὐ τοῦ Θεοῦ, ἀλλ' αὐτὸ μόνον, Θεοῦ. Καλεῖ δὲ Θεὸν τὸν πρεσβύτατον αὐτοῦ νυνὶ Λόγον, οὐ δεισιδαιμονῶν περὶ τὴν θέσιν τῶν ὀνομάτων, ἀλλ' ἓν τέλος προςτεθειμένος πραγματολογῆσαι. add. Origenes in Comment. ad h. l. cf. *Rösleri Biblioth. d. Kirchenv.* Th. 2. p. 50. 285. et *Pauli Komment.* p. 76. Cum ergo vocabulum Θεὸς latiori quoque fenfu adhibitum, et ad omnem, fiue dignitatem, fiue naturam fublimiorem relatum fit, atque Iohannes, in hac orationis ferie hoc nomen ita vfurpauerit, vt fimpliciter fcripferit: καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ λόγος non, καὶ ὁ λόγος ἦν ὁ Θεὸς l. καὶ ὁ Θεὸς ἦν ὁ λόγος· verba Θεὸς ἦν ὁ λόγος, illorum temporum lectores non aliter intelligere poterant, quam de natura Deo fimillima eique proxima, a Philone ὁ πρεσβύτατος τοῦ Θεοῦ λόγος dicta, cf. *Mori* Exercitatt. in Eu. Ioh. p. 15 fq. *Paulus* l. c. vnde et perfpici poteft, qui factum fit, vt

Patres priorum feculorum, vsque ad finem feculi III, Iuftinus, Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antioch., Clemens Alex., Orig. per λόγον intellexerint quoque naturam coeleftem, omnibus geniis et creaturis fuperiorem, Deo tamen fummo inferiorem. Sequebantur nimirum vfum loquendi fuorum temporum et auctoritatem Iohannis, vid. *Paulus* p. 79 fqq. *) — Interpretes, quibus ὁ λόγος eft vis et fapientia Dei, verba καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος explicant: Deus ipfe erat potentia et fapientia, erat ei propria 1 Ioh. 4, 9. ὁ Θεὸς ἀγάπη ἐςί. — Nonnulli etiam, praeeunte Photino, poft ἦν interpungendum,

---

*) Pluribus ibi quoque *Paulus* eorum fententiam refutauit, qui contenderunt, in fcriptis Rabbinorum Meffiam Deo fupremo aequiparari, et ipfum Deum fupremum, Iouam nuncupari. Laudant *Echa R.* ad Thren. 1, 16. fol. 59, 2. *Quodnam eft nomen Regis Meffiae? R. Abba f. Cahana dixit: Ioua eft nomen eius fec. Ier.* 23, 6. יְהוָה צִדְקֵנוּ (vbi tamen hoc nomine fymbolico Ifraelitae infigniuntur, et Ier. 33, 15. Hierofolymae id ipfum nomen tribuitur) *quod* dixit R. *Leui: bonum eft ciuitati, fi nomen habet, quod rex, et regi, fi nomen habet quod Deus eius fec. Ezech.* 48. 35. Etiam *Iufti*, qui Dei fauore perfruuntur, et *Hierofolyma*, vrbs fancta, Dei nomine infigniuntur: *Baua Batra* fol. 75, 2. *Tria funt, quae nomine ipfius Dei veniunt* (quibus nomen tribuitur, cui Iouae nomen additum eft), *nimirum Iufti* Ief. 43, 7. Meffias Ier. 23, 6. Hierofolyma Ez. 48, 35. Quo fenfu autem Meffias in Rabbinorum fcriptis nuncupetur יְהוָה צִדְקֵנוּ docet R. *Albo* in Sepher Ikkarim (v. *Schoettgenius* Hor. Heor. T. 2. p. 200. *Scriptura nomen Meffiae vocat Iehoua Zidkenu, quia mediator Dei eft, per quem iuftitiam a Deo accipiemus* (per quem Deus nos ad pietatem ac probitatem excitabit). *Kimchi: Ifraelitae vocabunt Meffiam hoc nomine* יהוה צדקנו *quia temporibus eius iuftitia Dei* (virtus, quam Deus flagitat, non fucata) *nobis firma et ftabilis erit, quae nunquam recedet.* Quod autem attinet locum etiam a *Koppio* ad Rom. 9, 5. laudatum: *Midrafch Mifchle* ad c. 19. fol. 57, 1. *R. Huna dixit: Octo nominibus appellatur Meffias, quae funt Iinnon, Iehouah Zidkenu, Zemach, Menachem, Dauid, Schiloh et Elias*; iam *Schoettgenius* l. c. p. 4. animaduertit, cum verba יהוה צדקנו pro duobus nominibus numerentur, quae tamen reuera non nifi vnum fint, ftatuendum effe, vnum nomen excidiffe, add. *Paulus* l. c. p. 88.

et ὁ λόγος cum v. 2. coniungendum esse praeceperunt; *et Deus extitit.* Sed tunc scribendum fuisset ὁ Θεός, et quam ieiuna ac frigida sententia, hac interpunctione admissa, procedat, doctissimus quisque, vel me non monente, intelligit. *Crellii* s. *Artemonii* temeritas, qui contra omnium codd. verss. et Patrr. auctoritatem legendum esse statuit καὶ Θεοῦ ἦν ὁ λόγος, Logos, doctor ille hominum fuit Dei i. a Deo missus, satis castigata est a *Bengelio* in Apparatu Crit. p. 214 ss. et *Wetstenio* ad h. l.

3. Eadem sententia affirmando et negando exprimitur, ad declarandam rei veritatem, more Hebraeorum, v. Ies. 39, 4. Ier. 42, 4. add. Ioh. 2, 4. 27. Luc. 1, 20. Rom. 9, 1. Eph. 5, 15. 17. neque haec loquendi ratio optimae notae scriptoribus Graecis inusitata est. Eurip. Electr. 1057. καὶ νῦν γε φημὶ, κ' οὐκ ἀπαρνοῦμαι, τέκνον. Sophocl. Antig. 448. καὶ φημὶ δρᾶσαι, κ' οὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή. add. Ioseph. Ant. 18, 9. 6. cf. *Heinsius* Exercitt. Sacr. p. 214. *Glassius* Phil. S. p. 645 s. *Dath.*, *Kypkius*, *Krebsius* et *Loesnerus* ad Ioh. 1, 20. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο] *omnia per eum facta*, s. *creata sunt.* Verba γίνεσθαι et κτίζεσθαι inter se permutantur, vt Iac. 3, 9. et in vers. Alex. Gen. 2, 4. Ies. 48, 7. πάντα omnia quae creata sunt, rerum vniuersitas Apoc. 4, 11. Hebr. 1, 2. Col. 1, 16. infra v. 10. δι' αὐτοῦ *ipsius ope et efficacia.* Obseruant, praepositionem διὰ non significare caussam mere instrumentalem, sed caussam efficientem principalem, λόγον describi tanquam verum Deum, et summum huius vniuersi creatorem, qui ob naturae diuinae communionem, aequalem cum patre potestatem habeat, et propria atque communi cum Deo Patre actione mundum crearit. Notant praepositionem διὰ saepe idem valere quod ἐκ et ἀπὸ, atque adeo δι' αὐτοῦ esse idem quod ἀπ' αὐτοῦ l. ἐξ αὐτοῦ, et διὰ etiam de Deo Patre, creatore, adhiberi Rom. 11, 36. Hebr. 2, 10. cf. *Storrius über den Zweck* etc. p. 457 ss. eiusd. *Lehrbuch der christl. Dogmatik*, *herausg. von Flatt* p. 357. — Contra vero alii animaduertunt, Iudaeos illo tempore statuisse, spi-

ritus Messiani ope et ministerio mundum esse creatum, v. Prolegg. §. 7. D. 2. c. idem Philonem quoque de Λόγῳ praedicasse, de Cherub. T. 1. p. 162. *Mang.* εὑρήσεις — ὄργανον Λόγον Θεοῦ, δι' οὗ κατεσκευάσθη· esse ergo διὰ de caussa instrumentali explicandum vt Hebr. 1, 2. cf. etiam *Oertelii Christologie* Th. 2. p. 631ss. Prorsus autem improbanda est eorum ratio, qui verba, πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, de creatione morali, de institutione et emendatione hominum (πάντα pro πάντες genus humanum, s. maxima pars generis humani) Christo debitae, interpretantur. vid. infra ad v. 10. not. Neque vllo pacto ferenda est alia verborum nostrorum expositio, *omnia propter ipsum creata sunt*, vltima enim verba καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, satis euidenter docent, διὰ vulgari significatu esse capiendum, et caussam efficientem indicare, etiam Hebr. 2, 10. δι' αὐτοῦ et δι' αὐτὸν inter se distinguuntur. καὶ χωρὶς αὐτοῦ κ. τ. λ.] *nec quicquam extitit, quod non ab eo factum sit.* οὐδὲ ἓν emphatice dictum est pro οὐδὲν vt Rom. 3, 10. 1 Macc. 7, 46. e Graecis scriptoribus exempla huius dictionis, qua aliquid factum esse, vel fieri posse, plane negatur, attulerunt *Albertius* ad h. l. *Bosius* Exercitt. in N. T. p. 51. et *Wetstenius* ad h. l. Verba ὃ γέγονεν codd. C*D. L. Vulg. vt et plures e Patrr. Grr. atque Latinis cum verbis v. 4. prioribus copulant, hoc sensu: *omne quod creatum est, per eum vitam accepit*, v. *Wetsten. Griesbach.* et *Beza* ad h. l. arrisit haec interpunctionis mutatio interpretibus nonnullis, inprimis propterea, quod οὐδὲ ἓν saepissime in fine periodi ponatur. Sed nonnunquam etiam initio periodi legitur, vt vel locus Thucydidis 2, 51. docet, quem *Wetstenius* attulit, neque, vt recte *Paulus* monuit, Iohannes scribere potuit, Λόγον omnibus rebus creatis *vitam* dedisse.

4. Creationi physicae per Λόγον effectae, annectit auctor, nouam quandam, eandemque moralem creationem, per eundem Λόγον, in terram delatum, effectam,

ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν] *per eum felicitas contigit*: ἐν αὐτῷ id. qd. δι' αὐτοῦ· frequenter praepofitiones ἐν et διὰ inter fe permutantur, vt 13, 31. Act. 11, 14. Rom. 5, 10. et οἱ ό Hebr. ב expreſſerunt per διὰ Ex. 35, 29. Pſ. 17, 32. al. Vocabulum autem ζωὴ, vt Hebr. חיים, haud raro *felicitatem* notat; et hanc fignificationem etiam h. l. admittendam eſſe, fat luculenter vfus loquendi Iohanni familiaris docet. Saepius enim in prima eius epiftola, nomen ζωὴ hoc modo vfurpatum legitur. Quam in rem inprimis notatu dignus eft locus noftro fimilis 1 ep. 5, 11. ζωὴν αἰώνιον ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεός· καὶ αὕτη ἡ ζωὴ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐςιν, *et haec felicitas per filium ipſius contigit.* Reſpicit praeterea Apoftolus in Prologo voces ac formulas a Chrifto ipfo adhibitas, is autem fe ipfum vocauerat ἄρτον τῆς ζωῆς 6, 33. 35. 51. auctorem ζωῆς, felicitatis 17, 2. τὴν ἀνάςασιν καὶ τὴν ζωὴν 11, 25. Quare improbanda mihi videtur aliorum interpretum fententia, qui vocabulo ζωὴ notionem *vitae* fubftituunt, atque verba ipfa ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν explicant: *in eo eſt vis viuifica, pollet vi vitam conferendi* (hanc vero fententiam fi exprimere voluiſſet Iohannes, haud dubie fcripfiſſet ἐν ἑαυτῷ ζωὴν εἶχε cf. 5, 26.), vel, *ab eo vita omnium viuentium profecta eſt, eſt fons et auctor vitae omnium*; quae fententia iam verbis v. 3. ineft. — Oftenditur nunc, quomodo per τὸν Λόγον felicitas contigerit: καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων] *nam ille felicitatis auctor erat doctor hominum*, per ipfius doctrinam felicitas hominibus contigit. Scilicet ζωὴ et φῶς funt abstracta pro concretis, fignificatur ille ipfe qui felicitatem praebet, et, qui doctrinam tradit, quae metonymia fcriptoribus N. T. admodum frequens eft, v. Eph. 2, 14. 15. Rom. 8, 6. 10. al. Vocabulum enim φῶς vt Hebr. אור Ief. 2, 5. Pſ. 36, 10. perquam frequenter indicat *religionem veram*, quatenus hominum animos illuftrat, ignorantiam depellit, ac felicitatem largitur, v. ad Matth. 4, 16. 5, 14. Luc. 2, 32. atque adeo per metonymiam vt voc. אור Ief. 49, 6. *doctorem* notat, quatenus eft auctor et promotor τοῦ φωτὸς

i. e. religionis verae. Esse autem hoc sensu, nostro loco, vocabulum Φῶς capiendum, docent ea quae sequuntur. Nam v. 5. legitur; καὶ τὸ Φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ Φαίνει. v. 9. τὸ Φῶς ὃ Φωτίζει πάντα ἄνθρωπον. v. 11. οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. v. 12. ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν — τοῖς πιςεύουσι εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ· eodemque sensu Christus ipse se appellauit Φῶς Ioh. 8, 12. ἐγώ εἰμι τὸ Φῶς τοῦ κόσμου. 9, 5. ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ, Φῶς εἰμὶ τοῦ κόσμου. 12, 35. περιπατεῖτε ἕως τὸ Φῶς ἔχετε, ἵνα μὴ σκοτία ὑμᾶς καταλάβῃ, add. 3, 19. vid. et not. infra ad v. 7.

5. καὶ τὸ Φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ Φαίνει] *lux lucebat in tenebris*, omissa imagine, doctor ille hominibus in ignorantia versantibus, doctrinam suam tradidit. Etenim σκότος, σκοτία, *tenebrae*, sunt perpetua in literis sacris imago inscitiae, ignorantiae, et inde oriundae miseriae, vt Ies. 9, 1. Matth. 4, 16. Act. 26, 18. al. est autem rursus abstractum positum pro concreto, et σκοτία est idem quod ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ Eph. 4, 18. vt σκότος Eph. 5, 8. positum est pro τέκνα σκότους, cum ibi opponantur τέκνα Φωτός. Praesens Φαίνει vim aoristi obtinet, id quod vel sequens κατέλαβε docet. Verba quae sequuntur καὶ ἡ σκοτία οὐ κατέλαβεν, cum imago petita sit a luce, a sole (אוֹר, Φῶς, v. ad Matth. 17. 2. *Elsnerus* ad Ioh. 1, 4. 9.), reddi debent: *sed* (καὶ vid. Index Comment. in Matth.) *tenebrae non comprehendebant s. excipiebant lucem*, *lucis radios*, lux per tenebras penetrare, eas dispellere non poterat, h. e. si sensum spectamus, doctorem illum insignem non admittebat, repudiabat, maxima pars hominum, qui in ignorantia et miseria versabantur. Intelligi enim haec verba debere de maxima parte hominum, e v. 12 s. planissime patet, et saepius indefinite enunciatur, quod magnae parti conuenit. Sensum autem, quem verbis substituimus, confirmant ea quae leguntur v. 10. ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. v. 11. οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον, et locus 3, 19. καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος

ἡ τὸ Φῶς. Neutiquam igitur adſtipulari poſſum interpretibus iis, qui verba noſtra reddenda putant: *nec tenebrae opprimere potuerunt lucem*, quo ſenſu καταλαμβάνειν apud Herodotum 1, 46. 2, 162. legi, *Raphelius* ad h. l. obſeruauit. Huic enim interpretationi non fauent loci Iohannei laudati, e quibus patet, vt *Wolfius* in Curis ad h. l. monuit, h. l. non tam exprimi, quid tenebrae in Chriſtum molitae ſint, aut moliri potuerint, quam potius quid Chriſtus in tenebras molitus ſit.

6—8. Quo planius perſpiceretur, quinam hactenus deſcriptus eſſet, in altera prooemii parte, v. 6—9. affertur iam teſtimonium a Iohanne Baptiſta, de Chriſto, nouae et purioris doctrinae auctore exhibitum. ἐγένετο ἄνθρωπος, ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης] *extitit quidam legatus diuinus, cui nomen Iohannes.* Poſt ἄνθρωπος comma ponendum, nec ἐγένετο cum Chryſoſtomo referendum ad ἀπεσταλμένος, quaſi ἐγένετο ἀπεσταλμένος dictum ſit pro ἀπεστάλη, quae periphraſis dura et inſolens eſt, vt recte obſeruarunt *Beza*, *Elſnerus* et *Palairetus* ad h. l. Voce autem ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ alluditur ad Mal. 3, 1. v. Matth. 11, 10. ibique not. add. Ioh. 3, 28. αὐτῷ poſitum eſt pro ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, ex Hebraeorum loquendi ratione, v. *Storrius* in Obſſ. ad Anal. et Syntax. Hebr. p. 119. *Vorſtius* de Hebraismis p. 543. ed. *Fiſch*, etiam Graecos eodem modo loqui, et pronomen demonſtratiuum pro relatiuo vſurpare ſolere, exemplis pluribus comprobarunt *Raphelius* Obſſ. Herodo. et *Kypkius* ad h. l. Ἰωάννης vid. ad Luc. 1, 13. — 7. οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν κ. τ. λ.] *prodiit* (de verbo ἔρχεσθαι v. ad v. 9.) *ille* (legatus diuinus, ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ) *vt doceret de illa luce, quo omnes, eius opera, ad fidem* luci *habendam perducerentur:* μαρτυρεῖν idem valet quod διδάσκειν, *docere, inſtituere*, vt 15, 26. 27. 14, 26. Per τὸ Φῶς autem h. l. vt v. 4. 5. Chriſtum ipſum, doctorem ſummum, intelligi debere, non v. 4. 5. intelligentiam hominum naturalem et

v. 7. omnino intelligentiam, cognitionem, vt *Paulus* voluit, extra omnem dubitationem pofitum eft. Etenim hoc nomine Chriftus ipfe, non femel, fed faepius, fe infigniuit, v. 8, 12. 9, 5. 12, 35. 46. refpexit autem, vt iam fupra obferuauimus, Apoftolus voces ac formulas a Chrifto ipfo adhibitas; notauit porro v. 8. Euangelifta, Iohannem non fuiffe τὸ Φῶς, fed de eo edocere debuiffe homines, infra autem v. 23. 26. 27. add. 3, 27 fs. 5, 33 fqq. Iohannes legitur edocuiffe homines de Chrifto; coniunxit denique fcriptor pronomen mafculini generis αὐτὸς cum nomine neutrius generis Φῶς v. 10. 11. 12. idque non alia de cauffa, quam quoniam per τὸ Φῶς intelligebat Chriftum, cf. de hac enallage generis *Storrius* Opufcc. Ind. Vol. 3. p. 379. *Elfnerus* ad Matth. 28, 19. et nos ad Marc. 5, 41. Itaque vfus loquendi, omnisque orationis complexus et feries, atque ipfa interpretationis conftantia flagitant, vt voc. τὸ Φῶς v. 4. 5. 7. et 9. eodem fenfu accipiamus, et ad Chriftum, doctorem fummum, auctorem et promotorem religionis verae referamus. πιστεύσωσι nempe τῷ Φωτὶ vt fectatores fierent illius doctoris diuini, eum Meffiam agnofcerent, eiusque doctrinam fuſciperent. δι' αὐτοῦ *per eum*, ad Iohannem referri debet, a Iohanne praeparati, admoniti, excitati. — 8. οὐκ ἦν ἐκεῖνος κ. τ. λ., *non ipfe*, Iohannes, *erat ille doctor infignis*, *fed ideo tantum venerat*, *doctor prodiit*, *vt de illo homines edoceret*, erat doctoris illius fummi praeco et nuntius. Poft ἀλλὰ repetendum eft ἦλθε.

9. ὁ Λόγος, quem inde a v. 4. Euangelifta, auctorem doctrinae purioris, religionis verae defcripferat, atque τὸ Φῶς nominauerat, h. l. ab eo vocatur τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν h. e. doctor perfectiffimus, praeftantiffimus, prae aliis omnibus, qui vnquam homines edocuerunt, hoc nomine dignus. Nempe ἀληθινὸν dicitur *id quod ita eft*, *vti effe debet*, *quod fuo nomine dignum eft*, vel ratione eorum, quae omnino eiusmodi nomine indigna fiunt, vt 1 Theff. 1,

9. vbi Θεὸς ἀληθινὸς opponitur τοῖς εἰδώλοις, vel ratione habita eorum, quae ſenſu minus perfecto, praeſtanti, ac ſublimi ſic appellentur, adeoque *praeſtantiſſimum*, *perfectiſſimum*, vt h. l. Ioh. 6, 32. τὸν ἄρτον τὸν ἀληθινὸν, *cibum praeſtantiſſimum;* 15, 1. ἐγώ εἰμὶ ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ, *vitis praeſtantiſſima:* 4, 29. ἀληθινοὶ προςκυνηταὶ, *cultores Dei hoc nomine digni.* Xen. Exp. Cyr. 1, 9. 10. ἀληθινὸν ϛράτευμα, *exercitus qualis eſſe debet, qui vere dici meretur exercitus* i. praeſtantiſſimus. v. *Raphelii* Obſſ. Xenophh. ad Ioh. 15, 1. ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον] quae vera lux *omnes homines illuſtratura.* Verbum φωτίζειν, vt Hebr. האיר Pſ. 19, 9. admodum frequenter ita adhiberi ſolere, vt ſit *docere*, tralatitium eſt, v. Eph. 1, 18. 3, 9. Hebr. 6, 4. add. 2 Regg. 12, 2. vbi Alexandrini interpretes verbo הורה expreſſerunt φωτίζειν, vt Aquila Ex. 4, 12, Pſ. 119, 33. Iam cum verba ſaepius ſimpliciter ponantur, ita, vt voluntatem indicent, vt Luc. 1, 59. ἐκάλουν *nominare volebant.* add. 4. 42. 5, 6. Ioh. 8, 27. cum praeſens haud raro vim obtineat imperfecti l. aoriſti, v. 1 Ioh. 3, 7. 2, 29. 4, 17. 3, 5. add. *Heumani* Poecile T. 3. p. 199 ſs. et h. l. praeceſſerit ἦν· nonnulli interpretes verba φῶς — ὃ φωτίζει explicanda putarunt, *quae lux illuſtrare*, qui doctor edocere, *volebat, ſtudebat.* Sed languida et frigida ſic procedit ſententia. Rectius alii φωτίζει pro futuro poſitum eſſe ſtatuunt, vt ὃ φωτίζει idem ſit quod ὃ ἔμελλε φωτίζειν *quae illuſtratura erat.* Hebraei enim de re certo futura praeſentibus vti ſolent, v. Marc. 9, 31. *Glaſſius* Phil. S. p. 308. *Dath.* quae loquendi ratio etiam ſcriptoribus Graecis vſitata, vid. *Fiſcherus* Animaduu. ad Weller. Vol. 3. P. 2. p. 53 ſq. et Iohanni frequens eſt, v. 6, 14. 11, 27. 16, 28. 17, 11. Per πάντα ἄνθρωπον non tantum Iudaei, ſed omnino homines ſignificantur, et reſpexit Iohannes ad vim doctrinae chriſtianae mentes hominum verae cognitionis lumine imbuendi, etiamnum inter homines operantem, et porro operaturam. Dixit enim ſupra v. 4. Chriſtum τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, neque Chriſti reli-

gio Iudaeis tantum destinata erat, v. ad Matth. 10, 5. *ἦν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον*] *in has terras ventura erat.* Formulam *ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον* ex Hebraeorum, Rabbinorum potissimum vsu loquendi, בוא בעולם, *nasci, in vitam prodire, γεννᾶσθαι*, v. *Drusius* Praeteritt. ad h. l. *Schoettgenius* Horr. Hebrr. T. 1. p. 322 ss. *Vorstius* de Hebraism. p. 713. ed. *Fischer. Leusdenius* de Dialect. N. T. p. 147. illustrandam putat *Schottus* in Comment. exeget. de loco Eu. Ioh. 1, 9 — 14. Lips. 1805. 8. p. 12. adeoque verba *ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον* interpretatur: *inter homines extiturus, vitam inter eos acturus, ipse humana natura indutus*, atque huic formulae sublimiorem praeexistentiae Christi notionem adhaerere statuit. Equidem tamen arbitror h. l. non tam ad illam supra v. 1. 2. 3. laudatam praeexistentiam *τοῦ Λόγου* respici, quam potius de Christo doctore prodituro esse sermonem. Verbum enim *ἔρχεσθαι*, et formula *ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον*, vt *Grotius*, *Hammondus*, *Lampius*, alii, notarunt, perquam frequenter in literis sacris adhibentur de iis, qui nomine Dei prodeunt, qui munus doctoris, legati diuini, auspicantur, partes legati diuini agunt. Sic verbum *ἔρχεσθαι* de Iohanne adhibitum extat v. 7. (praecessit v. 6. *ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ*,) de eodem Iohanne Baptista Matth. 11, 18. legitur: *ἦλθε μήτε ἐσθίων, μήτε πίνων.* ib. v. 14. *αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι* (nempe Eliam ab inferis rediturum putabant tempore Messiae). Ioh. 7, 28. Christus ita loquens inducitur: *ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα* (doctor prodii), *ἀλλ' ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με.* 5, 43. *ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός — ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ κ. τ. λ.* Hinc et *ὁ ἐρχόμενος* i. *ἐλευσόμενος* frequens Messiae denominatio, Matth. 3, 11. al. et *ὁ ἐλθὼν* 1 Ioh. 5, 6. idem plane est quod *ὁ Χριστός*. Hinc et Ioh. 18, 37. diserte inter se distinguuntur *ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον* et *γεννᾶσθαι*. Confirmat hanc interpretationem etiam vsus loquendi Rabbinorum, qui formula רב אתא, *Rabbi venit*, ita vtuntur, vt significet, doctor docet, tradit aliquid, v. *Schoettgenii*,

Hor. Hebr. ad Ioh. 5, 43. Nec de Chrifti natiuitate h. l. vel propterea fermo effe poteft, quoniam non tum demum nafcebatur, cum Iohannes doctor prodiiffet, fed fexto poft Iohannem natum menfe, v. Luc. 1, 36. nec facile explicari poterit, quo tandem fenfu auctor lucis recte dici potuerit, homines illuftraffe, eo tempore, quo natus effet. Quae cum ita fint, verba ἦν ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον explicari debent: qui doctor prodituras, partes doctoris in his terris fuscepturus erat, omnes homines edocturus. Sunt autem haec ipfa verba ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, vt iam Cyrillus et Auguftinus recte viderunt, referenda ad τὸ Φῶς τὸ ἀληθινὸν, vt adeo ἐρχόμενον pro neutro habendum, cum eoque coniungendum fit ἦν. Cuius conftructionis exempla in promtu funt. Sic Marc. 2, 6. legitur, ἦσαν δέ τινες τῶν γραμματέων ἐκεῖ καθήμενοι. Luc. 5, 16. ἦν ὑποχωρῶν. 15, 1. ἦσαν ἐγγίζοντες. Ioh. 5, 45, ἐστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν Μωσῆς. add. Marc. 2, 18. Luc. 1, 21. Ioh. 3. 23. conf. *Fifcherus* ad Weller. Vol. 3. P. 2. p. 4 fs. Neque tamen ἦν ἐρχόμενον cum aliis pofitum effe exiftimo pro ἦλθεν *venit, prodiit ille doctor praeftantiffimus*, fed praefens vim habet futuri, vt faepius, et Meffias in libris N. T. κατ' ἐξοχὴν dicitur ὁ ἐρχόμενος i. e. ὁ ἐλευσόμενος, vid. ad Matth. 7, 3. atque adeo verba reddenda funt: *quae lux veriffima ventura erat in has terras* i. qui doctor praeftantiffimus prodituras erat. Hac interpretatione admiffa, maior vis et grauitas conciliatur verbis v. 10., et accuratior exiftit orationis cohaerentia. Poftquam nimirum fcriptor notauerat, Baptiftam veriffimum illum lucis autorem annuntiaffe; pergit, neque tamen Iohannes ille lucis auctor, ille doctor praeftantiffimus erat, hic nondum prodierat. Reuera autem inter homines verfatus eft v. 10. Nec obiici poteft (v. *Schmidtii Biblioth. für Kritik u. Exeg. d. N. T. B.* 2. St. 1.), Iohannem, fi eam fententiam, quam verbis fubftituimus, exprimere voluiffet, fcripturum fuiffe, ἦν τὸ Φῶς οὔπω ἐληλυθὸς f. ἦν τὸ Φῶς ἔτι ἐρχόμενον, nam vt fcite animaduertit *Schottus* l. c. p. 17. neque omnino

eam in fcribendo ἀκρίβειαν a N. T. fcriptoribus exigere licet, quae nullam facile vocuiam negligat, neque alienum eft a fcribendi indole Iohannis, praefens pro futuro ponere, et quo propius, Iohanne Baptifta de Iefu praedicante, tempus inftabat inftitutionis nouae ac perfectioris a Iefu oriundae, eo magis participii ἐρχόμενον vfus rei naturae aptus erat et accommodatus. Caeterum vocabulum κόσμος h. l. non poteft intelligi de mundo, coelo et terra, nec de certa orbis terrarum parte et regione, Palaeftina, vt Matth. 4, 8. Rom. 4, 13. cf. *Fifcheri* Prolufl. de vit. Lexx. N. T. p. 111 fqq. vel de Iudaeis, vt Ioh. 12, 19. 15, 18. fed indicat *orbem terrarum*, vt Matth. 26, 13. coll. 24, 14. fiue omnino, *homines*, vt Ioh. 3, 17. eft enim fermo de doctore fummo hominum omnium coll. v. 4. 11.— Ab ea quam hactenus propofuimus loci interpretatione interpretes haud pauci recedunt. Sunt qui verba ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον referant ad πάντα ἄνθρωπον, et initio verfus fubintelligant ἐκεῖνο l. τοῦτο hoc fenfu: ille (nempe de quo Iohannes Baptifta teftimonium exhibuit v. 8.) erat doctor praeftantiffimus, illuftraturus *quemvis hominem in vitam prodeuntem f. nafciturum* f. vt *Thalemanus* vertit: *quae* (lux) *omnes natos et nafcituros illuftrat.* v. quos laudarunt *Wolfius* in Curis et *Koecherus* in Analectis: add. *Michaelis* ad h. l. Prouocant huius interpretationis defenfores ad Rabbinorum כָּל בָּאֵי עוֹלָם, v. *Caftelli* Lex. heptagl. p. 299. quae verba continere aiunt circumfcriptionem hominis, atque refpondere noftris ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. Sed cum h. l. additum legatur ἄνθρωπον, hac interpretatione admiffa, perquam frigida exifteret tautologia; praeterea e legibus linguae, vt recte obferuauit *Schulzius*, fcribendum fuiffet τὸν ἐρχόμενον. Accedunt et rationes aliae, e quibus haec verborum conftructio repudianda eft. Nimirum ex vfu loquendi N. T. nominatimque Iohannis, formula ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον, perquam frequenter ad Iefum Meffiam transfertur, v. 3, 19. 12, 46. 9, 39. 1 Tim. 1, 15. 6, 14. al. et quae v. 10. leguntur, ἐν τῷ κόσμῳ

ἦν κ. τ. λ. non tam poftulant, quam potius flagitant, vt verba ἐρχόμενον ε. τ. κ. cum verbis τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν coniungamus. Alii verba ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, minime quidem ad πάντα ἄνθρωπον referunt, attamen ea cum verbis ὃ φωτίζει coniungunt, hoc modo: ille (ἐκεῖνο) erat doctor praeftantiffimus, *qui poftquam in terras venit, homines omnes illuftrat* l. *qui veniens in terram* i. per fuum in terram aduentum, *omnes homines illuftrat*, v. *Heumanus, Semlerus, Morus* ad h. l. Neque tamen haec interpretandi ratio praeftat eorum fententiae, cui nos calculum adiecimus, imo vfus loquendi, et cogitationum v. 8. 9. 10. expreffarum feries, arctiorem coniunctionem verborum ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον cum verbis ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, commendant.

10. Praeftantiffimus ille doctor, quem proxime doctoris partes et munus fufcepturum effe, Iohannes Baptifta praedixerat, reuera *in terra*, v. 9. inter homines verfatus eft, *quamquam vero terra*, cum omni rerum vniuerfitate *per eum extitit*, *terrae tamen* (καὶ v. *Elfnerus* Obff. p. 293. *Palairetus* Obff. p. 221.) *incolae eum agnofcere noluerunt.* Neutiquam poteft cum orationis ferie conciliari eorum interpretum ratio, qui ad memoratam v. 1. 2. 3. praeexiftentiam τοῦ Λόγου Euangeliftam h. l. rediiffe autumant, adeoque imperfecto ἦν vim plusquamperfecti tribuunt, et verba reddunt: *fuerat* doctor ille infignis *in mundo*, priusquam naturam humanam indueret. Verba καὶ ὁ κόσμος δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο, quae de creatione phyfica terrae, non exclufa rerum vniuerfitate coll. v. 3. intelligenda funt, alii, de creatione morali, hominum inftitutione noua ac perfectiori, emendatione per Iefum Meffiam explicuerunt, et ἐγένετο exprefferunt: *in melius mutabantur, rectius edocendo emendabantur.* Verum haec interpretatio legibus bonae interpretationis, et auctoritati vfus loquendi fcriptorum facrorum prorfus repugnat. Etenim 1) vt iam recte obferuarunt *Storrius üb. d. Zweck* p. 433. add.

eiusd. *Lehrbuch d. Dogm. herausgeg. von Flatt* p. 355. *Flattus* de Deitate Christi p. 45. *Süskindius* in *Magazin* St. 10. p. 31 sqq. *Schottus* l. c. p. 21 ss. non possunt idonei librorum N. T. loci proferri, quibus notio verbo ἐγένετο substituta: *homines emendati sunt*, comprobari possit; et quamquam verba γίνεσθαι atque κτίζεσθαι, vt supra ad v. 3. vidimus, inter se permutari solent, et κτίζειν, κτίσις ad moralem hominum renouationem interdum transfertur, vt Eph. 2, 10. 2 Cor. 5, 17. Gal. 6, 15. illis tamen in locis adiecta sunt verba alia, quae moralem vim ac potestatem vocibus illis tribuendam esse docent. 2) Cum v. 3. verbum ἐγένετο, flagitante orationis complexu et serie, de Λόγῳ omnium rerum creatore explicari debeat, interpretationis constantia postulat, vt illud etiam h. l. eo ipso sensu accipiamus. 3) Qui de morali creatione cogitant, ne singulae huius versus sententiae sibi repugnent, vocabulum κόσμος in membro versus secundo de *parte hominum emendata*, in fine vero versus, de *hominibus non emendatis, improbis*, doctorem illum spernentibus, intelligunt. Verum enimuero sic perquam ambigue et obscure Iohannes scripsisset, et vocabulum κόσμος nusquam in libris N. T. de *hominibus emendatis* positum extat, sed cum per synecdochen de parte hominum adhibetur, eo inprimis notantur homines improbi, doctrinae Christi aduersarii, vt h. l. Ioh. 12, 31. 15, 18. 16, 33. 1 Cor. 11, 32. Rom. 11, 12. al. Caeterum adstipulor *Schotto*, qui l. c. contendit, verba καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, non tam antecedentibus, quam sequentibus arctius esse iungenda, ita, vt non rationem indicent sententiae membro primo comprehensae, (ab aliis de praeexistentia τοῦ Λόγου intellectae,) sed ea complectantur, vnde clarius elucescat, mira et damnanda illa vanitas eorum terrae incolarum, qui lucis auctorem verissimum, cuius ope ipsa extiterit terra, agnoscere noluerint.

11. εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον] *venit in domum suam, neque tamen eum domestici ex-*

ceperunt. ἦλθε i. e. doctor prodiit, vt v. 9. In exponenda voce τὰ ἴδια in diuerfas partes interpretes abeunt. Alii per τὰ ἴδια *terram*, τοὺς ἰδίους *terrae incolas*, alii *Palaeftinam*, *eius incolas*, *gentem Iudaicam* fignificari exiftimant. Theophylactus: ἴδια αὐτοῦ, ἢ τὸν κόσμον νοήσεις, ἢ τὴν Ἰουδαίαν, ἣν ἐξελέξατο, ὡς σχοίνισμα κληρονομίας, καὶ ὡς μερίδα, καὶ ὡς περιουσιασμὸν αὐτοῦ, *vel totum mundum intellige, vel Iudaeam, quam elegit, vt funiculum haereditatis, et vt portionem peculiumque fuum.* Scilicet τὰ ἴδια fubintell. οἰκήματα l. δώματα v. *Bofius* Ellipf. p. 337. ed. *Schaef.* eft *domus*, propterea fic appellata, quod aliquis eam inhabitare, vel tanquam peculium tenere, vel inde oriundus effe dicatur. Hoc fignificatu recurrit Ioh. 16, 32. 19, 27. Act. 21, 6. 3 Macc. 6, 27. Iofeph. Ant. 5, 15. 6. ἀνέζευξαν εἰς τὰ ἴδια. 8, 15. 4. ἀναστρέφειν εἰς τὰ ἴδια. Plato de Leg. 6. p. 758. A. ἐπὶ τοῖς αὐτῶν ἰδίοισι μένοντας *domi fuae manentes* Iamblich. c. 19. *Abaris*, inquit, ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ὑποστρέψων εἰς τὰ ἴδια *cum e Graecia domum reuerteretur.* v. *Kypkius*, *Krebfius*, et *Wetftenius* ad h. l. Alexandrini interpretes hac voce expreflerunt Hebr. אל־ביתו Efth. 5, 10. εἰςελθὼν εἰς τὰ ἴδια. 6, 12. ὑπέστρεψεν εἰς τὰ ἴδια. Herodot. 1, 109. eodem modo dixit εἰς τὰ οἰκεῖα. Iam qui de Iudaeis h. l. cogitant, τὰ ἴδια explicant vel *patriam*, vel τὰ ἴδια dictum putant pro οἱ ἴδιοι, *venit ad fuos, ad fuam gentem*, cum neutrum faepius vim mafculini obtineat, vt τὸ γεγεννημένον 3, 6. πᾶν 6, 39. τὸ γεννηθὲν Matth. 1, 20. atque gentem Iudaicam propterea τὰ ἴδια dictam effe cenfent, quod Chriftus κατὰ σάρκα Iudaeus fuerit, fuam doctrinam Iudaeis prius, quam reliquis gentibus tradendam curauerit, quod Deus Λόγῳ coniunctiffimus, pluribus fingularis beniuolentiae documentis populum Iudaicum ornauerit. Sed quo minus adeo anguftis limitibus notionem nominis τὰ ἴδια circumfcribamus, impediunt ea, quae v. 4. leguntur, ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων· v. 9. φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, quibus locis conuenienter τὰ ἴδια, vt v. 9. ὁ κόσμος, de *terra* explicari debet. Nec

mirandum terram dici *domum*, nam vt fcienter obferuauit *Schottus*, folent Hebraei fcriptores creationem cum omnis rerum vniuerfitatis, tum terrae, iis depingere imaginibus, quae ab artificiofa ac diligenti aedificii ingentis ftructura depromtae funt, v. Ief. 40, 12 fs. Prou. 8, 22 fqq. Iob. 28, 20 fqq. Dicitur autem terra, *domus* veriffimi illius auctoris lucis, ὅτι δι' αὐτοῦ ἐγένετο coll. v. 10. quod illius ope creata eft, quod eam veluti aedem exftruendam curauit, ideoque tanquam peculium tenet; dicuntur ergo etiam homines, *domus* illius *incolae*, *domeftici*, *familia*, vtpote praecipuo iure ad ipfum pertinentes. Hanc interpretationem ipfa dictio poetica commendat, quae in prooemio huius Euangelii regnat. Nec fic exiftit otiofa tautologia, quamquam eadem fententia iam v. 10. expreffa legitur. Nam quae v. 10. fermone proprio dixerat fcriptor, ea fortius et grauius, adhibita imagine, repetiit, et hac in re imitatus eft Hebraeorum, maxime poetarum, confuetudinem, qui eandem fententiam, variis verbis et imaginibus adhibitis, repetere folent. Ergo *venit in domum fuam, ad fuos*, fi fenfum fpectamus, notat, doctor in terram prodiit, doctoris munere inter homines functus eft; nam fequitur: οἱ ἴδιοι αὐτὸν (τὸ Φῶς vid. ad v. 7.) οὐ παρέλαβον, *eum, eiusque doctrinam repudiarunt.* Oppofita formula legitur v. 12. πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, commutata cum verbo λαμβάνειν. — οἱ ἴδιοι maxima eorum pars. Oratio enim, quae ad poeticam indolem accedit, hoc fecum fert, vt interdum vniuerfe enuntientur, quae accuratius fpectata, terminis circumfcribi debeant anguftioribus, quam in rem confuli debent contextus, hiftoria.

12. *Quotquot vero eum receperunt, iis conceffit dignitatem filiorum Dei:* ὅσοι fiue Iudaei, fiue gentiles, coll. v. 13. Formula ἔλαβον αὐτὸν accuratius definitur verbis verfus vltimis τοῖς πιστεύουσι εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ h. e. *fidem* huic doctori praeftantiffimo, Iefu Meffiae, eiusque doctrinae diuinae *habentibus.* εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ ex Hebraica ra-

tione positum est pro simplici εἰς αὐτόν, Act. 2, 23. 3, 18. 1 Ioh. 5, 13. 3, 23. v. *Vorstius* de Hebraism. N. T. p. 350. *Fisch.* Neque scriptoribus exteris haec loquendi ratio inusitata est; ap. Ael. H. V. 13, 28. legitur τῷ ὀνόματι τοῦ δεσπότου pro τῷ δεσπότῃ, vbi v. *Perizonius:* ap. Diod. Sic. p. 58. *Rhod.* τοὔνομα τοῦ τετελευτηκότος pro τὴν τετελευτηκότα. v. Münthius ad h. l. ἐξουσία est *dignitas, praerogativa*, respicit enim auctor, vt e v. seq. patet, Iudaeos, qui vtpote Abrahami nepotes, gloriabantur se esse τέκνα τοῦ Θεοῦ, Deo vnice probatos, caros et dilectos. Extat autem vocabulum ἐξουσία eo ipso significatu, vt sit, *dignitas, praerogatiua*, etiam 1 Macc. 11, 58. καὶ ἔδωκεν αὐτῷ ἐξουσίαν πίνειν ἐν χρυσώμασι, καὶ εἶναι ἐν πορφύρᾳ, καὶ ἔχειν πόρπην χρυσοῦν. Hinc quoque Nonnus in paraphrasi, et Chrysostomus, ἐξουσία h. l. interpretati sunt vocabulo τιμή. τέκνα Θεοῦ γενέσθαι vt essent Deo inprimis cari et probati, ab eoque eximiis ornarentur beneficiis.

13. Sensus: qui hanc filiorum Dei dignitatem, non naturali modo, sed a Deo acceperunt. Pluralis αἱμάτων vim obtinet singularis αἵματος, praeoptauit autem scriptor pluralem singulari, quoniam paulo post de vtroque parente sermo est. Vocabulum αἷμα ita poni solet, vt significet, vel, *hominem*, vt Matth. 27, 4. Hebr. דם Deut. 27, 25. vbi v. τοὺς ό. vel *semen*, atque adeo idem sit quod σπέρμα, v. *Schleusneri* Lex. h. v. Hesychius: αἷμα — σπέρμα. Eusthath. ad Hom. Il. ζ', 211. αἵματος ἀντὶ τοῦ σπέρματος φησὶν οἱ σοφοὶ ὡς τοῦ σπέρματος ὕλην τοῦ αἵματος ἔχοντος· v. et *Schulzii Anmerkk.* ad h. l. (qui inter alia obseruat, Chald. אִדְמָא *semen muliebre*, notare); vel, *stirpem, progeniem, originem*, Hesych. αἷμα, γένος. — Ioseph. Ant. 20, 8. ἐξ αἵματος τοῦ Ἀαρῶνος. Liu. 38, 58. *non sanguine humano, sed stirpe diuina satus*, v. *Kypkius, Krebsius, Loesnerus* ad Act. 17, 26. et *Wetstenius* ad h. l. hinc et de *parentibus* legitur ap. Eurip. Ion. 693. ἄλλων τραφεὶς ἀφ' αἱμάτων. add. Orest. 351. v. et *Brunckius* ad Eurip. Phoenn.

1512. Iam cum Iudaei per natales, et circumcifionem, rituumque Mofaicorum obferuationem fe putarent atque iactarent Dei filios coll. v. 12. voce ἐξ αἱμάτων refpicitur gens Iudaica ab Abrahamo originem ducens; non nafcuntur ἐξ αἱμάτων ex ftirpe Abrahami, Ifaaci, et Iacobi: οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς non femina aut viro ita volente, non naturali modo. Memorat ergo arbitrium f. confilium feminae vel viri, i. e. omnino humanum, tanquam minime fufficiens ad perficienda ea, quae verbis ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν declarantur. Vocabulum σὰρξ, cum hoc loco fibi opponantur σὰρξ et ἀνὴρ, *feminam* indicat, quo eodem fignificatu id ipfum nomen occurrit Iud. v. 7. Hanc interpretationem, quae iam Auguftino et Theophylacto arrifit, fi fequimur, vocabulum θέλημα, bis pofitum, eandem fignificationem retinet, nec vlla vis verbis infertur. Alii verba οὐδὲ — ἀνδρὸς explicanda cenfent: *non corporis libidine*, hominem ad fobolem excitandam ferente, Fortpflanzungstrieb, *nec viri voluntate fibi fobolem procreandi*, cum σὰρξ vt Hebr. בשר corpus humanum eiusque naturam, v. Rom. 8, 3. Hebr. 5, 14. nec non fenfuum et cupiditatum, quae per ipfam corporis naturam in animo humano excitari foleant, fignificet, v. Matth. 26, 41. Rom. 8, 1. atque θέλημα, vt Hebr. חפץ, *cupiditatem*, *libidinem* notet, v. Luc. 23, 35. et θέλειν pro ἐπιθυμεῖν legatur Marc. 10, 35. et Eph. 2, 3. (vbi tamen aliquid vituperii, a noftro loco alieni, verbis ineft) θελήματα τῆς σαρκὸς fint *corporis cupiditates*. — *Paulus* verba θέλημα σαρκὸς de *confilio fecundas ineundi nuptias* et θέλημα ἀνδρὸς, cum *Grotio* atque *Reichardo* in verf. lat. de *adoptione* interpretanda putat; quae tamen interpretatio argumentis certis atque idoneis ex vfu loquendi depromtis probari nequit. ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν] *vi diuina*, Deo efficiente, *ei filii redditi funt*, per doctrinam diuinam, quam fusceperunt, Deo fimiles, adeoque ei probati, cari, dilecti redditi funt, non vero propter parentes.

14. Natura illa coeleſtis, Deo coniunctiſſima, corpore humano induta, inter homines verſata eſt. *καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο*] *nam* (*καὶ* v. ad Marc. 10, 52.) *Logos homo factus eſt*. Pro *σὰρξ ἐγένετο* Hebr. 2, 14. legitur: *κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος* — *μετέσχε τῶν αὐτῶν*. 1 Ioh. 4, 2. *ἦλθεν ἐν σαρκί*. 1 Tim. 3, 16. *ἐφανερώθη ἐν σαρκί*. Nomen *σὰρξ* haud rarenter *hominem* indicat, vt Matth. 24, 22. Act. 2, 17. al. a parte viſibili denominatum. *ἐγένετο factus eſt*, non *fuit*, nam *ὁ Λόγος* iam ante mundum conditum extiterat, et mundum creauerat v. 1 — 3. 10. Caeterum ſatis notum eſt, antiquiores eccleſiae doctores pleroſque vsque ad Origenem ſtatuiſſe, *τὸν Λόγον* animae vices humano in corpore obiiſſe. v. *Semlerus* in Paraphr. p. 26 ſq. *Planckii* Obſſ. in primam doctrinae de naturis Chriſti hiſtoriam, in Commentatt. theoll. a *Veltluſeno*, *Rupertio* et me ipſo editis Vol. 1. p. 241 ſqq. Num vero Iohannes *τὸν Λόγον* ſpectauerit tanquam animam in corpore Ieſu? an praeter illum *Λόγον*, anima quoque humana Chriſtum praeditum fuiſſe ſtatuerit? id quidem certo definiri non poſſe, *Paulus* ad h. l. monuit, cum Iohannes ipſe rationem et modum coniunctionis *τοῦ Λόγου* cum Ieſu, non accuratius explicuerit, ſed hoc tantum docuerit, *τὸν Λόγον* fuiſſe ibi, vbi Ieſus eſſet. Haud tamen improbabile videtur *Paulo*, Iohannem, qui ſcripſerit *ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο*, ſibi cogitaſſe *τὸν Λόγον* animae loco cum corpore humano coniunctum, notat, etiam vocabulum *σὰρξ* in formula *γίνεσθαι εἰς σάρκα μίαν* tantum ad corpus referri Matth. 19, 5. 1 Cor. 6, 16. 17. Eph. 5, 31. coll. Gen. 2, 24. — *καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν*] *et inter nos verſatus eſt*: *σκηνοῦν*, Hebr. שָׁכַן, notat, *habitare, commorari*, Iudd. 5, 17. vbi *οἱ ὁ* habent: *πέραν τοῦ Ἰορδάνου κατεσκήνωσεν*. 8, 11. *σκηνούντων ἐν σκηναῖς*. add. Gen. 13, 12. Apoc. 12, 12. *Raphelius* Obſſ. Xenophh. ad h. l. *ἐν ἡμῖν inter nos*, homines v. 10. 11. ſpeciatim intelligendi ſunt Iudaei, Apoſtoli. *ἐν inter*, vt Luc. 22, 24. Act. 2, 29. 18, 11. *καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ*

πατρὸς] parentheseos nota, haec verba a reliquis seiungenda sunt: *cuius nos spectauimus maiestatem talem, qualis est vnici, Dei filii.* ἐθεασάμεθα cum delectu positum est; adhibetur enim hoc verbum etiam de rebus iis, quae cum voluptate et admiratione spectantur, v. Matth. 11, 7. *Valckenarius* ad Theocrit. p. 342. *Sturzii* Lex. Xenoph. sub h. v. δόξα *Schulzius* de *miraculis* a Christo editis intelligit, et *Boltenius* vertit: *Wunderkraft*, *potentia gloriosa*, cum vocabulum עֹז, cui in versione Alexandrina respondeat nomen δόξα, etiam vsurpetur de potentia Dei gloriosa Ies. 12, 2. 45, 24. Ioh. 11, 40. *Noesseltus* in Opuscc. T. 2. p. 180. qui cum vocabulo δόξα vltima versus verba πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας copulanda putat, atque vertit: *maiestatem verissimis beneficiis plenam*, δόξαν refert ad Christi *doctrinam* hoc sensu: apparuit maiestas Christi e beneficiis, quae doctrina eius tradidit, doctrina quae ipsa maximum beneficium erat coll. v. 16 — 18. Sed cum 2, 11. Christus demonstrasse dicatur τὴν δόξαν αὐτοῦ edito miraculo, et h. l. in sequentibus, eius doctrina respiciatur coll. v. 17. tam de miraculis, quam de doctrina Christi h. l. cogitandum esse videtur, ita, vt ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ explicandum sit: perspeximus maiestatem et dignitatem ipsius, cum ex factis insignibus, tum ex religionis doctrina, ab eo proposita, multo illa sublimiore ac laetiore, quam vlla vnquam ad hominum notitiam peruenit. ὡς ante μονογενοῦς, vt iam Chrysostomus notauit, non est particula similitudinis s. comparationis, ostendi enim sic deberet, quis sit ille μονογενὴς a Λόγῳ distinctus, sed vt Hebraeorum כ indicat rei certitudinem et veritatem. v. *Glassius* Phil. S. p. 436. *ed. Dath. Noldius* Concordd. particc. Hebrr. Philo de Abr. p. 374. C. σπασάμενος τῇ δεξιᾷ τὸ ξίφος, ἐπεφέρων ὡς ἀναιρήσων, *stricto dextra pugione, arae imponit filium immolaturus.* Triclinius ad Sophocl. Electr. v. 1188. ὡς ἀντὶ τοῦ ὄντων. Hesychius: ὡς — ἀληθῶς. vid. *Albertius, Raphelius* et *Loesnerus* ad h. l. Sed δόξαν ὡς positum est pro ὡς δόξαν, vt 1 Cor. 3, 5. ἑκάστῳ ὡς pro ὡς ἑκάστῳ, add.

7, 17. Rom. 12, 3. μονογενὴς autem, scl. υἱὸς coll. 3, 18. *vnicus filius*, hunc inuoluit sensum, vt omnis orationis series docet, *cui nemo par, nec Deo carior*, nam Hebr יחיד *vnicus*, Alexandrini haud raro expresserunt ἀγαπητὸς, vt Ier. 6, 26. Amos. 8, 10. Zach. 12, 1. respexit vero etiam Iohannes sublimiorem Christi naturam, interiorem τοῦ Λόγου a Deo prognati, cum Deo coniunctionem. v. Prolegg. §. 7. *D.* Formula παρὰ πατρὸς quo referenda sit, interpretes dissentiunt. Nonnulli eam referunt ad remotius δόξαν, et subintelligunt δοθεῖσαν, maiestatem a patre datam, exhibitam. Sed hoc hyperbaton neutiquam necessarium esse, iudicarunt alii, et verba παρὰ τοῦ πατρὸς cum proxime praecedenti μονογενοῦς coniungenda praeceperunt, ita, vt subaudiatur ὄντος, atque παρὰ τοῦ πατρὸς idem valeat quod simplex τοῦ πατρός. Verum, vt recte notauit *Ziegleru*s in *Gableri Neuest. theol. Journ.* B. 9. p. 35. haec ellipsis propterea admitti nequit, quoniam μονογενὴς construitur aut cum Datiuo aut cum Genitiuo, vt 3, 18. vt adeo Iohannes, si haec ipsius mens fuisset, simpliciter scribere debuisset τοῦ πατρὸς vel τῷ πατρί. Rectissime omnium *Beza* et *Lampius*, qui quoque παρὰ τοῦ πατρὸς ad μονογενοῦς referunt, subaudiendum esse monuerunt, ἐξελθόντος l. πεμφθέντος, *egressi*, *missi*. Hanc enim interpretationem et linguae leges ferunt, v. ad Marc. 3, 21. et orationis contextus, et vsus loquendi Iohanneus confirmant, v. 16, 27. 28. 17, 8. Vltima verba πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, *plenus benignitatis et veritatis*, *Grotius*, *Langius*, al. connectunt cum μονογενοῦς, vt πλήρης per enallagen positum sit pro πλήρους. *Noesseltus*, vt supra vidimus, cum δόξαν. Iam etsi negari nequit, eiusmodi anacolutha, nec N. T. scriptoribus, (Apoc. 1, 5. ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς πιστός, vbi v. *Eichhornius*) nec optimae notae vtriusque linguae auctoribus insolentia esse (v. *Gatakerus* ad Marc. Antonin. 3, 4. p. 92. interpp. ad Terent. Hec. 3, 1. 6.); his tamen ambagibus h. l. non opus est, sed coniungenda sunt haec verba cum prioribus ἐσκήνωσεν

ἐν ἡμῖν np. ὁ λόγος et verba καὶ ἐθεασάμεθα — πατρὸς includenda sunt parenthesi, estque sic constructio planissima. Improbanda mihi quoque videtur *Erasmi*, quem *Paulus* secutus est, ratio, qui haec ipsa verba πλήρης κ. τ. λ. cum verbis versus seq. Ἰωάννης μαρτυρεῖ copulanda autumat. Nam vt taceam, hanc verborum structuram nullius exemplaris auctoritate firmari, et sic satis duram atque coactam interpretationem existere: v. 17. satis perspicue docet, haec verba ad τὸν Λόγον siue Christum esse referenda, fuisset praeterea nominatiuus Ἰωάννης praeponendus, vt Luc. 4, 1. Act. 6, 3. — Respondet autem formula χάρις καὶ ἀλήθεια Hebraeorum voci חֶסֶד וֶאֱמֶת et vt nomen חסד non tantum *beniuolentiam*, *benignitatem*, sed etiam, per metonymiam, *dona*, *beneficia ipsa*, indicat, v. Gen. 32, 11. Ps. 16, 14. Ies. 16, 5. Zach. 8, 3. 16. ita quoque χάρις hoc ipso significatu, h. l., in epistola ad Rom., aliisque in locis N. T. legitur, v. *Schleusneri* Lex. h. v. vnde et Hesychius χάρις interpretatus est δωρεά. Sed χάριτος καὶ ἀληθείας positum est pro χάριτος ἀληθινῆς, vt fit ἓν διὰ δυοῖν, qua ratione iam Cyrillus Alex. verba nostra intellexit, qui ea interpretatus est χάριν τέλειαν καὶ ἀληθῆ. Itaque πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, est, *largitor beneficiorum verissimorum*; πλήρης enim, vt sequentia docent (v. 16. ἐλάβομεν χάριν, v. 17. ἐδόθη χάρις), non tam passiue, quam potius actiue intelligi debet, de eo, qui aliquid secum affert, largitur, et communicat.

15. Euangelista ad Iohannis baptistae auctoritatem et testimonium de Christo prouocauerat iam supra, v. 7. 8. nunc vero, quo accuratius ostenderet Iesum esse Messiam, τὸν Λόγον, qui homo factus sit, ipsum illius de Christo testimonium affert coll. v. 30. Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, καὶ κέκραγε, λέγων] *Iohannes haec de eo publice professus est*. μαρτυρεῖ vim habet praeteriti, vnde et additum legitur κέκραγε, quod Hesychius explicuit: βοᾷ, φανερῶς διαμαρτύρεται, quo eodem sensu etiam βοᾷν legitur

Matth. 3, 3. vbi v. not. et *κράζειν* Rom. 9, 27. *οὗτος ἦν ὃν εἶπον*] *hic est ille, de quo dixi*, antea, cum nondum in publica luce comparuisset v. 27. *ἦν* pro *ἐστὶ*, vt saepius. *ὃν εἶπον* pro *περὶ οὗ εἶπον*, coll. v. 30. infra v. 45. *ὃν ἔγραψε Μωσῆς* pro *περὶ οὗ*. Eurip. Ion. 779. *τόν παῖδ', ὃν εἶπας*. v. Elsnerus ad Luc. 20, 37. *ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος — μου ἦν*] magnopere discrepant interpretum, cum veterum, tum recentiorum opiniones, de horum verborum sensu. vid. *Wolfius* in Curis et *Koecherus* in analectis ad h. l. Ac plures quidem, praeeunte Chrysostomo (qui *ἔμπροσθέν μου γέγονε* interpretatus est, *πρότερος, ἐντιμότερός μου ἐστι*) et Theophylacto (qui vocem illam explicuit verbis: *προτιμότερός μου καὶ ἐνδοξότερος ἐγένετο*) enuntiationem h. l. propositam, de dignitate et auctoritate, qua Iesus Iohannem longe antecesserit, intelligendam esse praecipiunt, vt *Beza, Grotius, Lampius, Semlerus, Hezelius, Morus*, alii. Monent, *γέγονεν* pro praeterito prophetico esse habendum; adeoque vertunt: *certo fiet* l. *erit* l. *est*; notant, *ἔμπροσθεν* respondere Hebr. לִפְנֵי, etiam quando locum priorem designet, vt Gen. 48, 20. *ἔθηκε τὸν Ἐφραὶμ ἔμπροσθεν τοῦ Μανασσῆ*· et *πρῶτος* saepius de dignitatis eminentia adhiberi, vt Matth. 20, 27. Marc. 9, 35. Luc. 15, 22.; comparant denique locum Matth. 3, 11. vbi Iohannes de Christo dixisse perhibetur: *ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἰσχυρότερός μου ἐστίν*. add. Marc. 1, 7. Luc. 3, 16. verba igitur hunc in modum vertunt et explicant: *qui post me veniet* i. e. munus suum auspicaturus est, *me antevertit* i. e. me dignitate superat, *nam prior me est* i. e. nam me praestantior est, *ἦν* pro *ἐστί*. Huic vero verborum interpretationi inprimis obstant haec: 1) Ipsissima verba magistri, adeo memorabilia, scriptor noster retinuit, id quod vel eorundem repetitio docet v. 15. 30. Loci Matth., Marc., Luc. non sunt v. 27. paralleli, quod vel inde perspicitur, quoniam verba *ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν*, in optimis codd. non leguntur. Iohannes Apostolus delectum fecit sermonum Baptistae; reliqui Euangelistae ll. cc. pro-

tulerunt, non coram synedris, sed alio tempore, aliaue occasione enuntiata a Iohanne Baptista, qui tunc temporis omnino dignitatem et auctoritatem Christi declarare vellet. Quodsi vero etiam loci Matth., Marc. et Luc. vel maxime pro parallelis essent habendi, vt nonnulli statuunt, tamen ex illis locis non posset accurate constitui sensus verborum: ὃς ἔμπρ. μ. γεγ. Dicendum potius esset, caeteros Euangelistas vtcunque sensum horum verborum expressisse, et verbis vsos esse, quibus omnino declararetur Christi dignitas et auctoritas, quod hanc ipsam quoque notionem verba Baptistae inuoluant; cum ille commemorarit praeexistentiam Christi, vt ostenderet Christum dignitate et auctoritate se longe maximeque superare. Scilicet ipsa orationis series, et scriptoris consilium, v. Prolegg. §. 5. extr. docent, verba ὃς ἔμπρ. μ. γ. de Messiae praeexistentia intelligenda esse. In antecedentibus enim Euangelista de praeexistentia τοῦ Λόγου cum Iesu coniuncti verba fecerat, et Iudaei statuebant, Messiam ante mundi initia extitisse, v. Prolegg. §. 7. *D.* 2. b. ss. Accedunt rationes aliae. Nempe 2) aduerbium ἔμπροσθεν nusquam in versione Alexandrina, in libris N. T. scriptorumque profanorum, de *dignitate*, *auctoritate*, vsurpatur; sed interdum de *loco*, veluti Luc. 19, 4. καὶ προδραμὼν ἔμπροσθεν, *et praecurrit ante*, plerumque de tempore, v. Iudd. 1, 23. 1 Regg. 3, 12. 2 Regg. 18, 5. Ioh. 3, 28. v. etiam *Elsnerus* ad h. l. 3) Vocabulum porro πρῶτος Iohannes ponere quoque solet ita, vt sit *prior tempore*, vt 1, 41. 5, 4. 8, 7. 20, 4. 8. 1 Ioh. 4, 19. et πρῶτον Ioh. 15, 18. 4) Adhibuit praeterea scriptor verbum ἦν, quod antea de praeexistentia τοῦ Λόγου vsurpauerat. 5) Si denique ἔμπροσθεν et πρῶτος de *dignitate*, *auctoritate*, explicantur, frigida tautologia existit. — Aliam verborum explicationem proposuit *Schottus* in vers. lat. N. T. p. 1030. ed. pr. Explicuit nimirum ea hunc in modum: *qui se veluti meum sectatorem geret* (lauacrum meum expetiturus), *priorem ante me locum adeptus est* (dignus est, cuius lauacrum ipse sub-

eam), *quippe qui me* (tempore) *prior fuit*, ideoque doctor est praestantior, v. et *Gomarus* ap. *Walaeum* ad h. l. Sed quamquam non nego, formulam ἔρχεσθαι ὀπίσω τινὸς eo sensu occurrere, vt significet, *sequi alicuius partes*, *esse alicuius discipulum*, v. Matth. 10, 38. 16, 24. Luc. 21, 8. Ioh. 12, 19. hoc loco tamen, cum ἔμπροσθεν, ex rationibus supra allatis, non possit non de *tempore* explicari; cum ἔρχεσθαι de Iohanne et Christo doctoribus in antecedentibus legatur v. 7. 9. et Messias κατ' ἐξοχὴν dicatur ὁ ἐρχόμενος, *in terram proditurus*: verba ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος reddi debent: *qui post me munus suum auspicabitur*, vt Matth. 3, 11. Rectius ergo alii voces ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ἔμπροσθέν μου et πρῶτος, *de tempore* intellexerunt. Sed et huius sententiae propugnatores et patroni in varias partes discesserunt. Nonnulli ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ad Christi aetatem retulerunt. Sed sic sententia satis ieiuna ac frigida procedit; et quidnam momenti in eo positum erat, quod Iohannes aliquot mensibus maior natu esset quam Iesus? *Schusterus* in *Eichhornii Allgem. Biblioth.* B. 10. p. 763. hunc verbis nostris sensum substituit: *Post me prodibit, qui me prior est*, quod attinet munus Messiae; cum Messiae aduentum iam antiquissimi prophetae praedixerint, exspectatio autem Eliae, Messiae praecursoris, post exilii demum tempora, inprimis per Malachiam, v. Mal. 3, 1. 23, 24. excitata sit; *nam prior me erat* nempe in ore prophetarum. Quae tamen interpretatio arguta magis quam vera est. Simplicior omnino et orationis seriei conuenientior haec est: *qui post me munus suum auspicaturus est* (v. not. ad v. 9.), *ante me fuit*, *certe me prior fuit*, repetitur aliis verbis eadem sententia quae praecessit, quo fortius inculcetur. πρῶτος vim habet comparatiui πρότερος, vt Ioh. 15, 18. 20, 8. 1 Ioh. 4, 19. vid. *Gatackerus* de stilo N. T. c. 25. p. 221. et ante μου subaudiendum est πρὸ, plena formula extat Luc. 11, 38. v. *Bosius* de Ellips. p. 738. ed. *Schaeferi*, adeoque ὅτι πρῶτός μου ἦν idem valet quod ὅτι πρίν με γενέσθαι αὐτὸς ἦν, particula

autem ὅτι notat: *certe*, *profecto*, *utique*, vt 8, 44. et respondet Hebrr. particulis אַךְ, Thren. 2, 16. vbi *ol o'* habet πλὴν *certe* (vt Hof. 12, 9.), Gen. 44, 28. vbi in versione Alexandrina legitur ὅτι· et אָכֵן, quam Ief. 45, 15. Alexandrini interpretes expresserunt γὰρ *profecto*, sed 1 Regg. 1, 30. ὅτι vt Gen. 28, 16. vbi Symmachus exhibuit ὄντως. Alii vertunt: *quippe me prior erat.* Iohannes ergo de Iesu Messiae praeexistentia verba fecit, fecit autem propterea, vt declararet, eum sibi dignitate et auctoritate praestare, eum esse doctorem se longe excellentiorem.

16. 17. Prolato Iohannis Baptistae de Christo testimonio, redit scriptor ad ea quae supra v. 14. notauerat, ita, vt vberius explanet sententiam ibi propositam: ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας, id quod vel docent voces πλήρωμα, χάριν ἀντὶ χάριτος. Leguntur ergo h. l. verba Euangelistae, non Iohannis praecursoris, vt nonnulli, veluti Chrysostomus, Theophylactus, Erasmus, alii statuerunt male ac perperam. Pro vulgari καὶ in pluribus optimae notae codicibus legitur ὅτι, quam particulam, cuius interpretamentum est καὶ, recte in ordinem recepit *Griesbachius*, ea vero redundat, vt v. 17. 1 Ioh. 3, 20. etc. πλήρωμα respondet Hebr. מְלֹא, *copia*, *multitudo*, *abundantia*, Ief. 31, 4. Hesychius: πλήρωμα· πλῆθος· hoc posteriori vocabulo Alexandrini interpretes expresserunt Hebr. מְלֹא Gen. 48, 19. Respexit autem Apostolus hoc ipso nomine πλήρωμα, verba πλήρης χάριτος v. 14. quae ad Λόγον pertinebant, et cum ibi de beneficiis Christo debitis sermo sit, patet h. l. ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἐλάβομεν exponendum esse: *ex eiusdem thesauro beneficiorum locupletissimo accepimus.* πάντες nos christiani omnes. Etenim non ad Apostolos tantum haec verba referri debere, non esse sermonem de donis singularibus, quae Apostolis contigerunt, sed de beneficiis Christi in vniuersum, inde patet, quoniam in proxime sequentibus

religio christiana, pro reliquis beneficiis Christi cunctis commemoratur. καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος] *et quidem beneficia vberrima;* καὶ est particula ἐξηγητική, *et quidem, nempe.* χάριν ἀντὶ χάριτος, est periphrasis superlatiui Hebraeis vsitata חן על חן, v. *Schoettgenius* Horr. Hebr. ad h. l. nec ea Graecis insolens; Theognid. v. 344. ἀντ' ἀνιῶν ἀνίας, *calamitates super calamitates*, vid. *Gatackerus* Adversar. Posthum. c. 27. et *Bengelii* Gnomon. ad h. l. Alii ἀντὶ vertunt *pro*, *loco*, et hunc sensum verbis substituunt: pro beneficio legis, Iudaeis olim concesso, accepimus beneficium Euangelii, *beneficium*, maius, *pro beneficio*, minori. Haec tamen explicatio, quam praeiuit Chrysostomus, (χάριν ἀντὶ χάριτος, ἀντὶ τῆς παλαιᾶς, τὴν καινήν), quem complures cum veterum tum recentiorum interpretum secuti sunt, v. *Deylingius* Obss. Sacr. P. 3. Obs. 33. *Noesseltus* Opuscc. T. 2. p. 181. *Rosenmüllerus* ad h. l. non satis apta videtur. Nam v. seq. τῷ νόμῳ simpliciter opponitur χάρις, ita, vt legi nulla gratia concedatur, negant potius verba vltima in lege Mosaica χάριν fuisse; desiderantur praeterea loci, quibus probari possit, legem Mosaicam χάριν vocari, et prior interpretatio optime convenit verbis proxime praecedentibus; ab eo accepimus beneficia vberrima. — 17. *Lex quidem per Mosen data est*, seuerior Hebr. 12, 18. Gal. 3, 11. *sed verissimum beneficium per Iesum Messiam contigit;* per χάριν καὶ ἀλήθειαν i. χάριν ἀληθινὴν doctrinam christianam intelligendam esse, in promtu est, ea vocatur χάρις ἀληθινή, quatenus meliorem et perfectiorem cognitionem Dei eiusque voluntatis praebet, quam lex Mosaica, atque sine discrimine omnibus viam aperit et munit ad fauorem Dei, patris benignissimi, consequendum.

18. Neque mirandum est, pergit Iohannes, Christi doctrinam esse longe praestantiorem et perfectiorem Mosis doctrina, nam: Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε] *nemo vnquam*, nemo doctorum aetatis pristinae, ne Moses quidem, *Deum*

perfecte, penitus, *cognouit*. Refpexit Euangelifta Chrifti verba, quae leguntur 3, 13. 6, 46. 7, 29. cf. etiam Matth. 11, 27. Verbum ὁρᾷν h. l. metaphorice pofitum effe, ita, vt fit, *mente et cogitatione percipere, cognofcere*, vel verbum ἐξηγεῖσθαι quod fequitur, fatis perfpicue docet. Refpondet, ὁρᾷν Hebraeorum verbis ראה et חזה, quorum prius Alexandrini expreſſerunt γινώσκειν Gen. 39, 23. pofterius Ief. 26, 11. eodem fignificatu ὁρᾷν legitur quoque Sir. 43, 31. τίς ἑώρακεν (fcl. τὸν κύριον) καὶ ἐκδιηγήσεται; *quis accurate cognouit dominum?* add. 42, 15. 25. Ioh. 3, 11. 14, 7. 3 Ioh. 11. Suidas: ὅρασις, γνῶσις· καὶ ὁ Εὐαγγελιστής· Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, ἀντὶ τοῦ ἔγνω τρανῶς. Pro υἱὸς in voce μονογενὴς υἱὸς in aliis libris legitur Θεὸς, in aliis υἱὸς Θεὸς, in aliis υἱὸς Θεοῦ, v. *Wetftenius* et *Griesbachius* ad h. l. Affentior *Semlero* et *Schulzio*, ftatuentibus, genuinam lectionem effe μονογενὴς, reliqua additamenta ab interpretibus librariisque effe profecta. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς] *qui cum patre eſt coniunctiſſimus*. εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς pofitum eft pro ἐν τῷ κόλπῳ, de qua permutatione praepofitionum εἰς et ἐν vid. not. ad Marc. 1, 9. ἐν τῷ κόλπῳ id. qd. ἐπὶ τὸ στῆθος, v. 13, 23. coll. 21, 20. Formula autem *in finu alicuius effe*, originem fuam debet confuetudini veterum in coena recumbendi; in finu, ad pectus alicuius recumbebat is, qui ei proximus ad menfam accumbebat; in conuiuiis autem dilectiffimi, familiariffimi accumbere folebant ad pectus eius, qui effet conuiuii princeps, v. Luc. 16, 22. Ioh. 13, 23. 21, 20. Plin. epp. 4, 22. etiam a Latinis fcriptoribus *in finu alicuius effe* dicuntur ii, qui funt alicui familiariffimi, cariffimi, v. Cic. ad Diu. 14, 4, 6. ad Q. Fr. 2, 13. Catil. 2, 10. 22. Eft ergo h. l. verborum fenfus: patri familiariffimus, intime cum eo coniunctus, fecretorum eius confcius. Supra v. 1. καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. — ἐκεῖνος ἐξηγήσατο] *is folus nobis patefecit*, nempe τὰ τοῦ Θεοῦ, Deum, eius confilia, voluntatem. ἐξηγήσατο id. qd. ἀπεκάλυψε Matth. 11, 27. Alexandrini interpretes verbo

ἐξηγεῖσθαι reddiderunt Hebr. הוֹרָה, Leuit. 14, 57. Hesychius: *ἐξηγήσατο· ἡρμήνευσε.*

19. Iohannes, qui Iudaeos baptizabat (vid. de Iohannis baptismo notata ad Matth. 3, 6. p. 82.) et Messiam breui proditurum esse docebat, quotidie plures sectatores nanciscebatur. Huius rei fama peruenerat etiam ad synedrium magnum Hierosolymitanum. Huic collegio cura rei sacrae demandata erat, v. Deut. 17, 8. 19, 17. Ez. 44, 15. 24. atque omnino synedrii erat prouidere, ne falsa doctrina proponeretur, et in eos inquirere, qui noua molirentur in ecclesia, aliamque illius formam inducere niterentur. Hoc igitur praetextu legatos mittebant ad Iohannem sacerdotes et Leuitas, perpetuos sacerdotum socios atque ministros, qui eum interrogarent, cuiusnam mandato doceret et baptizaret? atque ex eo percontarentur, quisnam omnino ipse esset? Ex omni narratione patet, optasse synedros, vt Iohannes se Messiam profiteretur. Nempe Iudaeorum proceres, nouarum rerum cupidi, inprimis propterea legatos ad Iohannem, qui nouarum rerum suspicionem excitarat, miserant, vt hac opportunitate vterentur, se potestati Romanorum subducendi, et vt e Luc. 3, 15. patet, plures arbitrabantur, Iohannem esse Messiam. Si Iohannis conamina omnino inuisa fuissent synedris, nae ei, cum esset professus, se neque Messiam, neque Eliam, neque Ieremiam (v. 21.) esse, interdixissent, ne baptizaret et doceret. Sed grata iis saltem erat atque accepta publica Iohannis professio, Messiam breui proditurum esse, quo duce res nouas moliri, et iugum Romanorum excutere se posse sperarent. — Caeterum quaeritur, quonam tempore Synedrium ad Iohannem legationem illam miserit? vtrum ante Christi baptismum? an cum Christus a Iohanne baptizatus esset? Interpretes plerique id factum esse contendunt, post Christi baptismum. Mihi secus videtur. Etenim cum Christus baptizaretur, iam dudum Iohannis Baptistae fama, tota Iudaea percrebue-

rat, v. Luc. 3, 21. Matth. 3, 5, parum autem probabile eſt, ſynedros, cum percepiſſent, ad Iohannem concurſus hominum fieri, eumque a multis pro Meſſia haberi v. Luc. 3, 15. diu cunctatos fuiſſe, legatos ad eum mittere, qui interrogarent, quisnam eſſet? et cuiusnam mandato doceret ac baptizaret Iudaeos? Atque haec quidem ratio grauior et verior mihi videtur, quam *Cappelli*, qui vt probaret, legationem ad Iohannem ante baptismum Chriſti miſſam eſſe, monuit, non veriſimile eſſe, Iudaeos et maxime Hieroſolymitanos turmatim egreſſuros fuiſſe ad Iohannem, niſi poſtquam ille ſe ſynedris, per legatos ad ſe miſſos, veluti probaſſet, quod vbi feciſſet, tum ad eum confluxiſſe etiam Hieroſolymitanos, atque ex ipſis Phariſaeorum ſectae addictis haud paucos. Verum enimuero ad Ieſum quoque docentem fiebant concurſus Hieroſolymitanorum, improbante Synedrio. Legatos ad Iohannem veniſſe, antequam Chriſtus baptizatus eſſet, ex nonnullorum ſententia etiam inde patet, quoniam locis parallelis Matth. 3, 11. Marc. 1, 7. Luc. 3, 16. teſtimonium Iohannis de Chriſto, quod h. l. v. 26 ſq. legitur, affertur tanquam a Iohanne editum ante Chriſti baptiſmum; ſed vid. not. ſupra ad v. 15. n. 1. Caeterum conf. etiam not. infra ad v. 29. et ad Matth. 4. p. 107. καὶ αὕτη ἐςὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου κ. τ. λ.] *haec autem fuit Iohannis profeſſio, cum Iudaei Hieroſolymitani ad eum miſiſſent ſacerdotes et Leuitas, ipſum interrogaturos, quis eſſet?* Euangeliſtam, non omne colloquium, ſed illius tantum ſummam reddidiſſe, vel exinde apparet, quoniam Iohannes ſtatim negat, ſe Meſſiam eſſe, cum tamen non praeceſſerit interrogatio ſpeciatim haec: num tu Meſſias es? οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων, *primores populi, ſynedri*, vt 7, 1, 18, 12. 14 etc. qui alias vocantur οἱ ἄρχοντες τῶν Ἰουδαίων 3, 1. et ſimpliciter οἱ ἄρχοντες 7, 26. σὺ τίς εἶ; oratio directa pro indirecta et obliqua, ex Hebraismo, v. Ex. 3, 14. 2 Regg. 4, 16.

20. καὶ ὡμολόγησε καὶ οὐκ ἠρνήσατο, *palam et libere profeſſus eſt*, vid. ad 1, 3. ὅτι. *profecto* cf. not. ad Matth.

26, 72. οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριςός] *se non esse Messiam.* Quaesiuerunt interpretes, quomodo synedri, iidemque sacerdotes, interrogare potuerint Iohannem, an Messias esset? cum Iohannes patrem habuisset sacerdotem, matrem sacerdotis filiam, nec Bethlehemi natus esset, v. Luc. 1, 5 sqq. 59. Messiam autem e Dauidis familia ortum, et Bethlehemi natum iri, communis esset Synedrii, v. Matth. 2, 4 sq. et populi persuasio Matth. 22, 41. Ioh. 7, 42. Ad hanc quaestionem dissoluendum responderi posset: recordatos esse synedros eorum, quae Zachariae, Iohannis parenti, et ipsi sacerdoti, olim in templo, praesente magna populi multitudine, euenissent, v. Luc. 1, 10 ss. eos non ignorasse, Elisabetham, Iohannis matrem, inter maiores Dauidem numerasse, v. not. ad Luc. 1. 36. fuisse autem inter doctores Iudaeorum, qui statuerent, Messiam Dauidis quidem nepotem fore, sed de loco natiuitatis ipsius nil certi constitui posse, (quam opinionem etiam Philippum fouisse e v. 45. colligi potest, cf. etiam 7, 42) hos ita statuentes censuisse, oraculum Michae 5, 2. (coll. Matth. 2, 6.), e quo alii probarent Bethlehemi Messiam natum iri, vel omnino non de Messia agere, vel saltem non de patria, sed de loco vnde ortum Messias duceret; facile ergo hos synedros, praesertim cum tunc temporis Messias auide ab omnibus exspectaretur, in eam deuenire potuisse opinionem, Iohannem fortassis esse Messiam, adeoque cum ipsi et collegae ipsorum suspenso circa Iohannem tenerentur animo, misisse ad eum, qui interrogarent, num Messias esset? Probabilius tamen est, synedros, prosapiam Iohannis, et ea quae parenti ipsius in templo olim euenerant, ignorasse. Zacharias enim, e templo egressus, cum adstantibus loqui non potuerat, interrogarant eum, an visum ipsi oblatum esset, et hoc Zacharias nutu affirmarat. Praesens ergo populi multitudo non accuratius rem cognouerat. Literis forte consignarat postea Zacharias, quae ipsi tunc temporis euenerant, certe ea, cum linguae vsum recepisset, amicis suis enarrarat, adeoque in plurium no-

titiam res venerat, attamen poſt triginta annorum ſpatium, facile in obliuionem res omnis venire potuerat, nec adeo mirandum, ſynedros ignoraſſe, quinam Iohannis parentes fuiſſent. Iohannes praeterea a parentibus Deo conſecratus erat, ita, vt vitam duram et ſeueram Naſiraeorum ſequi deberet, v. ad Luc. 1, 12 ſs. et vixerat hactenus in ſolitudine, v. Luc. 1, 80. Diuerſae porro erant doctorum Iudaicorum de Meſſiae origine ſententiae. Plerique enim Dauidis nepotem fore, et Bethlehemi natum iri putabant. Alii concedebant quidem, eum Dauidis nepotem fore, ſed de loco natiuitatis ipſius non conſtare, praecipiebant. Alii denique ſtatuebant, Meſſiam non in Iudaea natum et educatum iri, ſed iam adultum et inopinato proditurum eſſe, v. Prolegg. §. 7. *D.* n. 3. qui ita ſtatuebant, vel locum Michae non explicabant de Meſſia, vel forte opinabantur Meſſiam ibi appariturum eſſe. Omnes autem qui has de Meſſiae aduentu opiniones fouerent, et Iohannis proſapiam, locum vbi natus et educatus eſſet, ignorarent, cum adeo praeclara et miranda de Iohanne fama accepiſſent, cum illo tempore ab omnibus Meſſiae aduentus auide exſpectaretur, facile in eam incidere poterant opinionem, Iohannem eſſe Meſſiam (Luc. 3, 15.); atque ita perſpicitur, qui factum ſit, vt Iohannem legati interrogarint, an Meſſias eſſet? οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριϛός· pronomen ἐγὼ in plurimis praeſtantiſſimis libris ſignificantius praeponitur verbis οὐκ εἰμί.

21. καὶ ἠρώτησαν αὐτόν· τί οὖν; Ἡλίας εἶ σύ;] *tum interrogarunt: quid ergo? tune Elias es?* Exiſtimabant nimirum Iudaei, Eliam paulo ante Meſſiae in has terras aduenturum, ab inferis eſſe rediturum, v. nos ad Matth. 11, 9. 16, 14. Iohannes aperte reſpondebat, οὐκ εἰμί, negabat ſe Eliam eſſe eo ſenſu, quo interrogabatur. Nam longe alio ſenſu profitetur Ieſus ap. Matth. 11, 9. Iohannem eſſe Eliam a propheta (Mal. 4, 5.) annuntiatum, nempe doctorem, vita et factis Eliae ſimilem. ὁ προφήτης

εἶ σύ;] *num tu es propheta ille?* Articulus nomini προφήτης praepofitus docet, effe de certo quodam propheta fermonem, qui ex caeterorum numero eximatur. Quinam vero intelligendus fit? disfentiunt interpretes. Sunt qui putent Meffiam fignificari; legatos denuo quaefiuiffe ex Iohanne, an Meffias effet? et nomen tantum mutaffe. At quamquam non nego, Meffiam Ioh. 6, 14. vocari τὸν προφήτην τὸν ἐρχόμενον (coll. Luc. 7, 19.), 1 Macc. 14, 41. προφήτην πιςὸν hoc nomine prae caeteris dignum (Hefychius: πιςὸς, ἀληθής) et Iudaeos locum Deut. 18, 15. de Meffia intellexiffe v. Act. 3, 22, 7, 37. omninoque commode inter fe permutari potuiffe nomina προφήτης et Χριςὸς, cum etiam prophetae vngerentur v. 1 Regg. 19, 15. 16. *Schleufneri* Lex. fub v. Χριςὸς· illis tamen in locis Meffias non fimpliciter vocatur ὁ προφήτης, et cum ftatim ab initio legatis palam et aperte refponderit Iohannes, fe non Meffiam effe: nulla idonea afferri poteft ratio, cur ifti idem, mutato tantum nomine, quaefiuerint; praeterea v. 25. fat luculenter oftendit, eos probe diftinxiffe a Chrifto prophetam, de quo percontabantur, vt Ioh. quoque 7, 40. 41. accurate discernitur Chriftus a propheta venturo. Alii, vt *Beza*, *Bengelius*, *Heumanus*, fecuti Chryfoftomum, Cyrillum et Theophylactum, opinati funt, refpexiffe legatos locum Deut. 18, 15. quem intelligerent de propheta quodam venturo, Mofi fimili, a Chrifto tamen diuerfo. Dicam id quod fentio. Intelligendus eft omnino propheta ab Elia et Chrifto diuerfus, fed fynedros refpexiffe Deut. l. c. et diftinxiffe prophetam ibi memoratum a Meffia, probari nequit; v. Act. 3, 22. 7, 37. *Semlerus* et *Paulus* ad h. l. Ex ipfo fermone gradatim h. l. defcendente patet, legatos innuiffe prophetam, non modo a Chrifto diuerfum, fed etiam Elia minorem. Intelligebant nimirum Ieremiam, quem Meffiae temporibus refufcitatum iri credebant, v. 2 Macc. 15, 14. vbi ὁ τοῦ Θεοῦ προφήτης dicitur; vid. et Matth. 11, 9. 16, 14. quae perfuafio, vnde orta fit, perfpici poteft ex 2 Macc. 2, 7.

22 — 25. Iam legati, qui nollent ancipitem ad suos responsionem referre, Iohannem interrogabant: τίς εἶ; ἵνα ἀπόκρισιν δῶμεν κ. τ. λ. *quis es?* (dic nobis) *vt respondeamus iis, qui nos ad te miserunt, quemnam te ipsum profiteris?* Respondebat Iohannes, secutus morem Iudaeorum, qui libenter verbis ac vocibus e libris V. T. depromtis vterentur, verbis quae leguntur, Ies. 40, 3. quae Euangelista memoriter e versione septuagintauirali laudavit. Laudabat autem Iohannes Iesaiae locum, vt ostenderet, se esse doctorem, nuntium, et praecursorem Messiae. Hinc dicebat: de me valet, per me fit, quod propheta dixit. Caet. cf. not. ad Matth. 3, 3. — Monet Euangelista v. 24. legatos fuisse Pharisaeos, καὶ οἱ ἀπεσταλμένοι ἦσαν ἐκ τῶν Φαρισαίων, nempe maxima pars Synedrii Pharisaeis constabat; erant praeterea Pharisaei rituum tenaces, et libertatis populi defensores strenui v. ad Matth. 14, 2. p. 422. 22, 16. adeoque desiderio terreni redemtoris flagrabant ardentissimo. Ius et potestatem, Iudaeos baptizandi et per baptismum nouam religionis societatem colligendi (v. *Lightfootus* Horr. Hebrr. et Talmudd. ad h. l.), Messiae tantum concedebant Iudaei, eiusque praecursoribus in regno terreno instituendo Messiae opem laturis, V. T. prophetis in vitam redituris, coll. v. 25. et not. ad Matth. 12, 6. p. 362. 17, 11. non vero aliis. Iam cum Pharisaei spe sua se frustratos viderent, indignabundi eum interrogabant τί οὖν βαπτίζεις κ. τ. λ. *cur ergo baptizas*, cur tantam tibi auctoritatem arrogas, vt *Iudaeos* baptizes, v. ad Matth. 3, 6. p. 82. *cum neque Messias, neque Elias, neque vates ille sis?* τί pro διατί vid ad Matth. 6, 28. 26, 10.

26. 27. Statuebant Iudaei, Messiam (v. Zach. 13. 1 sq. Mal. 3, 2 sq.) eiusque praecursores, Eliam, Ieremiam (v. *Lightfootus* ad h. l.) lustraturos esse populum; statuisse vero etiam Iudaeos, Messiam, eiusque praecones, prophetas V. T. in vitam redituros, baptismo esse lustraturos ac nouis sacris initiaturos populum, hic ipse locus noster sat euiden-

ter docet, coll. Zach. 13, 1 sq. Luc. 3, 7. Matth. 3, 6. Itaque βαπτίζειν ἐν ὕδατι notat: in aquam immergere, baptizare, vt noua religionis societas colligatur. Iam cum sacerdotes, vt v. 25. legitur, declarassent Iohanni, eum non habere ius et potestatem Iudaeos baptismo lustrandi, atque vel sibi, vel etiam Messiae nouam religionis societatem colligendi, cum ipse neque Messias esset, neque Elias, aut Ieremias: respondebat Iohannes: aqua tantum baptizo, inter vos iam versatur Messias, quem nondum nostis, me longe maximeque superior v. 26. 27. Oratio affectus plena, breuis atque concisa. Cum verbo βαπτίζω significanter additum sit ἐν ὕδατι (coll. v. 33.) et sequatur „Messias adest me superior;" facile perspicitur, verbis inesse sensum hunc: ego Iudaeos in aquam tantum immergo, baptizo, vt coetum Messiae colligam, ab eo alius baptismus exspectandus, alio, efficaciori modo sibi coetum colliget, populumque lustrabit. Cum porro verba ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι, statim excipiat sententia haec: μέσος ὑμῶν ἕστηκεν ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, Messias inter vos iam versatur; haec ipsa Messiae, ad cuius auctoritatem simul tacite prouocat, aduentus annuntiatio, sacerdotes edocere poterat, se Dei iussu, qui et ipsum de Messiae his in terris aduentu edocuisset, coll. v. 33. Iudaeos baptizare atque baptismi ritu Messiae obstringere. Sensus ergo est: iure meo, iussu diuino baptizo, etsi non sim Messias, nec Elias, nec propheta ille. ἐν ὕδατι· praepositio ἐν redundat, vt saepius Hebr. ב, v. Luc. 3, 16. Act. 1, 5. μέσος ὑμῶν ἕστηκε] *inter vos est, versatur.* Etenim μέσος, vt Hebr. בקרב Ies. 5, 2. Ps. 22. 23, haud raro pleonastice ponitur, vt Sir. 48, 17. 50, 6. v. *Fischerus* ad *Leusdenium* de Hebraism. N. T. p. 88. et *Loesnerus* ad h. l. Sic quoque Latini loquuntur, vt Terent. Adelph. 3, 4. 33. *mater virginis in medio est* i. adest. Verbum autem ἱστάναι non tantum notat *stare, adstare*, sed etiam *adesse, viuere, versari in aliquo loco* v. Sir. 6, 34. 11, 20. et in versione Alexandrina respondet Hebr. שכן *habitauit, commoratus est*, Num. 9, 17. 10, 12. sed

ἕστηκεν vim habet praefentis, vt πεπίστευκα Ioh. 11, 27. 16, 27. ἤλπικα Ioh. 5, 25. 1 Cor. 15, 19. add. Luc. 8, 20. Act. 1, 11. Rom. 5, 2. 27. 28. Particulam δὲ quam alii pofitam putant pro καὶ, alii pro γὰρ, alii explicant *autem*, omittunt BC*L. Arm. corb. Orig. faepius, et commode ea abeffe poteft. ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, *quem vos nondum noftis*, *vobis adhuc ignotus*. οὐκ pro οὔπω vid. ad Marc. 11, 13. Verba αὐτός ἐστιν v. 27. in multis libris defunt, in aliis legitur, οὗτός ἐστι, vt infra v. 30. vtraque lectio gloffema fapit, et rectiffime *Griesbachius* αὐτός ἐστιν ex ordine eiecit, vt et quae fequuntur verba ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν, quae a multis optimae notae libris abfunt, adeoque adfcripta effe videntur a grammaticis, qui cum v. 30. legerent: περὶ οὗ εἶπον — ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν haec ipfa verba h. l. adfcribenda putarent, non reputantes, Iohannem ea proferre potuiffe, etfi Euangelifta non locum nec tempus notarit. In fine verfus in nonnullis codd. addita leguntur verba: ἐκεῖνος ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ, quae a grammaticis e Matth. 3, 11. in hunc locum translata funt. Caet. v. not. ad v. 15.

28. Vulgaris lectio Βηθαβαρᾷ in multis, etfi recentioribus codicibus extat, habere eam quoque videntur C*K. expreffa legitur in verf. Arm. Slau. iun. et ed. praetulit hanc lectionem Origenes, eamque emendatiora exemplaria Chryfoftomi (ὅσα τῶν ἀντιγράφων, inquit, ἀκριβέστερον ἔχει, ἐν Βηθαβαρᾷ φησιν· ἡ γὰρ Βηθανία οὐχὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, οὐδὲ ἐπὶ τῆς ἐρήμου ἦν, ἀλλ' ἐγγύς που τῶν Ἱεροσολύμων), Euthym. et Theophylacti habuerunt. Βηθαραβᾷ habent Philox. Syr. in marg. Orig. femel (fed Βηθαρᾷ mf.). Βηθαρᾷ 91. in m. ap. Mill. 116*. Orig. bis. Sed in optimis diuerfarum recenfionum libris, iunioribus quoque, legitur Βηθανίᾳ· quam lectionem etiam tuentur verff. Syr. Arr. Perff. Copt. (Aethiops utramque lectionem Βηθανίᾳ et Βηθαβαρᾷ coniungit) Vulg. v. *Griesbach*. Iam etfi dici poffet, nomen notius Βηθανίᾳ a librariis fcriptum

fuisse pro nomine minus noto Βηθαβαρᾶ, vid. *Schultessius* in libro: *die Gewissheit der Schrifterklärung, erprobt aus der Evangel. Erzählung von der Wiederbelebung des Lazarus, Zürich* 1808. p. 119 sqq. qui lectionem Βηθαβαρᾶ pluribus argumentis defendere studuit; verior tamen et antiquior scriptura, Βηθανία, vulgaris autem lectio Βηθαβαρᾶ ex Origenis ingenio prouenisse videtur. Etenim Origenes Opp. T. 2. p. 130 ed. Huet. (cuius auctoritatem secuti sunt Suidas, Theophylactus, Chrysostomus) ipse profitetur, in omnibus fere codicibus exstare lectionem Βηθανία (σχεδὸν ἐν πᾶσι τοῖς ἀντιγράφοις), et ita quoque Heracleonem (qui ante ipsum Euangelium Iohannis interpretatus fuerat) legisse; sibi tamen persuasissimum esse, non legi debere Βηθανίαν (ἐπείσθημεν μὴ δεῖν Βηθανίαν ἀναγινώσκειν); praeter Bethaniam enim prope Hierosolymam, nullum aliud huius nominis oppidum notum esse, se vero audiuisse, ad ripam Iordanis sitam fuisse quondam Bethabaram. Hac igitur de caussa, parum idonea, Origenes, qui nec disertis verbis dixit, se in codd. reperisse Βηθαβαρᾶ, lectionem Βηθανία mutandam esse censuit. Vnde perquam probabilis est coniectura *Benzenbergii*, in *theolog. Nachrichten, Marburg.* 1807. p. 373. a librariis incuriis et nimis festinantibus, e vocabulo Βηθανία per compendium scripto, confictum esse nomen Βηθαρᾶ, inde vero Origenem, cum et olim in locis illis sita fuerit *Bethbara* v. Iudd. 7, 24. coniecisse legendum esse Βηθαβαρᾶ. Quae coniectura non tantum eo confirmatur, quod saepius librarii in nominibus locorum scribendis errarunt, et cod. 91. in m. ap. Mill. 116 * Βηθαρᾶ legunt, sed etiam eo, quod ipse Origenes bis habet Βηθαρᾶ. Rescribendum ergo est cum *Griesbachio* et *Matthaeio* Βηθανία, et statuendum, duo huius nominis oppida fuisse, alterum, Hierosolymis vicinum, v. Ioh. 11, 1., alterum, ad ripam Iordanis situm, cuius h. l. mentio facta sit. Hinc etiam scriptor, vt haec oppida discerneret, adiecisse videtur h. l. πέραν τοῦ Ἰορδάνου et 11, 1. ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ

Μάρθας, ſicuti Bethlehemum, oppidum in tribu Iudae ſitum, Matth. 2, 1. vocatur Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας, quo diſcernatur ab alio eiusdem nominis oppido in Galilaea inferiori. cf. et not. ad Marc. 6, 45. Luc. 24, 12. πέραν τοῦ Ἰορδάνου] fluctuant interpretes, quo ſenſu τὸ πέραν ſit accipiendum. Nempe πέραν reſpondet Hebraeorum עֵבֶר et non modo notat *trans*, ſed etiam *iuxta*, *prope*, *cis*, v. *Vorſtius* de Hebraiſm. N. T. p. 229. et nos ad Matth. 4, 14. *Bielii* Theſ. ſub v. πέραν. Hinc plures interpretes opinantur πέραν h. l. reddendum eſſe *trans* Iordanem, atque contendunt, Iohannem tunc temporis in Peraea flumini immerſiſſe. Ego vero interpretibus iis accedo, qui πέραν explicant *cis*, *diſſeits*, in Iudaea. Etenim quamquam non ignoro, Iohannem cis et trans Iordanem aquis immerſiſſe v. Luc. 3, 3. coll. Ioh. 3, 26. pluribus tamen de cauſſis h. l. de Peraea cogitari nequit. Nam Iohannes Matth. 3, 1. Iudaeos baptismo initiare coepiſſe dicitur ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας, ſed deſerti illius fines vltra Iordanem non pertingebant, et Matth. 3, 5. primo memorantur Hieroſolymorum et Iudaeae, atque tunc demum regionis Iordani finitimae incolae; h. l. vero Iohannes profitetur ſe eſſe doctorem in deſerto coll. v. 23. ergo baptizabat tunc temporis in deſerto Iudaeae; nec ſynedrii auctoritas in Peraea, cui Herodes praeerat, tanta erat, vt ad Iohannem legatos mittere poſſet, qui ab eo de baptismo rationem poſcerent, et legati ipſi miſſi ſunt haud dubie non ita multo poſt quam Iohannes doctor et Baptiſta prodierat. Huic ſententiae noſtrae non repugnat locus Ioh. 10, 40. vbi Ieſus, relictis Hieroſolymis, ſe contuliſſe legitur πέραν τοῦ Ἰορδάνου, εἰς τόπον, ὅπου ἦν Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων· nam non neceſſe eſt vt πρῶτον reddatur, *primum*, *prima vice*; reddi etiam poteſt *antea*, *olim* v. *Schleuſneri* Lexicon h. v. vt adeo cogitetur de Peraea, trans Iordanem ſita; cum vero πέραν etiam ſimpliciter τὴν παραποταμίαν notet, ita, vt ſit *prope*, *iuxta*, retineri poteſt propria vocis πρῶτον ſignificatio, et πέραν τοῦ Ἰορδάνου verti *ad*, *prope*, *cis Iorda-*

nem, atque adeo defertum Iudaeae intelligatur; quod praefero. Nec aduerfatur fententiae noftrae, imo eam confirmat locus Ioh. 3, 26. πέραν τοῦ Ἰορδάνου eft ibi *trans Iordanem*, fed fignificatur regio Iordani adiacens, quae difcipulis erat πέραν *trans*, erant autem Iohannis difcipuli vna cum magiftro tunc temporis in Peraea coll. v. 23. Iefus vero in Iudaea coll. v. 22. et haec ipfa regio l. c. v. 26. intelligenda eft; in Iudaea ad ripam Iordanis Iohannes cum Chrifto verfatus erat, eum flumini immerferat. — *Boltenius* poft ἐγένετο interpungit, et verba πέραν τοῦ Ἰορδάνου ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων cum verbis v. 29. τῇ ἐπαύριον κ. τ. λ. coniungit; vertit: *Dies gefchahe zu Bethanien. Am Ufer des Iordans, wo Iohannes taufte, fah er den Tag darauf* etc. Eum fecutus eft *Paulus*, per Bethaniam autem intelligit oppidum illud Hierofolymis vicinum, atque fufpicatur, Iohannem eo tunc temporis iter fufcepiffe, ibi cum fynedris colloquium, quod h. l. v. 19 fqq. memoratur, habuiffe, eodem vero die inde rediiffe, et trans Iordanem, in Peraeam, fe contuliffe, ibique poftero die τῇ ἐπαύριον v. 29. Iefum vidiffe et ea dixiffe quae v. 29 fqq. leguntur. Haec tamen coniectura nullis idoneis rationibus nititur et per fe parum probabilis eft v. *Schultefsius* l. l. p. 125 fq. repugnant ei etiam linguae leges, e quibus tunc fcribendum fuiffet: καὶ τῇ ἐπαύριον πέραν τοῦ Ἰορδάνου ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων, βλέπει τὸν Ἰησοῦν κ. τ. λ. aut, πέραν δὲ τοῦ Ἰορδάνου, vt locus, quo ea euenerunt quae fequuntur, ab eo loco, quo legati cum Iohanne conuenerant, difcerneretur.

29. τῇ ἐπαύριον] Synedrii legatos ad Iohannem ante baptismum Chrifti veniffe, iam fupra ad v. 19. notauimus. Hiftoriam de baptismo Chrifti Euangelifta omifit, et inde a v. 29. vsque ad 36. quae vario tempore Iohannes de Chrifto, praefentibus affeclis pluribus, teftatus eft, fine accuratiore notatione temporis attulit. Dixiffe autem Iohannem ea quae haec fectio v. 29 — 36. continet, poftquam

Chriſtus baptismum ſusceperat, ipſe contextus ſat luculenter docet. Nam v. 31. declarat, ſe ante baptismum Chriſti ignoraſſe, eum eſſe Meſſiam, ſed v. 29. ita de Chriſto loquens inducitur, vt ſatis clarum ſit, eum tunc temporis id non amplius ignoraſſe; et v. 33. de iis, quae, cum Chriſtus baptizaretur, euenerunt, tanquam de re praeterita loquitur. Neque tamen arbitror, ea, quae v. 29—34. leguntur, poſt Chriſti tentationem a Iohanne dicta eſſe, ſed ſeries rerum haec fuiſſe videtur. Poſteaquam Chriſtus baptismum ſusceperat, e pluribus colloquiis cum eo priuatim inſtitutis, Iohannes cognouerat, vt poſtea Andreas v. 39. 41. τὸ πνεῦμα ἐπ' αὐτὸν μένειν coll. v. 32. Cum deinde Chriſtus in eo eſſet, vt in deſertum, v. Matth. 4, 1. abiret, precibus ac piis meditationibus ad munus ſuum ſeſe praeparaturus, accedebat ad Iohannem, ei, vt videtur, valedicturus. Cum Iohannes Ieſum ad ſe accedentem conſpiceret, ea dicebat proxime adſtantibus diſcipulis ſuis, quae v. 29—34. allata ſunt. Neque tamen legimus, Iohannis teſtimonio de Chriſto ibi memorato, vllum diſcipulorum eius permotum fuiſſe, vt ſe ad Chriſti ſigna conferret. Nempe Chriſtus tunc in loca ſolitaria abibat. At relatum erat ſynedris, quod de Ieſu teſtatus erat Iohannes. Vt ergo accuratius cognoſcerent, an Ieſus Meſſias eſſet, quem exſpectarent, cum Iohannes ſe Meſſiam eſſe negaſſet; vnum de ſynedrii principibus ad eum in deſerto degentem legabant, qui eum exploraret. v. not. ad Matth. 4. p. 106. Poſt quadraginta dies redibat Ieſus e deſerto, munus ſuum auſpicaturus, et cum in conſpectum Iohannis veniret, repetebat hic diſcipulis ſuis praeſentibus v. 36. quae nuper v. 29. de Ieſu profeſſus erat, atque inde ab eo tempore plures de Iohannis diſcipulis Ieſus ſectatores nanciſcebatur, vid. v. 37 ſqq. cum quibus in Galilaeam redibat v. 43. Sic mihi quidem de hoc loco videtur. Neque obſtat locus Marc. 1, 12. vbi Ieſus, inſtinctu diuino, poſt baptismum ſusceptum, εὐθὺς, *ſtatim*, in deſertum abiiſſe legitur. Satis enim conſtat aduerbium εὐθὺς, non ſemper

notare *ſtatim, confeſtim,* ſed etiam *mox, paulo poſt,* vt Ioh. 13, 32. Marc. 1, 28. et non minus quam εὐθέως moram aliquam temporis includere; v. *Glaſſii* Philol. S. p. 376. vnde et Matth. loco parallelo 4, 1. habet τότε, quae particula non accuratius tempus definit, ſed et temporis intervallum longius indicat. Neque aduerbium τῇ ἐπαύριον (ſcl. ἡμέρᾳ) v. 29. 34. adhibitum, ſententiae ſupra propoſitae aduerſatur; nam non ſemper et vbique notat *diem ſequentem*, ſed vt Hebr. מחר omnino etiam *poſtea, aliquanto poſt,* μετὰ ταῦτα v. Ioh. 4, 6. 22, 24. 27. 28. vid. *Cappellus* ad h. l. Caeterum ὁ Ἰωάννης, quod a codd. diuerſarum recenſionum permultis abeſt, a grammaticis adſcriptum eſſe videtur.

Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου] vertunt: *en agnum Dei, qui hominum peccata fert* l. *tollit*, reatum peccatorum tollit f. expiat. Vario modo haec verba explicuerunt interpretes, v. *Wolfii* Curas ad h. l. *Storrii Grammatiſche Bemerkungen üb. Ioh.* 1, 29. in *Flatti Magazin für chriſtl. Dogm. u. Moral* P. 2. p. 193. ſs. *Pauli Kommentar* ad h. l. inprimisque *Gableri* Meletemata in locum Ioh. 1, 29. IV. Ienae 1808 — 1811, 4. Ac plurimi quidem interpretum ſtatuunt, Iohannem verbis ἴδε ὁ ἀμνὸς κ. τ. λ. auditores ſuos monere voluiſſe, Ieſum Chriſtum mortem cruentam pro peccatis vniuerſi generis humani ſubiturum, et ſatisfactionem vicariam praeſtiturum eſſe. Ad quam ſententiam comprobandam prouocant ad ipſam comparationem Chriſti cum agno ἴδε ὁ ἀμνός, eaque Iohannem reſpexiſſe praecipiunt, *agnum paſchalem*, aut *agnos* in V. T. *ſacrificio oblatos*, nominatim *ſacrificium iuge*, vt vocant h. e. agnos quotidie tempore matutino et veſpertino in templo mactatos Exod. 29, 38 ſqq. Num. 28, 3 ſs. aut locum Ieſ. 53, 7. omnes in eo conſentiunt, ſpectari Ieſum tanquam *victimam pro peccatis hominum Deo oblatam*, vt 1 Petr. 1, 19. A) Qui de agno paſchali cogitandum eſſe cenſent, α) laudant hanc in rem locum 1 Cor. 5, 7.

vbi Paulus Chriftum cum agno pafchali comparauit, atque vfus eft verbis his: *καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριςός.* β) monent, praeeunte *Lampio*, Iohannem ad hanc comparationem deductum effe, adfpectu gregum ouium, illo tempore, quo Pafcha Iudaeorum inftaret coll. 2, 13. Iordanem transuectorum, e quibus agni Pafchales d. X menfis Nifan eligerentur. γ) notant denique, agnos Pafchales in V. T. vocari זבחים, Ex. 12, 27. 23, 18. 34, 25. et a Iofepho atque Philone *θυσίας* et *θύματα*, v. *Grotius*, *Lampius*, *Heumanus*, *Michaelis* ad h. l. His vero ita ftatuentibus, ab aliis, nominatim a *Gablero* et *Paulo* ll. cc. oppofita haec funt: Vocantur agni Pafchales *θυσίαι* et *θύματα*, quoniam in templo mactabantur et fanguis eorum a facerdotibus Deo offerebatur, coll. 2 Paral. 35, 11. combufto fimul ipforum adipe in altari. Sed *improprie* tantum agni Pafchales, facrificia vocantur, nam non ficut reliqua facrificia ab ipfis facerdotibus mactabantur, retenta fimul pro templo vel facerdotibus aliqua victimae parte, fed mactabantur in templo *ab ipfis patribus familias*, vid. nos ad Matth. 26, 17. p. 721. nec vlla pars carnis agnorum reddebatur facerdotibus, fed quilibet paterfamilias cum familia fua agnum Pafchalem comedere debebat. Pafcha celebrabatur in memoriam liberationis a feruitute Aegyptiorum et immunitatis a clade Aegyptiorum, vid. Exod. 12, 31 fq. 13, 3 — 10. et mactabantur in templo agni, eam ob cauffam, vt Pafchatos celebratio religionis fpeciem indueret. Erant ergo agni Pafchales, ne facrificia quidem *proprie* fic dicta, multo minus *facrificia piacularia*, qualia effe debuiffent, fi *mortem* Chrifti *expiatoriam*, nomine *agni Dei* fignificare voluiffet Iohannes. Si comparationem inftituendi locum Iohanni dedit adfpectus gregum ouium, ante Pafcha, quod intra paucas feptimanas celebrandum erat, Iordanem transuectorum, non nifi manfuetudinis et patientiae imago ab adfpectis his ouibus in Iefum transferri potuit. Quod locum 1 Cor. 5, 7. attinet, *Gablerus* Mel. 2. p. 6. haec monuit: ad hanc

imaginem agni Paſchalis non admodum aptam, deduxit Apoſtolum ipſa orationis ſυναφεία, qua vitae honeſtatem et ſobrietatem homine chriſtiano dignam, comparat cum azymis Iudaeorum, quibus abſtinendum ſit ab omni fermento, coll. v. 6. Hoc quidem ſententiarum nexu permittere ſibi poterat Paulus imaginem per ſe quidem parum aptam, cuius vero ſimilem cauſſam in loco noſtro Iohanneo vix inuenire licet. Nec vllus alius eſt in epiſtolis Paulinis locus, in quo redeat haec agni Paſchalis imago, etſi oratio Paulina toties conuertatur ad ſupplicium I. C. ſalutare, atque hoc ipſum ſaepius *ſacrificii* imagine adumbret. B) Alii vocem ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ex Ieſ. 53, 7. depromtam putant ita, vt ei inſit notio victimae pro hominibus Deo oblatae. Quodſi vero etiam concedatur, Iohannis menti locum Ieſaiae obuerſatum eſſe, tamen non cogitare potuit de ſacrificio Deo oblato, ſed agnus ei fuit ſymbolum patientiae et manſuetudinis, qua is, qui malis miſeriisque opprimitur, ne muſſitat quidem; ſed mala conſtanter et patienter perfert, v. Ieſ. 53, 7. quo eodem ſenſu Ieſaiae locus repetitur Act. 8, 32. nec Ieſ. l. c. ſermo eſt de agno *immolando*, ſed mactando vel tondendo. C) Plures Iohannem in mente habuiſſe autumant *agnos*, e legis Moſaicae praeſcripto, *ſacrificio* oblatos. Neque tamen ſic agni tanquam ſacrificii piacularis rationem habere potuiſſe Iohannem, *Paulus* atque *Gablerus* animadverterunt, cum agni e lege Moſaica non inſeruierint ſacrificiis ἱλαστικοῖς proprie ſic dictis, ſed alia animalia, tauri, capri, hoedi etc. v. Leuit. 4, 4. 14. 23. 28. 5, 6. 7. 15. 18. 25. „Noli obiicere, ſcribit *Gablerus* l. c. p. 10. locum Leuit. 4, 32. vbi ſacerdos ad *abolendum reatum* proprium, כבש offerre iubeatur. Nam כבש proprie eſt mediae aetatis agnus ad tertium annum vsque; deinde notat cuiusuis aetatis maſculum (v. Lexx. et *Bocharti* Hieroz.), ſed ἀμνὸς et Heſychio ἐνιαύσιος. Leuit. autem l. c. כבש non denotat *agnum*, ſed *ouem*, vnde et Alexandrini habent πρόβατον, Vulg. *ouis*. Neque obſtant *holocauſta*,

quae et ipfa ad facrificia expiatoria referunt, quibusque et agnos inferuiiffe ex Leuitico et Numeris conftat. At non omnia holocaufta erant facrificia ἱλαςικὰ, nec quoad rem obiectam et σκοπὸν, quo tenderent, peculiarem conftituebant facrificiorum claffem, a reliquis facrificiorum generibus diuerfam, fed differebant nonnifi *offerendi* modo. Etenim ea pertinebant modo ad facrificia ἱλαςικά, modo ad καθάρσια, modo ad εὐχαριςικά, et eatenus modo ab aliis facrificiis fuerunt diftincta, quod victimae comburerentur integrae. Agni vero folis inferuiebant facrificiis καθαρσίοις et εὐχαριςικοῖς, non itidem ἱλαςικοῖς, etiamfi fuiffent ὁλοκαυςά." — D) Itaque alii refpexiffe Iohannem cenfent ad *facrificium iuge.* Hoc, inquiunt, facrificium totum comburebatur, et offerebatur ad expianda fcelera non tantum *Iudaeorum* fed *totius generis humani* (τοῦ κόσμου), v. *Vitringa* Obff. Sacrr. Lib. 2. *Deylingius* Obff. S. P. 3. p. 254 fs. *Wetftenius*, *Semlerus* et *Rofenmüllerus* ad h. l. *Eckermanus* in *theol. Beyträgen* B. 1. St. 2. p. 26 fq. Laudant Iofeph. de B. Iud. 2, 10. 5. qui ibi narrat, Iudaeos affirmaffe Petronio, praefidi, fe bis quotidie, pro Caefare et populo Romano, offerre facrificia; Iofeph. c. Apion. L. 2. c. 5. Philon de victim. init. et 1 Macc. 12, 11. 12. Verum enimuero, vt fcienter animaduertit *Gablerus* l. c. p. 14. facrificia illa matutina et vefpertina pro *populo Iudaico*, publicis impenfis, ex lege Mofaica Deo oblata, v. Iofeph. Ant. 3, 10. non commifcenda funt cum facris illis, pro Caefare et populo Romano quotidie factis, quibus faciendis fumtus *ex reditibus Romanorum* fuppeditarentur, v. Iofeph. B. I. 2, 17. 2. vbi diferte diftinguuntur facra *pro Romanis* fumtu Caefaris inftituta, etfi eodem tempore, et fimili modo, et ab ipfis Iudaeorum facerdotibus adminiftrata, a facrificiis Iudaeorum *pro fe ipfis* oblatis; add. Philo Leg. ad Cai. ed. Francof. p. 1014. Auguftus *προςτάξας καὶ δι αἰῶνος ἀνάγεσθαι θυσίας ἐνδελεχεῖς ὁλοκαύτους καθ' ἰδίαν ἡμέραν ἐκ τῶν ἰδίων προσόδων, αἳ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐπιτελοῦνται, καὶ εἰς*

ἅπαν ἐπιτελεσθήσονται· et p. 1036. vbi Philo refert Agrippam ad Caium eadem perſcripſiſſe: διετάξατο γὰρ ἐκ τῶν ἰδίων προςόδων ἀνάγεσθαι θυσίας ἐντελεῖς ὁλοκαύτους τῷ ὑψίςῳ Θεῷ καθ' ἑκάςην ἡμέραν, αἳ καὶ μέχρι νῦν ἐπιτελοῦνται· ἄρνες εἰσὶ δύο καὶ ταῦρος τὰ ἱερεῖα. Nec obſtat locus Ioſephi contra Apion. L. 2. c. 5. *Legislator — honoribus poſt Deum colendos non prohibuit viros bonos, quibus nos et Imperatores et Pop. Romanum dignitatibus ampliamus. Facimus autem pro iis continua ſacrificia; et non ſolum quotidianis diebus ex impenſa communi omnium Iudaeorum talia celebramus; verum cum nullas alias hoſtias ex communi neque pro filiis peragamus, ſolis Imperatoribus hunc honorem praecipuum pariter exhibemus, quem hominum nulli perſoluimus.* Nam, vt appoſite *Gablerus* monuit, locus ille ſola latina verſione, eaque incerta adhibetur, et conſtat, Ioſephum data quauis occaſione Romanis eorumque Imperatoribus nimium adulatum fuiſſe, corrupta haud raro rerum geſtarum veritate. Quodſi vero etiam ex hoc loco probari poſſet, ſacrificia illa pro Iudaeis et Romanis inprimisque eorum Imperatoribus celebrata fuiſſe, quod vel propterea improbabile eſt, quoniam Iudaeorum ſuperſtitio omnem cum gentilibus in rebus ſacris commixtionem aduerſabatur: neutiquam tamen ex loco illo hoc effici poteſt, ſacrificia illa non tantum pro Iudaeis, ſed etiam pro *vniuerſo genere humano* Deo fuiſſe oblata. Neque adeo audiendus Philo, qui de victimis Hebraeorum Lib. de victim. init. affirmat: αἱ μὲν εἰσιν ὑπὲρ ἅπαντος τοῦ ἔθνους, εἰ δὲ δεῖ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, ὑπὲρ ἅπαντος ἀνθρώπων γένους. „Nam cum notum ſit, vtor *Gableri* verbis, quam alieni fuerint Iudaei a caritate generis humani vniuerſitatem amplectente; Philo πᾶν τῶν Ἰουδαίων ἔθνος in πᾶν ἀνθρώπων γένος mutauit, vel abreptus philoſophandi licentia, quam vti in omnibus libris, ita inprimis in hoc *de victimis*, ſecutus eſt, vel ſibi perſuaſit, legem Moſaicam, vtpote divinam, integram complecti debere generis humani vni-

verſitatem." — Nec denique e loco 1 Macc. 12, 10. 11. probari poteſt, ſacrificium iuge vniuerſum genus humanum ſpectaſſe. Legitur ibi: ἐπειράσθημεν ἀποστεῖλαι τὴν πρὸς ὑμᾶς ἀδελφότητα καὶ φιλίαν ἀνανεώσασθαι. — Ἡμεῖς οὖν ἐν παντὶ καιρῷ ἀδιαλείπτως ἔν τε ταῖς ἑορταῖς, καὶ ταῖς λοιπαῖς καθηκούσαις ἡμέραις μιμνησκόμεθα ὑμῶν, ἐφ' ὧν προσφέρομεν θυσιῶν, καὶ ἐν ταῖς προσευχαῖς, ὡς δέον ἐστὶ καὶ μνημονεύειν ἀδελφῶν. Vocantur ibi Lacedaemonii a Iudaeis *fratres*, non tanquam gentiles, quos aequo amore complecterentur, ſed quod communem ab eodem parente originem ducerent. Tales enim ſeſe profeſſi erant Lacedaemonii in literis ad Iudaeos datis. Itaque conſentaneum fuiſſet in precibus et ſacris ὑπὲρ παντὸς τοῦ ἔθνους, et horum meminiſſe, qui ſe Abrahami poſteros profiterentur. Sed erroneam eſſe hanc opinionem de cognatione Lacedaemoniorum et Iudaeorum, atque vtramque epiſtolam 1 Macc. 12. eſſe fictitiam, docte et copioſe demonſtrauit *Gablerus* in *Neueſt. theol. Journal* Th. 8. p. 424 ſqq. Quod autem rationem et conſilium ſacrificii iugis attinet, erat illud non ἱλαστικόν, quamuis ὁλοκαύτωμα eſſet, ſed erat e genere εὐχαριστικῷ, grates ſoluebantur hoc ſacrificio Deo, pro beneficiis quotidianis populo Iſraelitico exhibitis. Philo de victimis p. 836. καθ' ἑκάστην μὲν οὖν ἡμέραν δύο ἀμνοὺς ἀνάγειν διείρηται, τὸν μὲν ἅμα τῇ ἕῳ, τὸν δὲ δείλης ἡμέρας, ὑπὲρ εὐχαριστίας ἑκάτερον, τὸν μὲν ὑπὲρ τῶν μεθ' ἡμέραν, τὸν δ' ὑπὲρ τῶν νύκτωρ εὐεργεσιῶν, ὡς ἀπαύστως καὶ ἀδιαστάτως τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων ὁ Θεὸς χορηγεῖ.

Qui ergo hanc ſententiam defendere volunt, Iohannem qui Chriſtum nominauerit ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ, cogitaſſe de agnis e lege Moſaica ſacrificio oblatis, ii ſtatuere debent, Ieſum comparatum eſſe cum agno, qui in ſacrificio καθαρσίῳ offerebatur. Ipſa quidem etiam ſacrificia piacularia aliquo ſenſu dici poſſunt luſtralia, proprie tamen

ſacrificia καθάρσια dicebantur, quibus Iudaei ab impuritate quadam ciuili et eccleſiaſtica *per ſe* quidem culpa vacua purgarentur. A Naſiraeo, qui caſu funere pollutus eſſet, v. Num. 6, 9 ſs. ἀμνὸς ἐνιαύσιος immolandus erat. Etiam puerperae ἀμνὸν ἐνιαύσιον offerre debebant εἰς καθαρισμὸν, v. Leuit. 12, 6. A leproſo e legis praeſcripto, v. Leuit. 14, 12 ſs. 21. duo agni offerendi erant, quorum vnus (ἀμνὸς ἄμωμος 1 Petr. 1, 19.) non propter certum quoddam peccatum commiſſum, ſed omnino propter reatum aliquem admiſſum, immolari debebat. Iudaei enim morbum grauiorem quemcunque, nominatim etiam lepram, poenam peccati dicebant et exiſtimabant, v. ad Matth. 9, 1. Diſcernitur autem hoc ſacrificium ab illis piacularibus, quae pro ſingulis peccatis cognitis offerebantur, quorum claſſes Leuit. 4. 5. enumerantur. Non erat hoc ſacrificium proprie ἱλαστικὸν, ſed tractabatur modo *tanquam* tale a ſacerdotibus, vid. Leuit. 14, 13. „Sacrificia igitur luſtralia eo fiebant conſilio, vt is, qui impuritatem aliquam, leuiticam puta, ſibi contraxiſſet, in eccleſiae iterum reciperetur conſortium, quo per iſtam immunditiem fuiſſet excluſus, atque cum Deo, ab omni quidem impuritate alieniſſimo, in gratiam rediret, omnique denique liberaretur poenarum futurarum metu. Erant igitur haec ſacrificia καθαρτικὰ *ſolennia recuperatae puritatis eccleſiaſticae et ciuilis ſymbola.* Quae ſi referas ad nomen *agni Dei*, quo Iohannes Baptiſtes Ieſum h. l. compellauit, hac quidem agni ſacrificio καθαρτικῷ oblati imagine negari plane non poteſt, commode adumbrari potuiſſe mortem I. C. cruentam. Saepius enim redit haec imago ἀρνίου ἐσφαγμένου de Ieſu ſeruatore in Apocalypſi Iohannea. Nec plane aliena eſt haec notio ſacrificii καθαρσίου a loco 1 Petr. 1, 19. vbi Chriſtus diſerte appellatur ἀμνὸς ἄμωμος et ἄσπιλος, etſi haud indigeat ille locus illuſtratione a ſacrificiis καθαρτικοῖς repetita, quippe quo ſolummodo agatur de vindicatione e ſeruitute Iudaicarum religionum et opinionum in libertatem chriſtianam. Io-

hannes igitur, fi quidem nomine agni Dei fupplicium I. C. depicturus nonnifi ad agnos illos facrificio luftrali oblatos refpexit; hanc modo fententiam de morte Chrifti tenuiffe cenfendus eft: *Iefum Chriftum morte fua cruenta futurum effe folenne et recuperatae puritatis et reftituti fauoris diuini fymbolum.* At hoc fenfu verborum admiffo, nullum plane vis fupplicii I. C. *ἱλαστικῆς* et vicariae, quam h. l. anquifiuere Theologi, veftigium, huic formulae Iohanneae impreffum effe apparet." *Gablerus* Mel. 2. p. 18 fq. Neque tamen illa facrificia luftralia refpexiffe putandus eft Iohannes, alienus a morte Chrifti praeuidenda, qua de re infra dicendi locus erit.

Verum enimuero Iefum h. l. fpectari tanquam victimam pro peccatis hominum Deo oblatam, non tantum inde probare voluerunt interpretes, quod Iohannes eum nomine agni infigniuerit, fed exinde etiam, quod adiecerit nomen *τοῦ Θεοῦ*, inprimisque e verbis *ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου*, quibus vis ac poteftas vocis *ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ* clarius et accuratius conftituatur. *Agnum* enim *Dei* effe vel *Deo acceptum* (vt Pf. 51, 19. זִבְחֵי אֱלֹהִים, *facrificia quae Deo placent*, Ioh. 6, 29. *ἔργον τοῦ Θεοῦ*, *opus Deo probatum.* Eph. 4, 18. *ζωὴ τοῦ Θεῦ*, *vita Deo probata*) vel *a Deo ipfo morti cruentae deftinatum*, *ὡρισμένον τοῦ Θεοῦ*. Verbum autem *αἴρειν* in verfione Alexandrina refpondere Hebr. נשׂא quod fignificet vel *auferre*, vel *ferre*, *portare*, vt נשׂא fit idem quod סבל. Priore fignificatu admiffo, vocabulum *ἁμαρτία* eo fenfu accipi debere, vt fit *poena peccatorum*, atque adeo formulam *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* exprimendam effe, *tollere reatum peccatorum*, *ἐξιλάσκεσθαι*, *expiare peccata.* Effe tamen pofteriorem verbi *αἴρειν* fignificationem praeferendam, vt *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* notet *ferre peccata* i. luere poenam peccatorum, cum fermo fit de agno immolato, et in facris Hebraeorum victima in fe receperit atque portarit peccata, v. Leuit. 4, 4. 16, 21. Per *κόσμον* denique intelligendum effe praecipiunt *genus*

humanum. His vero ita ſtatuentibus plura opponi poſſunt. Scilicet verbum *αἴρειν* in libris N. T. interdum quidem ſignificat *ferre, portare,* vt Matth. 10, 38. 27, 32. ſed ex uſu loquendi aliorum ſcriptorum Graecorum, non vero verſionis Alexandrinae, cuius tamen loquendi conſuetudinem interpretes illi vrgent, qui h. l. de victima piaculari cogitant. Verbum Hebr. נָשָׂא notat, *auferre, remouere, tollere,* et *ferre, portare;* nunquam autem *αἴρειν* in verſione ſeptuagintauirali adhibetur, cum נָשָׂא idem valet quod סבל *portare, ferre,* (ſi hoc ſignificatu נָשָׂא occurrit, exprimitur verbis *φέρειν, λαμβάνειν, ὑπέχειν,*) ſed *αἴρειν* reſpondet verbo נָשָׂא, cum hoc *auferendi* notionem obtinet, atque tunc idem notat quod *ἀφαιρεῖν,* v. *Trommius* et *Bielius;* et *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* nusquam in verſione Alexandrina de *victima piaculari* occurrit, nec ita vt ſit *peccatorum poenas luere, puniri ob peccata,* ſed iis in locis, quibus *αἴρειν* ad peccata refertur, notat: *peccata remouere, auferre,* vt *ἐξαιρεῖν* legitur Exod. 28, 38. et *ἀφαιρεῖν* Leuit. 10, 17. vel *condonare,* vt 1 Sam. 15, 25. vbi verba: וְעַתָּה שָׂא נָא אֶת־חַטָּאתִי, *οἱ ὁ* expreſſerunt: *καὶ νῦν ἆρον δὴ τὸ ἁμάρτημά μου.* 25, 28. שָׂא נָא לְפֶשַׁע אֲמָתֶךָ, *ἆρον δὴ τὸ ἀνόμημα τῆς δούλης σου·* vnde et aliis in locis Alexandrini interpretes vocem Hebraicam נָשָׂא עָוֹן reddiderunt *ἀφιέναι τὴν ἁμαρτίαν,* vt Pſ. 25, 18. 32, 1. 5. 85, 3. Ieſ. 33, 24. (qua formula alias expreſſerunt סלח, Leuit. 4, 20. Num. 15, 19. כִּפֶּר Ieſ. 22, 14.) *λήθην ποιεῖν τῆς ἀνομίας* Iob. 7, 21. Itaque ſignificatio verbi *αἴρειν, ferre, portare,* quam plures interpretes ei ſubſtituunt, et formulae *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν, pro alieno peccato puniri ſe pati, poenas peccatorum luere,* ex vſu loquendi verſionis Alexandrinae probari nequit, et Iohannes, ſi de victima pro peccatis hominum oblata cogitaſſet, et vſum loquendi Alexandrinorum interpretum reſpexiſſet, vſus potius fuiſſet, vt *Zieglerus* in *Gableri Neueſt. theol. Journal* B. 9. p. 44. obſeruauit, verbis: *ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ ὁ προςφερόμενος ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου.* Apud ſcriptores tamen profanos

verbum *αἴρειν* non tantum significat *auferre, tollere*, sed etiam *ferre, portare, in se recipere, sustinere*. Ex horum ergo scriptorum loquendi consuetudine, formula *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* in se spectata significare posset, *poenas peccatorum luere*, et cum *agni*, vt supra ostensum est, non adhibiti fuerint in sacrificiis piacularibus, *agnus*, nulla victimarum ratione habita, spectari posset, tanquam *imago innocentiae, patientiae seruatoris* atrocissima supplicia subituri. Sed vt infra docebimus, parum probabile est, Iohannem talia supplicia Iesu futura, eaque piaculi loco pro peccatis generis humani, mente praecipere potuisse. Alia ergo notio verbo *αἴρειν* h. l. substituenda est. Iam cum *αἴρειν* contineat quoque notionem *auferendi, tollendi*, posset formula *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* explicari *auferre peccatorum poenas, condonare*. Quod autem hanc significationem attinet, *remissio* quidem peccatorum, monente *Gablero* Melet. 3. p. 13. *proprie* Christo tribui nequit; sed si mors seruatoris cruenta spectari posset ceu victima piacularis pro peccatis generis humani, sublatae omnino dici possent poenae peccatorum per I. C. eiusque mortem salutarem. At *agni* ratio, quo quidem nomine Iesus a Iohanne Baptista compellatur, hunc sensum h. l. haud permittit, si ritus sacrificales Iudaeorum h. l. spectasse dicitur Iohannes. Agnos enim nunquam victimae piacularis loco, sed ceu sacrificia *καθαρτικὰ* apud Iudaeos Deo oblatos fuisse constat. Sed ne *καθάρσιον* quidem sacrificium respexisse Iohannes putandus est, cum, vt modo notauimus, mortem Christi futuram mente non praeceperit. Remanent ergo duae tantum verbi *αἴρειν* notiones, altera, *ferre*, *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν*, mala temere inflicta patienter ferre, improbitatem hominum experiri, quae verbi significatio confirmatur vsu loquendi scriptorum Graecorum exterorum, altera, *auferre* peccata ipsa, demta hominum vitiositate, quae verbi vis nititur non tantum auctoritate scriptorum Graecorum, sed etiam versionis Alexandrinae. Priorem significationem praefert *Gablerus*, cum *agnus* h. l. vt sae-

pius sit *imago innocentiae, patientiae* et *mansuetudinis*, cum hanc significationem non modo tueatur vsus loquendi scriptorum profanorum, sed eandem etiam mirifice confirmet locus 1 Macc. 13, 17. vbi ἆραι τὴν ἔχθραν πρὸς τὸν λαὸν nil aliud notare possit, quam, *iram et odium populi ferre, experiri.* Sensum ergo loci ita constituit: *Hic est vir egregius Deoque sacer, qui prauitatem hominum per vitam suam grauiter quidem etsi innocens experietur, sed agni instar mala sibi inflicta patienti et mansueto animo sustinebit.* Hoc sensu Iohannem *Baptistam* verba: ἴδε ὁ ἀμνὸς κ. τ. λ. protulisse statuit, Iohannem vero *Apostolum* hoc oraculum ita intellexisse contendit, vt significatam putaret *mortem cruentam*, quam *I. C. Deo consecratus agni sacrificalis instar* (nulla quidem ratione habita discriminis sacrificiorum, vtrum *piacularium* an *lustralium*) *innocenter ac patienter perpessus sit ad abolendam vitiositatem hominum*, instaurandamque sanctitatem vitae, instituto nempe foedere nouo sanguine I. C. sancito (αἵματι τῆς καινῆς διαθήκης Matth. 26, 28.). Sic nihil tribui Iohanni *Baptistae*, monuit *Gablerus*, quod non ex sui loci ac temporis rationibus dicere potuerit, nec denegari Iohanni *Apostolo*, quod accurate conueniat cum ipsius ingenio ac loquendi more. Per totam enim Apocalypsin, Iesum Christum vt ἀρνίον repraesentari, et quidem ἐσφαγμένον (Apoc. 5, 6. 12. 13, 8.) atque saepius fieri mentionem τοῦ αἵματος τοῦ ἀρνίου Apoc. 7, 14, 12, 11.

Antequam ostendam, quae mihi verborum interpretatio praeferenda videatur, disquirendum erit, an Iohannes Baptista fouere potuerit et vero etiam fouerit opinionem hanc, Messiam moriturum, morteque sua expiaturum esse homines. Scilicet erant inter Iudaeos, Christi aetate, qui opinarentur, regni Messiani initia graues calamitates esse praegressuras, v. Schoettgenii Horr. Hebrr. T. 2. p. 512. 518. 519 sq. 546. *Koppius* ad Thessal. Exc. 2. p. 113 ss. quin et Messiam ipsum a multis repudiatum iri Luc. 2, 34 sq. et praeterea magnas et graues calamitates

fubiturum effe, v. Schoettgenius l. c. p. 550. cum et Dauides nonnifi poft varios cafus rerumque discrimina imperio potitus effet, et e forte minus felici ad conditionem beatiorem atque gloriofiorem emerfiffet, atque omnes fere prophetae finiftram fortem experti effent. Ab illa opinione, Meffiam a multis repudiatum iri, neque Iohannem alienum fuiffe, ex ipfius fermonibus colligi poteft, quae Matthaeus attulit, v. 3, 9. 11. extr. Iudaei quoque fapientiores, cum omnino Meffiam fibi cogitarent tanquam omnis generis felicitatis auctorem, atque ab eo inprimis verae pietatis et religionis reftitutionem, vitae morumque emendationem exfpectarent, fperabant etiam, eum peccata populi expiaturum effe, v. *Schoettgenius* l. c. p. 647. 650. Hanc fpem fouere poterant ita, vt non fimul cogitarent de Meffia morituro, atque recederent a vulgari Iudaeorum opinione, Meffiam nunquam moriturum effe, v. Ioh. 12, 34. Legebant enim in libris facris, Deum in condonandis peccatis non tam fpectare facrificia oblata, quam potius animum fractum et contritum, v. Pf. 51, 18. 19. eum non ob holocaufta et facrificia piacularia remittere peccata, fed caput rei effe refipifcentiam, v. Pf. 40, 7 fqq. Pf. 103. Prou. 15, 8. virtutem Deo magis placere, quam facrificia, v. Prou. 21, 3. Ief. 1, 11 fqq. inde coniicere poterant, Deum, etiamfi non offerrentur facrificia, peccata condonare poffe, eumque fanctimonia mentis dignius coli. Ita nominatim Effenos ftatuiffe, adeoque Effenos practicos (quod de theoreticis affirmari nequit) a facrificiis abstinuiffe, e Philene *quod omnis probus fit liber* p. 876. fatis conftat; verba eius funt: *οὐ ζῶα καταθύοντες· ἀλλ' ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες.* add. Iofeph. Ant. 18, 15. qui ibi, vt videtur, de Effenis theoreticis loquitur, atque de iis refert, eos quidem facrificia, fed non in templo obtuliffe. cf. *Stäudlinii* hiftoria theologiae moralis Hebraeorum ante Chriftum, inferta Commentatt. theoll. a *Velthufeno*, *Rupertio* et me editis Vol. 2. p. 384. *Bengelii Bemerkk. über den Verfuch das*

Chriftenthum aus dem Effaeismus abzuleiten, in *Flatti Magazin* St. 7. p. 144. 147. Qui autem ita de facrificiis iudicabant, ii fperare quidem poterant, Meffiam populum effe luftraturum et expiaturum, fed non neceffe erat, vt fimul fperarent, enm feipfum tanquam facrificium pro vniuerfo populo oblaturum, eum moriturum effe. Poterant in eam cogitationem deuenire, Meffiam, cum luftrationes aqua fieri folerent, et apud Iudaeos in vfu et legitimae effent, vid. ad Matth. 3, 6. baptismo, inprimisque doctrina fua populum purgaturum atque expiaturum effe. Ita vero etiam plures Iudaeorum ftatuiffe, docent ea quae fupra ad v. 26. notata funt, docere poteft exemplum Zachariae, Iohannis Baptiftae parentis, qui doctrinae falutaris cognitionem et illius admiffionem, fecuturam effe fperabat remiffionem peccatorum, v. Luc. 1. 77. et Simeonis, qui, vt Luc. 2, 30. legitur, praedicabat, Meffiam per doctrinam fuam omnes gentes felices effe redditurum. Neutiquam tamen improbabile eft, fuiffe inter fapientiores Iudaeos etiam qui exiftimarent, Meffiam, quo populum expiaret, moriturum effe. v. *Stäudlinius* de mortis Iefu confilio et grauitate, Gotting. 1794. 4. et in differt. *von dem Urfprunge der Idee eines leidenden, büfsenden und fterbenden Meffias*, in *d. Götting. Biblioth. d. neueft. theol. Literat.* B. 1. add. Anonymi disf. *Beyträge zur hiftor. Interpretation des N. T. aus damals herrfchenden Zeitbegriffen*, in *Henckii Neuem Magazin f. Religionsphil.* B. 3. St. 2. *Krüger* Commentat. de verifimillima oraculi Ief. 52, 13 fs. et 53. interpretandi ratione Lipf. 1809. 4. Fouebant enim Iudaei opinionem hanc, infontem loco fontis et rei poenam fubire, atque ita Dei fauorem fonti conciliare poffe. Talmud. tract. Moëd caton fol. 28. col. 1. *vt vacca rufa, ita mors iuftorum expiat.* vid. *Eifenmengeri entdeckt. Iudenthum* Th. 2. p. 285. *Eichhornii Allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* B. 6. p. 659. et eiusd. *Einleitung in d. N. T.* B. 3. St. 2. p. 436. vnde et Iofephus de Maccab. §. 1. 17. diferte profitetur, Maccabaeos miferiis quas pertuliffent, et morte quam fub-

iiſſent, purgaſſe patriam, expiaſſe populum, eumque ſervaſſe. Poterant ergo omnino inter Iudaeos reperiri, qui Meſſiam moriturum crederent, quem ſibi cogitarent regem, prophetam, pontificem, v. 1 Macc. 14, 41. 47. cum et eos hiſtoria populi edoceret, plures prophetarum antiquiorum ab ipſis popularibus ſuis trucidatos fuiſſe, vid. Matth. 23, 34. Poterat ergo etiam Iohannes Baptiſta illam ipſam opinionem fouere, Meſſiam moriturum, et morte ſua populum expiaturum eſſe. Eum tamen ita de Meſſia ſtatuiſſe, pluribus de cauſſis parum probabile eſt. Etenim Iohannes quoque de Meſſia eiusque regno praeiudicatas opiniones fouebat; id quod haud obſcure produnt verba Chriſti Matth. 11, 11., v. ibi not. p. 343. nullus porro alius reperitur locus, e quo colligi poſſit, Iohannem cogituſſe de Meſſiae morte piaculari, praeter hunc ipſum, in quo pertractando occupati ſumus, qui tamen aliam interpretationem admittit; Iohannes denique ipſe profeſſus eſt Meſſiam luſtraturum eſſe populum doctrinae coeleſtis cognitionem cumulatim tribuendo Ioh. 1, 33. βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ et pertinaces poenis grauiſſimis afficiendo Matth. 3, 11. ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. Quodſi nihilo ſecius tamen ſtatuere quis velit, Iohannem exiſtimaſſe, Chriſtum etiam mortem cruentam eandemque piacularem ſubiturum eſſe, atque hoc ipſum verbis, quae h. l. leguntur, diſcipulis ſuis declaraſſe, iisque *ſalutare* mortis Chriſti conſilium vberius expoſuiſſe, is doceat velim, qui factum ſit, vt diſcipuli Chriſti, qui ad ipſius diſciplinam e ſchola Iohannis Baptiſtae transiiſſent, a Chriſto praedictae morti ſuae adeo adſtupeſcerent, tanquam *rei nouae* et *inauditae*, et vt eandem tanquam *ſummum malum* tantopere extimeſcerent, vid. Matth. 16, 21 20, 17.

Cum ergo parum probabile ſit, Iohannem ipſum cogitaſſe de Meſſiae morte piaculari, de eaque diſcipulos edocuiſſe; cum potius ſtatuerit, Meſſiam doctrina ſua τὸν

κόσμου luftraturum, et pertinaces puniturum effe; ego quoque a vulgari huius loci interpretandi ratione recedendum puto, lubenterque admitterem *Gableri* interpretationem, cum multa habeat, quae eam commendent, nifi, pluribus de caussis, alia, meo faltem iudicio, verior, adeoque praeferenda videretur. Scilicet verbum *αἴρειν* ex ufu quidem loquendi fcriptorum profanorum fignificat *patienter ferre*, atque confirmatur hic fignificatus loco 1 Macc. 13, 17. fed notio *remouendi*, non tantum vfu loquendi fcriptorum Graecorum exterorum, verum etiam vfu loquendi verfionis Alexandrinae, vt fupra vidimus, et ipfius Iohannis Apoftoli confirmatur, eaque admiffa fenfus procedit fatis commodus, et Iohannis Baptiftae cogitandi rationi cum maxime conueniens, vid. Matth. 3, 10. extr. Firmatur, inquam, vfu loquendi Iohannis Apoftoli. Etenim 1 ep. 3, 5. fcripfit Apoftolus: *οἴδατε ὅτι ἐκεῖνος ἐφανερώθη, ἵνα τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἄρῃ·* hanc fententiam v. 8. expreffit verbis his: *εἰς τοῦτο ἐφανερώθη ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἵνα λύσῃ τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου·* fed *τὰ ἔργα τοῦ διαβόλου* funt *peccata*, quibus contaminantur homines, nam initio v. 8. praeceffit: *ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστι.* Formula igitur: *αἴρειν τὰς ἁμαρτίας* flagitante h. l. orationis ferie, notat: *remouere peccata, auferre improbitatem.* Ita vero vel hic ipfe prioris epiftolae Iohanneae locus, noftro parallelus, docet, formulam *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* h. l. obuiam ex mente Iohannis Baptiftae et Iohannis Apoftoli eodem fenfu effe capiendam. Nec obftat huic fententiae noftrae comparatio Chrifti mortui cum agno a Iohanne Apoftolo in Apoc. 5, 6. 12. 13, 8. inftituta. Vocauit quidem ibi Apoftolus Chriftum, mortem ipfius refpiciens, *ἀρνίον*, et commode cum agno comparare potuit, vt Petrus 1 ep. 1, 19. quod Chriftus agnum imitatus eft patientia, qua calamitates et mortem fuftinuit; inde tamen non fequitur h. l. *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* explicandum effe *perferre*, *patienter fuftinere*, et Iohannem Baptiftam, vt *Gablerus* ftatuit, cogitaffe de malis atque calamitatibus

a Chriſto perferendis, Iohannem vero Apoſtolum de ipſius morte cruenta. Etenim Iohannem Baptiſtam credidiſſe, Meſſiam ipſum calamitates ſubiturum eſſe, certo probari nequit, hoc tantum ex orationibus eius, quae Matth. c. 3. leguntur, elici poteſt, eum cum aliis ſapientioribus Iudaeis ſtatuiſſe, multos magno ſuo detrimento Meſſiam repudiaturos eſſe. Praeterea illis locis Apoc. diſerte Chriſtus vocatur *ἀρνίον ἐσφαγμένον*, et omnis orationis complexus docet de morte ipſius ac *patientia* eſſe cogitandum; h. l. autem nil additum legitur, quod nos de calamitatibus a Meſſia patienter perferendis cogitare cogat, nec illis Apocal. locis formula *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* legitur, quam h. l. et 1 ep. 3, 5. Iohannes vſurpauit. Cum ergo h. l. *αἴρειν τὴν ἁμαρτίαν* ſit, *remouere peccata*, nec Iohannes Baptiſta de morte Chriſti cruenta cogitauerit, nihilque additum legatur, de calamitatibus a Chriſto patienter perferendis: planiſſimum eſſe arbitror, agnum h. l. adhiberi tanquam imaginem *innocentiae* et *manſuetudinis*, atque per *ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ* ſignificari agnum Deo *ſacrum*, *conſecratum*, cum haec formulae vis, vt praeclare obſeruauit *Gablerus*, ſit vſitatiſſima et huic loco aptiſſima. Verba autem *ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ* non cohaerent cogitando cum ſequente formula *ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου*, ita, vt contineant cauſſam, cur Chriſtus dictus ſit *ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ*, ſed duae ſententiae ſingulares his verbis ſignificantur. Senſus ergo verborum Iohannis ita conſtituendus videtur: Spectate hunc innocentem, pium (*καὶ ἁμαρτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔςι* 1 Ioh. 3, 5.) manſuetum, totum Deo eiusque conſiliis conſecratum! hic magna et egregia praeſtabit, hic remouebit peccata hominum, improbitatem e terra; luſtrabit, vt iam vobis dixi, ſua doctrina homines, Matth. 3, 11. infra v. 33. at pertinaciter contumaces, etſi manſuetus ſit, puniet, ſocietate cultorum ſuorum et regni ſui felicitate excludet, Matth. 3, 10. 11. et ita populum colliget luſtratum, ſanctum, Deoque probatum. Haud inepte Chryſoſtomus ſtatuit, Iohannem Baptiſtam Chriſtum appellaſſe

ἀμνὸν τοῦ Θεοῦ, etiam eo confilio, vt inculcaret difcipulis, Chriftum ab omni vitiorum labe purum, non propterea acceffiffe ad baptismum, vt fua confiteretur peccata, fed vt Iohanni occafionem praeberet fui praedicandi et celebrandi (v. et not. ad Matth. 3, 13.). Caeterum per *τὸν κόσμον* non funt intelligendi Iudaei, fed omnino *homines*. Sperabant enim illa aetate fapientiores Iudaei, Meffiam veram pietatem et religionem reftituturum effe, gentes fusccpturas effe auitam Iudaeorum religionem, et ita cum Iudaeis piis Dei cultoribus coniunctum iri, v. ad Luc. 2, 30. p. 326. Matth. 8, 11. et hanc fpem Iohannem quoque mente concepiffe, haud obfcure docent verba eius quae leguntur Matth. 3, 9.

30 — 32. Vid. not. ad v. 15. *κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν, ego non noueram eum Meffiam effe*, cf. not. ad Matth. 3, 13. *ἵνα φανερωθῇ τῷ Ἰσραήλ*, ideo prodii flumine homines immergens, ideo iuffus fum baptizare, vt ille per me Ifraelitis, Meffias innotefceret. 32. *καὶ ἐμαρτύρησεν κ. τ. λ.*] *Iohannes ita* (de Chrifto) *teftari pergebat: vidi Spiritum, columbae more coelitus delabentem, in eoque manentem*, v. not. ad Matth. 3, 16 fqq. De vi ac poteftate formularum: *venit Deus fuper aliquem, Dei Spiritus aliquem agitat, Spiritus Dei fe demifit in aliquem*, iam disputatum eft a nobis ad Matth. 3, 16. vbi legitur: *τὸ πνεῦμα ἐρχόμενον ἐπ᾽ αὐτόν*. Adhibebantur nimirum, vt ibi notavimus, de eo, apud quem infignes virtutes ac facultates animi fe exferebant, indoles diuina primum euigilabat, de eo qui fingulari fcientia diuina inftructus apparebat (vid. interpp. ad Exod. 31, 3.), de eo qui vi diuina adiutus admiranda vel loquebatur vel faciebat, qui Dei impulfu oracula edebat, iuffu diuino loquebatur. Sic Luc. 4, 18. *πνεῦμα κυρίου ἐπ᾽ ἐμὲ* fcl. *ἔρχεται, Deus in me et per me operatur*. Ezech. 1, 3. *ἐγένετο ἐπ᾽ ἐμὲ χεὶρ κυρίου*, vbi vid. *Rofenmüllerus*. ibid. 2, 2. *ἦλθεν ἐπ᾽ ἐμὲ πνεῦμα*. 11, 5. *καὶ ἐπέπεσεν ἐπ᾽ ἐμὲ πνεῦμα κυρίου*. Iam Iohan-

nes Baptifta volebat exprimere fententiam hanc: mihi perfuafiffimum erat, a Deo admonitus eram, me eo ipfo tempore quo Iudaeos flumini immergerem, Meffiam effe cogniturum, et Iefum, cum a me immergeretur flumini, Meffiam effe cognoui, Deus declarauit, eum effe Meffiam. Ad hanc fententiam exprimendam, Euangelifta eum vti iuffit verbis his: τεθέαμαι τὸ πνεῦμα καταβαῖνον — καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτὸν — ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ' αὐτὸν κ. τ. λ. In hac orationis ferie πνεῦμα καταβαῖνον eft: vis diuina f. Deus operabatur in Chrifto et per Chriftum, qui inde ab eo tempore Meffiae perfonam agere incipiebat, ἐνέργεια Spiritus Meffiani (τοῦ Λόγου, de cuius praeexiftentia v. 15. Baptifta verba fecerat) et τοῦ Θεοῦ cum Λόγῳ coniunctiffimi (v. Ioh. 14, 10. 5, 19. 30. 7, 17. 8, 26. 12, 47.) fe eo tempore exferebat et porro exferebat (μένον v. 33.), inde ab eo tempore Deus operabatur per τὸν Λόγον, qui σὰρξ ἐγένετο (1, 14.), humana forma indutum, apparebat Iefum effe Meffiam. Cognouit hoc Iohannes Baptifta ex iis, quae, cum Chriftus baptizaretur, euenerunt v. Matth. 3, 16. et, vt ibi obfervauimus, exinde, quod ex vultu Chrifti elucebat fumma hilaritas, animi conftantia et fortitudo; cognouit ex fermonibus ipfius fapientiae diuinae plenis, Meffiae perfona dignis; et quod inde ab eo tempore eximiis doctoris dotibus inftructus apparebat. Itaque non neceffe eft, vt cum nonnullis, propter ea quae h. l. leguntur, ftatuamus, Λόγον et πνεῦμα idem plane fignificare, et Λόγον f. πνεῦμα in baptismo demum cum Iefu fefe coniunxiffe, et hanc ipfius Iohannis Apoftoli fuiffe fententiam, v. Prolegg. §. 2. extr.; imo Λόγος, ex mente Apoftoli, cum Iefu inde ab ipfius natiuitate coniunctus erat, v. 1, 14. fed πνεῦμα κατέβαινε in baptismo καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτὸν, eft, inde ab eo tempore apparebat τὸν Λόγον cum Iefu effe coniunctum, operari Deum, vim diuinam per τὸν Λόγον. Particula ὅτι poft participium λέγων redundat, v. ad Matth. 7, 23. 12, 36. Pro ὡσεὶ περιστερὰν cum optimis diuerfarum familia-

rum codd. legendum ὡς, vulgaris lectio ὡσεὶ e Matth. 3, 16. in hunc locum venit.

33. 34. οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ] Per πνεῦμα ἅγιον in hac orationis ferie intelligi debet, *accuratior et plenior doctrinae coeleſtis cognitio*, v. 3, 34. ad Matth. 3, 11. p. 91. *Naeſſelti* Exercitat. p. 63. neque offendere nos poteſt, ſic nomen πνεῦμα duplici ſenſu h. l. poſitum extare. Haud enim inſolens eſt ſcriptoribus N. T. nominatimque Iohanni, idem vocabulum eodem loco diverſo ſenſu ponere, vid. 2, 23 ſq. 3, 6. 17. 18. 19. 8, 14 ſs. 9, 27. Luc. 4, 1. Verbum βαπτίζειν, *immergere*, cum h. l. additum legatur ἐν πνεύματι, tropice poſitum eſt, ita, vt ſit, *cumulatim tribuere*, *imbuere doctrina coeleſti*, v. ad Matth. 3, 11. largiter tribuendo cognitionem doctrinae diuinae, luſtrabit homines et nouam religionis ſocietatem colliget. — 34. μεμαρτύρηκα, *teſtor*, praeteritum vim praeſentis, more Hebraeorum obtinet. ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *Meſſias* coll. v. 41.

35 — 39. τῇ ἐπαύριον, *poſtea*, *alio die*, v. ad v. 29. εἱστήκει, *ſtabat*, ibi, vbi baptizare ſolebat. ἐκ τῶν μαθητῶν δύο, quorum alter erat Andreas coll. v. 40. v. not. ad Matth. 4, 18. alter, cuius nomen reticetur, Iohannes Euangeliſta, cui in more poſitum eſt, nomen ſuum vel ſupprimere, vel circumſcribere. vt 13, 23. 18, 15. 19, 26. 35. 20, 2. — 36. ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ repetiit Iohannes Baptiſta eadem verba, quibus iam alio tempore inſigniuerat Chriſtum, coll. v. 29. perquam autem probabile eſt, Iohannem plura adieciſſe, quae Euangeliſta commemorare omiſit. — 37. καὶ ἤκουσαν αὐτοῦ οἱ δύο κ. τ. λ., *quo audito*, *duo illi diſcipuli Ieſum ſecuti ſunt*, vt nempe ab eo cognoſcerent locum, vbi commoraretur, quo eum alio die, tempore magis commodo, diſcendi cauſſa conuenire poſſent, coll. v. 38. 39. v. *Heumanus* ad h. l. Cum pudore quodam, et reuerentia orta ex honorifico teſtimonio, quod Iohannes, ipſis au-

dientibus, de Iefu dixerat, ab alloquio eius retinerentur, eumque adire cunctarentur: Iefus ftrepitu aliquo eorum, qui ipfum proxime fequerentur, admonitus, refpiciebat, atque vltro eorum defideriis, quae nondum verbis prodiderant, fatisfaciebat, et vt animam eorum confirmaret, blande eos alloquebatur verbis his: τί ζητεῖτε, *quid vultis?* ζητεῖν id. qd. θέλειν, v. Matth. 12, 47. μένειν notat *commorari*, *habitare*, etiam *diuertere*, et Hebr. ישׁב, vid. Gen. 24, 55. Matth. 10. 11. Luc. 24, 29. et *pernoctare*, vnde Alexandrini interpretes hoc ipfo verbo Graeco expreſſerunt Hebr. לון Iudd. 19, 9. Commorabatur autem haud dubie Iefus tunc temporis, vt fcite obferuarunt *Boltenius* et *Paulus* ad h. l. in vicinia, in antro. Caeterum י in רבי eft Iod paragogicum, vnde etiam hoc nomen fcriptor reddidit διδάσκαλε non διδάσκαλέ μου, v. *Lampius* ad h. l. — 39. ἔρχεσθε καὶ ἴδετε, *venite vifum*. Pro ἴδετε in aliis optimae notae libris legitur ὄψεσθε, quae lectio fortaſſis verior eft, cum enim fequatur εἶδον, et ἴδετε alias foleat coniungi cum ἔρχεσθε, vid. v. 46. 11, 34. facile ὄψεσθε a librariis mutari potuit in ἴδετε. καὶ παρ' αὐτῷ ἔμειναν τὴν ἡμέραν ἐκείνην] et per reliquum illius diei fpatium apud eum commorati funt. Haud dubie Iefus, quod reliquum erat diei, eos edocendo confumebat, illi vero eum, vt e v. 41. patet, Meſſiam agnofcebant, ita, vt relicta fchola Iohannis in Iefu difciplinam fefe traderent eiusque comites fierent, neque tamen iam tunc temporis perpetui, vid. ad Matth. 4, 18. 12. ὥρα δὲ ἦν ὡς δεκάτη, *erat hora fere decima*. Haec ipfa temporis notatio, quo primum difcipuli illi Iohannis Iefum convenerant, docere poteft, fcriptorem noftrum fuiſſe alterum illum difcipulum fupra non nominatim inductum. δεκάτη *decima* e Iudaeorum computandi ratione, eft noftra *quarta* pomeridiana.

40. 41. τῶν ἀκουσάντων παρὰ Ἰωάννου, καὶ ἀκολουθησάντων αὐτῷ, *qui a Iohanne edocti* (coll. v. 36.) *Iefum*

secuti fuerant. εὑρίσκει οὗτος πρῶτος] *hic*, Andreas, *prior nactus fratrem suum Simonem.* πρῶτος *prior*, vt v. 15. vnde in nonnullis codd. legitur πρότερος, ex interpretamento. Credibile autem est, vtrumque eorum diuersis viis quaesiuisse Simonem Petrum, vt ei nuntiarent se reperisse Messiam, τὸν ἴδιον pro τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, nam Alexandrini quoque interpretes, suffixum י exprimere solent vocabulo ἴδιος, v. Ioh. 7, 10. Prou. 27, 8. εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν Baptistae testimonium et ipsum colloquium cum Iesu institutum, Andream penitus conuicerant, Iesum esse Messiam. Μεσσίας, Hebr. מָשִׁיחַ, Chald. מְשִׁיחָא, e quo Graecum nomen Μεσσίας proxime repetendum est. Χριστὸς *vnctus, rex*, v. ad Matth. 1, 2.

42. Vid. not. ad Matth. 16, 18. 19. 4, 18. Ἰωνᾶ respondet Hebraico nomini יוֹנָה quo *imbecillitas*, *oppressio* Ier. 25, 38. et *columba* significatur. Ad illam priorem nominis significationem Iesus respiciens, Simoni imposuit tunc temporis, vt h. l. legitur, Petri nomen, quo ostenderet, quid ab eo in posterum exspectandum esset, et cum Κηφᾶς, כֵּיפָא h. e. Πέτρος *saxum, rupes* sit durationis atque constantiae symbolum: sensus verborum Iesu est: tu es et nominaris *filius Ionae*, nominaris *filius imbecillitatis, imbecillus*, tu nominaberis et eris in posterum *Petrus*, *rupes*, mentis animique fortitudinem atque constantiam probabis in profitenda mea doctrina, magnum et firmum eris ecclesiae meae fulcrum, coll. Matth. 16, 18. vbi Iesus, postquam Petrus praeclarum profectuum suorum et constantiae specimen ediderat, ita loquens inducitur: non poenitet, me tibi Petri nomen imposuisse, vere nominaris rupes, et super hac rupe ecclesiam meam exstruam. Caeterum *Eckermanus* in *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.* ad h. l. suspicatur, Iesum multa praeclara de Petro, eius fide, constantia, probitate audiuisse, adeoque his eum verbis allocutum esse. Euangelista tamen hanc vocem Christi haud dubie eo consilio attulit, vt ostenderet Iesum, qui

de Petro praedixiffet euentu poftea comprobata, hac ipfa praedictione probaffe, fe effe Meffiam, et hanc ipfam ob cauffam e colloquio, quod tunc temporis Iefus cum Petro inftituit, ea tantum memorauit quae h. l. leguntur. vid. et v. 48. 2, 24.

43. 44. τῇ ἐπαύριον *non ita multo poft*, *poftea*, vel, vt alii explicant: *poftero die*, e quo Petrus ad Iefum primum acceſſerat. ἠθέλησεν ἐξελθεῖν cum in eo effet, vt e Iudaea abiret. Venerat Iefus e Galilaea, nominatim ex oppido Nazareth in Iudaeam, vt a Iohanne baptizaretur, contulerat fe deinde in defertum, ibique tentatus erat, redierat tum ad Iordanem, et poftquam ibi in Iohannis vicinia per aliquot dies commoratus erat, iam iter parabat in Galilaeam, et Canam fe conferebat v. 2, 1. 2. Matth. 4, 12. 18. Vocabulum Ἰησοῦς in aliis codd. deeft, in aliis pofitum legitur poft αὐτῷ, Aeth. expreffit poft εὑρίσκει, videtur ergo adfcriptum effe a grammaticis, vnde et *Griesbachius* ex ordine eiecit. εὑρίσκει Φίλιππον *incidit in Philippum*, cuius etiam mentio fit Matth. 10, 3. Marc. 3, 18. Ioh. 6, 5. ἀκολούθει μοι vel, *fis meus in itinere comes*, *fequere me* v. 37. vel potius: *fis meus difcipulus*, quo fenfu haec formula legitur Matth. 8, 21. et faepius alias. Plura Iefum cum Philippo locutum effe, e v. 45. fat luculenter patet, atque Philippo, Iohannis Baptiftae difcipulo, Andreas et Simon Petrus, ex eadem, qua Philippus ciuitate oriundi coll. v. 44, haud dubie expofuerant, quisnam Iefus effet. Βηθσαϊδὰ oppidum natale Philippi in Galilaea (Ioh. 12, 21.) fitum v. not. ad Marc. 6, 45. et *Fifcheri* Proluff. de vitiis Lexx. N. T. p. 442.

45. εὑρίσκει Φίλιππος τὸν Ναθαναὴλ] *nactus eft Philippus Nathanaelem* fub ficu fedentem coll. v. 48. Nathanael, Galilaeus, Canae natus, Apoftolis annumeratur Ioh. 21, 2. cum eundem fuiffe cum Bartholomaeo, cuius Matth. 10, 3. mentio fit, haud improbabilis eft plurimorum inter-

pretum ſententia, cum reliqui omnes hoc in capite memorati Iohannis ſectatores a Ieſu in numerum Apoſtolorum recepti ſint, cum Iohannes nusquam Bartholomaei meminerit, reliqui vero Euangeliſtae nusquam Nathanaelis; cum Lucas 6, 14. Philippum, quocum eodem fere tempore Nathanael ad Chriſti ſigna ſe contulerat, in catalogo Apoſtolorum ſequi iuſſerit Bartholomaeum; cum Bartholomaeus h. e. filius תלמי non fuerit proprium viri illius nomen v. ad Matth. 10, 3. ὃν ἔγραψε Μωσῆς κ. τ. λ.] *quem Moſes in ſuis libris, et prophetae praedixerunt, eum inuenimus, Ieſum Ioſephi filium Nazarethanum.* Quibus quidem verbis Philippus idem ſignificabat, quod Andreas verbis: εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν v. 41. γράφειν inter alia notat, *deſignare*, *deſcribere* vt Rom. 10, 5. vid. *Heinſius* Exercitt. p. 214. ſed commode etiam reddi poteſt *praedicere* vt Luc. 22, 37, 24. 46. Μωσῆς intelligitur inprimis locus Deut. 18, 15. quem Iudaei de Meſſia explicare ſolebant, vid. ad 1, 21. 5, 46. τὸν υἱὸν τοῦ Ἰωσὴφ, τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ. Ioſephi filium et Nazarethanum putabant Ieſum Philippus et Nathanael ex opinione vulgi v. Luc. 3, 23. Praepoſitio ἀπὸ et patriam et locum domicilii ſignificare poteſt v. ad Matth. 15, 1. ſed h. l. Ieſum non propterea vocari Nazarethanum, τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ, quod ibi parentes ipſius domicilium haberent, et ipſe Nazarethae educatus fuerit, ſed quod ibi natus putaretur, vt Matth. 21, 11. 26, 71. Marc. 14, 67. exinde perſpicue patet, quoniam alias Philippus ad Nathanaelis exceptionem reſpondiſſet; Ieſum non eſſe in Galilaea natum. Mirum videri poſſet, cum Philippus prouocauerit ad locos librorum ſacrorum de Meſſia agentes, eum non minus quam Nathanaelem hanc opinionem fouere potuiſſe, Ieſum, Nazarethae natum, eſſe Meſſiam, cum legisperitorum plurimi locum Michae 5, 1. de Meſſia explicarent, ita, vt Bethlehemum oppidum Meſſiae patrium fore exiſtimarent. Sed vt iam ad v. 20. notauimus, erant inter doctores Iudaicos, qui ſtatuerent Meſſiam quidem Dauidis nepotem fore, ſed de loco natiuitatis ipſius

nihil certi constitui posse; quique adeo locum Michae vel non de Messia interpretarentur, vel Bethlehemum locum putarent vnde Messias ortum ducturus esset. Hanc fere sententiam Philippus saltem secutus esse videtur, cumque Iohannes Baptista Iesum, quem Philippus Nazarethae natum putaret cum vulgo, Messiam designasset, cum e sermonibus Christi ipse cognouisset verissima esse quae Iohannes de eo dixisset: eum Messiam habebat.

46. 47. ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι;] *potestne eximii aliquid e Nazaretha prodire?* Parum probabile videtur Nathanaeli, virum praestantem, nedum Messiam inde proditurum esse. Nazaretha enim erat oppidum ignobile, et Nazarethani, omninoque Galilaei a Iudaeis reliquis contemnebantur; v. not. ad Matth. 2, 23. Ioh. 7, 52. ἀγαθὸν vt Hebr. טוב dicitur, quicquid suo in genere praestans est et eximium; v. *Heumanus* in Poecile p. 77. et 326. *Fischeri* Ind. Aeschin. h. v. ἔρχου καὶ ἴδε *veni visum:* accede ad eum, eius sermones audi, et conuinceris eum esse Messiam. Formula haec etiam in scriptis Rabbinorum obuia vid. *Buxtorfii* Lex. Talm. p. 248. *Schoettgenius* Horr. Hebrr. ad h. l. — 47. Summam tantum colloquii Iesu cum Nathanaele Euangelista attulit. Cum accederet Nathanael, cuius vel vultus animi probitatem loqueretur, adstantibus discipulis Iesus dicebat: ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι, *en verum Israelitam, virum integerrimum!* ἀληθῶς Ἰσραηλίτης Israelita hoc nomine dignus, non propter natiuitatem tantum, sed etiam propter pietatis ac probitatis studium ad Israelis posteros referendus v. Rom. 9, 6. ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι, a fraude, simulatione alienus, integer et candidus. Possunt tamen etiam haec verba explicari, *qui vere ac sincere Deum colit,* nam δόλος, vt Hebr. מרמה, et ψεῦδος, etiam ei tribuitur, qui non est vera et infucata in Deum pietate, qui externa tantum cultus diuini officia praestat vt Sir. 1, 38. vid. *Bretschneiderus* in Spicileg. Lexici interpp. Grr. V. T. sub v. δόλος et ψεῦδος.

48. Audita hac Chrifti voce, Nathanael mirabundus, πόθεν, inquit, με γινώσκεις; vnde tibi animi mei indoles eft perfpecta, vnde tibi de interioribus animi mei cogitationibus conftat, cum tibi prorfus ignotus fim? Tum Iefus: πρὸ τοῦ σε Φίλιππον φωνῆσαι, ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν, εἶδόν σε, *antequam Philippus te arceffaret, ego te fub ficu verfantem vidi.* εἶδόν σε referri debere ad verba ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν e v. 50. planiffime patet, qui idem verfus docet εἶδόν σε non commode reddi poffe, *te noueram*, fed retinendam effe vulgarem verbi fignificationem, *te vidi.* ὑπὸ τὴν συκῆν ficuum fertilis Palaeftina erat v. Mich. 4, 4. Zach. 3, 10. 1 Regg. 4, 25. et ficus non minus quam vites folebant, et etiamnum folent Orientales plantare circa aedes v. *Warnekros Hebr. Alterthümer* p. 131. erat praeterea Iudaeis in more pofitum fub ficubus fermones mifcere cum amicis, meditari, legere, orare. v. *Lightfootus* et *Wetftenius* ad h. l. Caeterum fenfus verborum Chrifti, cum praeceffferit Nathanaelis interrogatio: vnde me nofti? ita conftitui debet: animi tui indolem ex iis cognoui, quae, antequam Philippus te arceffferet, fub ficu egifti. Quid vero Nathanael fub ficu egerit, num ibi preces ad Deum fuderit, an meditatus fit, an cum amicis collocutus fit, vt nonnulli interpp. volunt, de Meffia et regno Meffiano, id quidem definiri nequit.

49. 50. Nathanaelis animum haec Chrifti refponfio percellebat, et cum fub ficu latens, Chriftum non vidiffet, veritatem tamen eorum, quae Chriftus dixerat, fentiret, in hanc vocem erumpebat: ῥαββί, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ, *magifter, tu es Dei filius, tu es rex Ifraelitarum;* cum abfens et a me remotus fueris, et tamen fcias, me fub ficu fediffe et quae ibi egerim: haec tua rerum reconditarum cognitio, humanae cognitionis limites fuperans, me docet, te effe Meffiam, quem Iohannes annuntiauit, quem te effe mihi Philippus dixit. Obferuant tamen interpretes nonnulli, haud dubie Iefu,

Nathanaelem Galilaeum cognitum fuiſſe de facie, non vero Nathanaeli Ieſum; mentis animique indolem Nathanaelis Ieſum ex aliorum narrationibus perſpectam habuiſſe, Nathanaelem non procul a Ieſu ſub ficu ſediſſe, atque hanc fortaſſis partem colloquii Nathanaelis atque Philippi audiuiſſe. Nathanaelem ergo, qui ſub ficu ſedens Ieſum non viderit, qui putarit, ſe ei prorſus ignotum eſſe, mentem Ieſu non recte intellexiſſe, alioque ſenſu eius verba cepiſſe, quam qui iis ineſſet; quare et Ieſum, quo hominem candidum, ſed incautum excitaret, vt quae ei (v. 48.) dixiſſet, accuratius penſitaret, et firmioribus argumentis fidem ſuam corroboraret, (v. 50.) vſum eſſe verbis his: ὅτι εἶπόν σοι κ. τ. λ. tu me Meſſiam eſſe credis, quoniam tibi dixi, me te ſub ficu vidiſſe; grauiora et euidentiora dignitatis meae Meſſianae documenta percipies, et firmiori fundamento tua perſuaſio nitetur. Ingenioſam eſſe hanc huius loci interpretationem, et coniecturas illas per ſe non eſſe prorſus improbabiles, lubenter concedimus; neque tamen aſſenſu noſtro hanc interpretandi rationem approbare poſſumus. Omnis enim Euangeliſtae narratio ita comparata eſt, vt appareat, eum lectoribus ſuis ſpecimen dare voluiſſe dignitatis Meſſianae a Chriſto probatae, atque oſtendere, eum rerum abſconditarum ſcientia fuiſſe praeditum. conf. et not. ad 2, 25. 16, 30. ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ (ὁ Χριστὸς) vid. ad Matth. 16, 6. 26, 63. ὅτι εἶπόν σοι — μείζω τούτων ὄψει] *tu propterea credis me* Meſſiam eſſe, *quod tibi ſignificauerim, me te ſub ficu vidiſſe*, atque ita, quae ibi egeris, in mentem tibi reuocauerim, *his maiora cognoſces*, maiora et grauiora dignitatis meae documenta videbis. εἶδόν σε ὑποκάτω τῆς συκῆς non reddi poteſt: *noueram, cognoui te ſub ficu ſedentem*, ſatis enim frigida atque ieiuna ſic procederet ſententia, ſed vertenda ſunt: *vidi te ſub ficu*. Haud pauci autem interpretes verba: ὅτι εἶπον — πιστεύεις, praeeunte Chryſoſtomo, interrogatiue poſita eſſe exiſtimant. Ac *Bengelius* quidem, qui in Gnom. ad h. l. his verbis expreſſam eſſe

monet admirationem Chrifti, de promta Nathanaelis fide, vt Matth. 8, 10. de fide centurionis, interrogationem poftulare, ait, fermonem ipfum, cum non fubfequatur particula οὖν, aliaue eiusmodi. At Ioh. 20, 29. eadem formula non interrogatiue, fed affertiue occurrit, nec ibi additur particula οὖν. Quare non neceffe effe puto, vt h. l. verba interrogatiue accipiantur. Senfus autem idem manet, five interrogationis fignum apponatur, fiue non. Sunt verba probantis et commendantis, neque interrogatio fi admittitur, eft dubitantis (vt recte iudicarunt *Lampius* atque *Bengelius*), neque reprehendentis, vt nonnulli ftatuerunt, qui verbis hunc fubftituerunt fenfum: ideone mihi fidem addicis, quoniam tibi dixi, me te fub ficu vidiffe? num hoc folo argumento fides tua nititur, quod tibi oftenderim, me mentis tuae indolem, actionesque fecretas noffe? coll. Ioh. 4, 48. huic interpretationi non fauet contextus, nec locus fimilis 16. 30. ὄψει attice pofitum eft pro ὄψῃ, vid. ad Matth, 27, 4. μείζω fcl. πράγματα, maiora argumenta. *Bengelius* et *Heumanus* de miraculis cogitant. Sed latiori fenfu haec verba accipienda funt, vid. verf. feq. qui explicationem horum verborum continet.

51. καὶ λέγει αὐτῷ· ἀμὴν κ. τ. λ.] *Porro addidit*, ad Nathanaelem et reliquos adftantes orationem conuertens, *veriffime vobis confirmo, vos pofthac vifuros effe coelum apertum et genios coeleftes adfcendentes ad filium hominis.* ἀμὴν interprete Suida eft id. qd. ἀληθῶς, et geminatum ἀμὴν affeuerationem magis intendit, v. *Schleufneri* Lex. h. v. Ea autem quae h. l. leguntur, plures interpretes, v. *Wolfium* in Curis, et *Koecherum* in Analectis ad h. l. proprie intelligenda effe putarunt, nempe de angelis, Chrifto, dum his in terris viueret, vere apparentibus, eique miniftrantibus, et prouocarunt hanc in rem ad Matth. 4, 11. 28, 2. Luc. 22, 43. quodfi vero etiam his in locis omnia proprie capienda effent, prior tamen locus, vt recte monuerunt *Morus*, *Rofenmüllerus*, alii, huc non

pertineret, quoniam Chriftus h. l. de re futura loquitur, tentatio autem in deferto tunc temporis iam res praeterita erat; neque omnino Chriftus h. l. de re rarius, fed faepius, et mox ac perpetuo euentura loquitur. Certiffimum igitur eft, hanc Chrifti vocem improprie effe intelligendam. Iam fatis conftat, Hebraeos omnia media prouidentiae, omnes euentus improuifos retuliffe ad auctores inuifibiles, ad fpiritus, quorum minifterio Deus ad exfequenda mandata fua vteretur, et Deum dici in literis facris, mittere angelos ad eos homines, quibus fingulari auxilio adfit, quos fingulari prouidentia tueatur, v. Pf. 34, 8. 91, 11. 12. et Gen. 28, 12. (quem locum Iefus refpexiffe videtur) angeli defcendentes et adfcendentes, accipientes et exfequentes Dei mandata, funt imago tutelae diuinae, fingularis prouidentiae diuinae. Poffet ergo omnino fenfus verborum Chrifti effe: Deus me adiuuabit, videbitis me fingulari prouidentia diuina fruiturum effe. „Multa, fcribit *Morus* ad h. l. occurrunt in vita Iefu exempla tam fingularis prouidentiae. Interdum petitur infidiis, et tamen faluus euadit. Tum quicquid ille vult, profpere fuccedit, voces etiam coeleftes audiuntur, quae hunc Iefum commendent reuerentiae hominum.“ Neque tamen haec explicandi ratio fatis conueniens eft iis quae praecefferunt. Hinc alii verba noftra explicuerunt de miraculis Chrifti, vt fenfus fit: mox plura et maiora facinora patrabo, teftes eritis infignium prouidentiae operationum mei cauffa peractarum, vt nullum apud vos dubium fupereffe poffit, me a Deo miffum, me Meffiam effe, v. *Storrii* Opufcc. Vol. 3. p. 83 fs. *Borgerus*, de conftanti et aequabili I. C. indole, doctrina ac docendi ratione etc. P. 1. p. 35. verbis μείζω τούτων ὄψεσθε fignificari cenfet, vim et efficaciam religionis, quam a Iefu inftitutam, Apoftoli quoquouerfus propagaturi effent. Mihi quidem fenfus verborum: angeli Dei miniftri et nuntii afcendent et defcendent ad me i. e. Dei mandata ad me perferent, mihi auxilio aderunt, demto ornatu Iudaico, ita conftituendus effe videtur: arctiffimam

mihi cum Deo esse coniunctionem in oculos omnium incurret, consilia Dei hominibus salutaria per me exsequentur, Dei prouidentia in tradenda ac propaganda doctrina diuina me adiuuabit, auxilio suo mihi Deus succurret, et doctrina et factis insignibus me Messiam esse demonstrabo. Verba ἀπ' ἄρτι in quibusdam libris desunt; *Paulus* ea ex Matth. 26, 64. in hunc locum venisse putat, sed videntur ab iis omissa, qui ea nimis premerent, et explicarent *inde ab hoc tempore*, cum omnino significent *posthac*, *in posterum*, מֵעַתָּה. ἐπὶ id. qd. πρὸς, vt Matth. 25, 20. τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου me, Messiam coll. v. 41. 45. 49., vid. ad Matth. 8, 20. et *Scholtenius* in Specim. Hermeneutico-theol. de appellatione τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, qua Iesus se Messiam professus est, Trai. ad Rhen. 1809. 8. p. 95.

CAPVT II.

In prima huius capitis sectione narratur, Iesum die tertio Canae interfuisse, vna cum discipulis suis, conuiuio nuptiali, et conuiuis procurasse vini copiam, ita, vt ex hydriis aqua repletis vinum hauriretur. *Paulus* in *Kommentar üb. das Ev. Ioh.* p. 150 ss. monet, non esse h. l. cogitandum de miraculo; Iesum, qui cum discipulis inexspectatus venisset, ad minuendam patrisfamilias inopiam, nocturno tempore, inscíis conuiuis, clam per apparitores largam vini copiam apparasse; Euangelistam, qui ipse non cogitauerit de miraculo, hoc Iesu factum eo consilio enarrasse, vt exhiberet lectoribus insigne humanitatis et liberalitatis Iesu documentum, quo et tunc temporis discipulorum ipsius fides mirifice aucta et confirmata esset coll. v. 11. Verum enimuero huic verborum v. 11. explicationi a *Paulo* propositae, leges interpretationis grammaticae aduersantur, omnisque orationis complexus et series sat euidenter docet, Euangelistam miraculum enarrare voluisse vid. not. ad v. 9. 11. cf. etiam *Fritzschii* commentat.

über das Wunder Christi auf der Hochzeit zu Cana, in *Rehkopfii Prediger-Journal für Sachsen, Jahrg.* 1806. p. 740 ſs. *Heubneri* miraculor. ab Euangeliſtis enarratorum interpretatio grammatico-hiſtorica etc. Viteberg. 1807. 4. p. 13. et *C. C. Flatti* comment. *über das Wunder der Verwandlung von Waſſer in Wein Ioh.* 2, 1 — 11. in *Süſkindii Magazin für chriſtl. Dogmatik u. Moral* St. 14. p. 73 ſs. Quare alii concedunt quidem, Euangeliſtam miraculum enarrare voluiſſe, ſed praecipiunt, accurate diſcernendum eſſe, quid Euangeliſta, qui ignorarit, quomodo vinum a Ieſu procuratum fuerit, ipſe crediderit et narrarit, et quomodo res ſeſe habuerit, neque adeo miraculum admittendum, ſed rem omnem e cauſſis naturalibus explicandam eſſe; nempe Ieſum, hilaritate ductum, quo iocum moueret, apparitores iuſſiſſe aqua hydrias replere, eos vero, ex compoſito, vinum a Ieſu clam procuratum, hydriis infudiſſe. His ita iudicantibus *Flattus* l. c. p. 82. ſqq. praeter alia oppoſuit haec: 1) cum Iohannes, vt ex ipſius commentariis conſtat, diligens et attentus rerum a Ieſu geſtarum obſeruator fuerit, parum probabile eſt, eum e verbis Ieſu: aqua replete hydrias v. 7. cum poſtea vinum inde hauriretur, adeo praepropere collegiſſe, a Ieſu aquam in vinum fuiſſe mutatam, nec accuratius rem explorare ſtuduiſſe. 2) non perſpicitur, quomodo omnino Iohannes reliquique diſcipuli ſtatim in eam incidere potuerint cogitationem, patratum eſſe miraculum, cum tunc temporis nondum Ieſus miraculum edidiſſet coll. v. 11. 3) plane improbabile eſt, patremfamilias, et conuiuas, non comperiſſe per apparitores, quorum ope Ieſus vſus eſſet, quomodo res ſeſe habuerit, neque Iohannem poſtea ex Maria, cui rerum ad conuiuium pertinentium cura demandata fuerat, aut aliis rem omnem reſciuiſſe. 4) Ieſus ipſe diſcipulorum errorem corrigere, eosque edocere debuiſſet, a ſe non eſſe miraculum, ex illorum interpretum ſententia inutile et ſuperuacaneum, in nuptiis illis patratum. Scilicet interpretes illi, qui ſtatuunt remouendum eſſe ab hoc loco miraculum,

contendunt quoque, miraculo nec tempus nec locum fuiſſe aptum, neque intelligi, quare miraculo opus fuerit, cum alio modo facile inopiae patrisfamilias ſuccurri potuiſſet. Contra vero *Flattus* l. c. p. 86. monuit: omnino non poſſe dubitari de vtilitate miraculi alicuius, ſi veritas illius hiſtorica certis ac firmis argumentis nitatur; cauſſam autem, cur Chriſtus tunc temporis inſigne factum ediderit, haud improbabilem afferri poſſe hanc: cum primi Chriſti diſcipuli, etſi non omnes, ſaltem eorum plurimi, antea fuerint Iohannis Baptiſtae ſectatores, hic vero vitam ſeueram egerit, a vini etiam vſu abstinuerit, eandemque vitam ſeueram ſectatoribus ſuis commendarit, v. Matth. 3, 4. 11, 18. Luc. 7, 33. Matth. 9, 14. haec autem diſciplina ſeuera Chriſti doctrinae adiungi non potuerit, v. Matth. 9, 16. Col. 2, 16. 1 Tim. 4. 3.: hoc inſigni facto, a Chriſto Canae edito, ipſius diſcipulos edoctos eſſe, nec vitam hilarem et ſociam fugiendam, nec vini vſum modicum rebus illicitis eſſe annumerandum. Conf. etiam *Borgerus* de conſtanti et aequabili I. C. indole, doctrina ac docendi ratione ſ. commentationes de Euangelio Iohannis, cum Matth. Marci et Lucae Euangeliis comparato, P. I. (Lugd. Batav. 1816. 8.) p. 47 ſs.

1. 2. *καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ*] Per *τὴν τρίτην ἡμέραν* nonnulli intelligunt diem hebdomadis tertium, contra vſum loquendi, cum non additum ſit *τοῦ σαββάτου* vel *τῶν σαββάτων*, vt Matth. 28, 1. Luc. 18, 12. rectius alii ab eo die numerant, quo Nathanael ad Ieſum adductus fuerat. Aliorum ſententias, neque enim haec quaeſtio magni momenti eſſe videtur, vid. ap. *Georgium* in Apparatu Crit. ad Euangg. et Lampium ad h. l. *γάμος conuiuium nuptiale* deſignat, v. ad Matth. 22, 1. *ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας*] Cana vicina fuit Capernaumo, vocatur Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, quo diſcernatur ab alio huius nominis oppido non procul a Iuliade, v. *Lampius*, *Paulus* ad h. l. et *Relandi* Palaeſtina p. 679. in verſione Syriaca oppidum h. l. memora-

tum vocatur ܩܘܛܢܐ (Kotna), quam fcripturam e fcribendi vitio enatam, atque legendum effe ܩܛܢܐ recte ad h. l. *Paulus* obferuauit. καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ] fponfum vel fponfam ex cognatis Mariae, adeoque Iefu fuiffe, admodum probabile eft, cum non inuitata, fed officii cauffa illic fuiffe dicatur, cum curam gefferit eorum, quae ad tuendum fponfi fponfaeque honorem facerent, cum famulis mandata dederit, et rerum ad conuiuium pertinentium curam gefferit v. 4. 5. 12. — 2. De verbo καλεῖσθαι v. not. ad Matth. 22, 3.

3. Nuptias Iudaeorum per feptem vel octo dies celebratas effe, patet ex Gen. 29, 27. Iudd. 14, 14. vid. *Lightfootus* Hor. Hebrr. et Talm. ad h. l. *Seldenus* de vxore Hebr. 2, 7. Ea vero quae h. l. de defectu vini commemorantur, intelligenda funt de die quinto, vel fexto vel feptimo nuptiarum. Vix enim credibile eft, die nuptiarum primo vinum defeciffe. Iefus cum difcipulis fuis ex improuifo in illam vrbem venerat, et honoris cauffa ad nuptias inuitatus fuerat. καὶ ὑστερήσαντος οἴνου, *cum vinum deficere inciperet*, verba enim faepius ab Hebraeis et N. T. fcriptoribus ita ponuntur, vt inchoatiue capienda fint. Quam in rem largam exemplorum copiam fuppeditabit *Glaffius* in Phil. S. p. 188. ed. *Dath.* οἶνον οὐκ ἔχουσι, *vinum deficit*, vini inopia imminet, eodem modo legitur Gen. 43, 2. *cum* (fere) *confumtum effet frumentum.* Quonam confilio Maria haec verba: οἶνον οὐκ ἔχουσι dixerit, disfentiunt interpretes. *Seb. Schmidius*, *Bengelius*, aliique a *Koechero* ad h. l. laudati, quibus adde *Reichardum* in verf. lat. et *Borgerum* l. l. p. 70 f., hunc verbis fenfum fubftituunt: *vinum deficere incipit, velim discedas, vt reliqui quoque discedant, antequam penuria vini patefiat.* Iefum vero inter alia refpondiffe matri: *nondum aduenit hora mea furgendi, et ex hoc conuiuio nuptiali discedendi; non neceffe eft, vt*

una tecum abeam, tibi discedere licet, si ita placeat, ego non discedam. Ingeniosa quidem, nimis tamen quaesita interpretatio; nec Mariam de discessu filii discipulorumque ipsius cogitasse, etiam inde apparere, monuerunt *Wolfius* in Curis, et *Semlerus* in Paraphr. ad h. l. quod ministris v. 5. praeceperit, vt promte, quicquid iuberet Iesus, perficerent, ergo exspectasse eam mandatum aliquod ad praesentem necessitatem faciens, quale non exspectare potuisset, si de maturando et promouendo Christi abitu cogitasset. *Chrysostomus* contra, *Clericus*, *Michaelis*, *Hezelius*, alii, opinantur, Mariam filium verbis οἶνον οὐκ ἔχουσι, aliisque pluribus, excitasse, vt miraculum ederet, et inde collegerunt, iam antea a Iesu edita esse miracula. Obiicitur iis quidem, v. 11. diserte legi: ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων, sed respondent, v. 11. sermonem esse de miraculis Christi publicis, quorum hoc ipsum primum fuisset, eum vero antea priuata et domestica patrasse miracula, quibus parentum egestati subuenisset. Ego vero argumenta idonea desidero, quibus hoc comprobetur, et v. 11. simpliciter σημεῖα commemorantur. Scilicet Maria, quae sponsi sponsaeque honori consulere cuperet, omnino verbis, οἶνον οὐκ ἔχουσι excitare voluit filium, vt vllo modo rem adiuuaret, et vel emendo, vel mutuando vinum sponso succurreret, cuius forte res familiaris nouae vini copiae procurandae sumtus ferre non posset.

4. Breuiter strictimque Euangelistam rem omnem exposuisse, in aprico positum est, et vel Iesus plura cum Maria locutus est, quam quae v. 3. et 4. commemorantur, ita, vt scriptor summam tantum colloquii istius attulisse putandus sit; vel iam antea, cum Iesus aduenisset, ei Maria aperuerat, se metuere ne inopinatus tot conuiuarum aduentus, caussa inopiae vini exsistat,

et Iesus promiserat se huic inopiae succurrere velle, cumque vinum deficere inciperet, mater hoc ei significabat verbis quae v. 3. leguntur, οἶνον οὐκ ἔχουσι, quo eum excitaret, vt promisso satisfaceret. Iesus ei respondebat: τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου] *missum me fac, mater, nondum mihi adest tempus opportunum.* Quae quidem verba vario modo explicuerunt interpretes. Ac plures quidem, vt *Beza*, *Lampius*, *Hammondus*, *Langius*, alii a *Wolfio* et *Koechero* ad h. l. laudati, statuerunt, grauem his verbis inesse reprehensionem, vrseruntque inprimis vocem γύναι. Reprehendisse autem aiunt Iesum matrem, ob nimiam sollicitudinem et importuniorem auxilii implorationem, adeoque verba expresserunt, vel: *noli alienas res ad te nihil pertinentes curare*: vel: *quid de rebus meis sollicita es? quid mea curas? quid me agendorum admones?* Negari nequit, formulam τί ἐμοὶ καὶ σοί; *quid mihi tecum rei est?* quae respondet Hebraicae מַה לִּי וָלָךְ v. *Glassius* Phil. S. p. 491 sq. vel contemtus vel indignationis caussa vsurpasse veteres, cum monere vellent alterum, ne ipsis aliqua re molestus esset, v. Ios. 22, 24. Iudd. 11, 12. 2 Sam. 16, 10. 1 Regg. 17, 18. 2 Regg. 3, 13. Matth. 8, 29. 27, 19. Marc. 1, 24. conf. *Raphelius* Obss. Herodo. p. 279. *Heupelius* ad Marc. l. c. Satis tamen apposite iam alii annotarunt, hanc formulam ex nostro quidem loquendi more iusto asperiorem esse, sed re ipsa non esse, et eiusmodi formulas vitae communis paulo duriores, lenire ac emollire vocis sonum, coll. 2 Sam. 16, 10, recte quoque obseruarunt, γύναι apud Graecos fuisse compellationem et allocutionem feminarum honestissimarum, atque hac voce minime iram et indignationem, sed obseruantiam, amorem significari, vt 19, 26. Sic ap. Dion. Cass. 51. p. 305. Augustus ad Cleopatram: θάρσει, ὦ γύναι, καὶ θυμὸν ἔχε ἀγαθόν. add. ib. 55. p. 639. Xen. Cyr. 7, 3. 4. Homer. Odyss. τ', 221. 555. Sophocl. Trachin. 370. vbi γύναι legitur, sed v. 374. δέσποινα. vid. *Fischerus* ad Anacr. 20, 11. Eodem modo *mulier* extat ap. Gellium N. A. 12, 1.

Mihi igitur de h. l. ſic videtur: Ieſus matri cum cum amicis colloquentem interpellanti, blanda voce reſpondebat: *miſſum me fac, mater, noli me interpellare (ſtöre mich jetzt nicht), nondum adeſt tempus opportunum inopiae ſuccurrendi, ſatis adhuc vini ſupereſt.* — *Schuſterus* in *Eichhornii Allgem. Biblioth.* B. 10. p. 765 ſs. verba τί ἐμοὶ καὶ σοί; vertit: *quid hoc ad me et ad te?* Notat: a conuiuis ad nuptias *inuitatis*, interdum dona nuptialia data eſſe (*Buxtorfius* Synagog. Iud. p. 637. ed. 3. *inuitati hoſpites quandoque ſub finem conuiuii ſponſis munera offerunt, maxime iuuenes ſuis ſodalibus, ad ſumtus nuptiarum ipſis minuendos, et ſub hac conditione, vt illi par pari ſuo tempore ipſis reddant*), more recepto autem conuiuas, *qui non inuitati*, ſed ſponte aduenifſent, et paranymphos (v. *Seldenus* vxor. Hebr. 2, 16. p. 200.) munera, atque inter ea etiam vinum obtuliſſe. v. *Lightfootus* ad h. l. Itaque verborum Chriſti ſenſum hunc in modum conſtituit: a nobis non exſpectari et poſtulari poteſt, vt vinum procuremus, inopiaeque neogamorum medeamur, a nobis non ſunt dona nuptialia offerenda, interim tamen, cum tempus opportunum aderit, inopiae ſuccurram. At enimuero explicationi formulae τί ἐμοὶ καὶ σοί; *quid hoc ad me et te?* ſ. *quid mea et tua refert?* obſtat et refragatur vſus loquendi, cum ea, vt ſupra vidimus, nonniſi hoc ſonet, *quid mihi tecum rei eſt?* cum porro Mariae demandata fuerit, vt ex omni orationis ſerie patet, cura rerum ad conuiuium pertinentium, non temere eam vini inopia ſollicitam habebat; nihil denique de munere nuptiali in textu legitur, et Ieſus, ſi de eo cogitaſſet, haud dubie mentem ſuam aliter expreſſiſſet. Caeterum ὥρα eſt *tempus opportunum*, vt Rom. 13, 11. Suidas: ὥρα, καιρὸς ἐπιτήδειος. Hebr. מועד quod Alexandrini interpretes Num. 9, 2. vt nomen עת, Gen. 29, 7. expreſſerunt ὥρα, ſed Pſ. 9, 9. 10, 1. εὐκαιρία. cf. et *Raphelius* Obſſ. Herodo. p. 279. Praeſens autem ἥκει vim habet praeteriti, vnde et verba, ἦλθε ac ἥκει tanquam idem valentia ap. Herodo. 2, 114. coniunguntur. Heſych. ἥκει, ἔρχεται ἢ

ἦλθον. Schol. ad Eurip. Hec. v. 1. τὸ ἥκω· Ἀττικόν ἐςι. Οἱ γὰρ Ἀττικοὶ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ἧκον, ἥκω λέγουσι. vid. *Loesnerus* ad Ioh. 8, 42. *Raphelius* Obff. Xenophh. ad h. l. et *Dauesius* Mifcell. Critt. p. 351.

— 5. 6. Maria, cui perfuafum effet Iefum defideriis fuis breui effe fatisfacturum, cum crederet, eum in vino procurando apparitorum opera vfurum effe, hos admonebat, vt nulla in re mandatis filii reluctarentur. διάκονοι *miniftratores*, מְשָׁרְתִים 1 Regg. 10, 5. funt famuli, qui miniftrabant et apparebant ad menfam, v. Xen. Mem. 1, 5. 2. nominatim h. l. *pincernae*, qui alias dicuntur οἰνοχόοι, quibus quoque praeerat ἀρχιτρίκλινος. vid. *Fifcheri* Ind. Theophr. fub v. διακονεῖν et not. ad Matth. 4, 10. Luc. 10, 40. — 6. ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι κ. τ. λ.] *erant ibi fex hydriae difpofitae pro more Iudaeorum lauandi recepto.* Ὑδρία omnino eft *vas aquale, ad recipiendam aquam deftinatum, vrna*, vnde depromta aqua vafis minoribus infundebatur, κατὰ τὸν καθαρισμὸν, ad purgandas manus, antequam cibus caperetur, v. ad Matth. 15, 2. et lauanda vafa, calices, et vtenfilia reliqua, v. ad Luc. 11, 39. Hebr. כַּד Iudd. 7, 16. 19. צְלֹחִית 2 Regg. 2, 20. Etym. M. Ὑδρία κυρίως τὸ εἰς ὕδωρ εὔθετον ἀγγεῖον. Suidas: ὑδρία — τὸ ἀγγεῖον. κατὰ *pro more*, vel etiam *propter*, vt Hebr. עַל Ezech. 36, 18. Matth. 19, 3. Rom. 2, 5. v. et *Raphelius* Obff. Herodo. ad h. l. χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς] *capientes fingulae amphoras duas vel tres.* Vocabulo μετρητής, quod *Michaelis* et *Boltenius* vertunt: *Eimer, Langius, Eckermanus, Stolzius: Maafs*, interpretes Alexandrini reddiderunt Hebr. בַּת 2 Paral. 4, 5. 3 Efdr. 8, 22. Intelligitur autem metreta f. amphora Attica, quae eiusdem fere erat amplitudinis, qua menfura Hebraeorum, quae בַּת vocabatur, capiebat enim amphora Attica duo et feptuaginta fextarios, fiue congios duodecim Atticos, vid. *Eifenfchmidius* de ponderibus et menfuris Sect. 2. c. 4. nec minus Hebr. בַּת circiter duo et feptuaginta fextarios ca-

piebat, auctore Iofepho Ant. 8, 2. ὁ δὲ βάθος δύναται χωρῆσαι ξέστας ἑβδομήκοντα καὶ δύο. v. *Eifenfchmid.* l. c. *Lampius* ad h. l. et *Fifcherus* de vit. Lexx. p. 447. χωρεῖν eft *complecti, capere*, vt Ioh. 21, 25. Aelian. Hift. Anim. 5, 3. Hift. Var. 2, 41. 1, 4. add. *Raphelius* Obff. Herodo. p. 280. ἀνὰ e Graecorum vfu loquendi inferuit distributioni, atque adeo indicat, fingulas hydrias memoratam menfuram cepiffe, v. not. ad Matth. 20, 11. Marc. 6, 40. *Vorftius* de Hebraism. N. T. p. 304 fq. 313. *Elfnerus* et *Münthius* ad h. l. Caeterum *Semlerus* ad h. l. coniecit, non omnem aquam fex hydriarum in vinum fuiffe mutatam, fed illam tantum, quam e fex hydriis hauftam, aliquot in vafis miniftri attuliffent conuiuii magiftro; cui tamen coniecturae non fauet orationis feries coll. v. 7.

7. 8. Mandauit Iefus non difcipulis, fed famulis, vt hydrias, crebris lotionibus fere euacuatas, rurfus aqua replerent, quo facto eosdem iuffit aquam ex hydriis haurire, et afferre τῷ ἀρχιτρικλίνῳ. Hoc vero ipfo vocabulo indicatur praefectus triclinii, conuiuii, qui curam habebat epularum, ciborum, potulentorumque apparatus, qui menfae non accumbebat, fed ftabat, conuiuium obibat, imperabat miniftris quod facto opus erat. Deducitur nomen ab ἀρχὸς *princeps, praefectus*, et τρίκλινος *coenaculum*. A Polluce vocatur τραπεζοποιὸς Onomaft. 3. fegm. 41. p. 287. ὁ δὲ πάντων τῶν περὶ τὴν ἑςίασιν ἐπιμελούμενος, τραπεζοποιὸς, *is vero qui omnia ad conuiuium fpectantia curat, τραπεζοποιὸς dicitur.* Idem Pollux Lib. 6. fegm. 13. p. 570. haec habet: ὁ δὲ Φροντίζων τῆς ὑπηρεσίας ἁπάσης τραπεζοποιός. Ἡ δὲ ὑπηρεσία, παῖδες, οἰνοχόοι, τραπεζοκόμοι, τομεῖς, μάγειροι, ὀψοποιοὶ, ὀψαρτυταὶ, *qui omne curat minifterium, τραπεζοποιὸς dicitur. Famulitium autem eft, pueri, pincernae, menfarii, fectores, coqui, obfoniorum paratores, condi.* Iam vero cum h. l. Iefus pincernas ad architriclinum mififfe dicatur, vt ei vinum guftandum praeberent: patet, eum fuiffe ci-

borum potusque, vt et pincernarum praefectum. Nec debet *ἀρχιτρίκλινος* confundi cum conuiuii praefide, qui Graecis dicebatur *συμποσιάρχης*, *βασιλεὺς* vel *ϛρατηγὸς* (Plaut. Stich. 5, 4. 21. *Strategum te facio huic conuiuio*); Latinis: *Modimperator*, *Arbiter*, *Dictator*, v. *Wetstenius* ad h. l. qui a conuiuis, ex eorum numero deligebatur, aut forte conftituebatur, vt fumma auctoritate conuiuio praeeffet, leges bibendi daret etc. de quo etiam fermo eft Sir. 34 (32), 1. vbi v. *Drufius*, *Grotius* et *Bretfchneiderus*, fed a Iohanne *ἀρχιτρίκλινος* ita defcribitur, vt appareat, eum non vna cum conuiuis ad menfam accubuiffe, fed fuiffe feruum, conuiuii, reliquorumque feruorum praefectum, v. et interpp. ad Plat. Sympof. 31, 1. ad Cic. Cat. Mai. 14. Horat. Od. 1, 4. 18. 2, 7. 25. Ioh. Ern. Imm. *Walchii* Disf. de Architriclino Ioh. 2, 8. Ien. 1753. 4. et Obff. noftr. ex libris Apocryph. in N. T. ad h. l.

9. 10. Quae v. 7. 8. praeceffterunt, vt et h. l. verba *τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον*, quae 4, 46. repetita leguntur, poftquam v. 45. mentio facta erat *σημείων* a Iefu (coll. 2, 23) tempore fefti Hierofolymis patratorum, fat luculenter docent, Euangeliftam miraculum narrare voluiffe. — Conuiuii praefectus, deguftato vino ex aqua facto, ignarus eorum quae acta erant, arceffiuit f. allocutus eft (*φωνεῖ* id. qd. *προςφωνεῖ* v. *Palairetus* et *Raphelius* Obff. Herodo. ad h. l.) fponfum verbis his: *πᾶς ἄνθρωπος*, *quilibet* (Alex. Prou. 24, 12. איש vertunt *ἕκαςος*) *πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησι*] *vinum praeftantius primo loco apponere folet*, de hac confuetudine loquuntur etiam Plinius H. N. 14, 13. Martial. Epigr. 1, 24. fufpicabatur autem conuiuii praefectus, vinum iam ante paratum, tamdiu negatum fuiffe. *καὶ οὐκ ᾔδει — τὸ ὕδωρ*] *ignarus vnde hoc effet, quod famuli quidem, qui hauferant, fciebant.* Notant: fcriptorem verba: *non nouerat*, *vnde effet*, adieciffe, vt oftenderet, architriclini teftimonium, non ex fauore erga Iefum, aut collufione cum ipfo, fed ex ipfa rei veritate effe prola-

tum; verbis autem *quod ministri nossent*, innui, illis plane constitisse, quod nil nisi aqua fuerit, quam hausissent, veruntamen illos studio id dissimulasse, vt ab architriclino audirent, quid ille de hoc vino iudicaret. *καὶ ὅταν μεθυσθῶσι, τότε τὸν ἐλάσσω*] *et postquam ad satietatem biberunt, minus nobile.* Scilicet verbum *μεθύειν* in versione Alexandrina respondet Hebraeorum רוה *abunde irrigari, abunde accipere* Ps. 23, 5. 65, 11. Ies. 58, 11. Hesychius: *μεθύει, πληρῶται·* et שׁכר quod non semper in vitio ponitur, sed interdum liberalem tantum vini vsum declarat, vt Gen. 43, 34. vbi narratur, Iosephi fratres cum ipso bibisse, et hilares esse factos, *οἱ ὁ* habent: *ἐμεθύσθησαν μετ᾽ αὐτοῦ*, nemo vero facile dixerit, eos sese coram Aegypti prorege inebriasse. add. Hagg. 1, 6. שָׁתוֹ וְאֵין־לְשָׁכְרָה h. e. *bibetis sed non ad satietatem.* Philo de Agric. p. 209. E. *καλόν γε τοίχων ἐπιμελεῖσθαι, προσόδους ἐκλέγειν, ἑστιᾶσθαι, μεθύειν* etc. *bonum est curare domesticos parietes, reditus colligere, conuiuari, potare* etc. Id. de Plant. No. p. 234. A. *ἐστι τοίνυν τὸ μεθύειν διττὸν, ἓν μὲν ἴσον τι τῷ οἰνοῦσθαι, ἕτερον δὲ ἴσον τῷ ληρεῖν ἐν οἴνῳ, est igitur duplex ebrietas, altera vino madere, altera vino delirare significat*, add. interpp. ad 1 Cor. 11, 21. Est ergo h. l. sermo de conuiuis, qui non inebriati sunt, sed qui ad satietatem biberunt, ita, vt non accurate discernere possint vinum *nobilius*, a *minus nobili*; vappam enim, vt nonnulli opinati sunt, conuiuis illis, antequam Iesus aquam in vinum conuertisset, appositam esse, nec h. l. legitur, nec credibile est; sed *ἐλάσσω* est vinum *vilius*. Ab ea quam hactenus proposuimus verborum interpretatione recedunt *Bengelius*, *Semlerus*, *Michaelis*, *Moschius*, *Hezelius*, *Langius*, verbum *μεθύειν* proprio et stricto sensu accipiunt, sed animaduertunt, nihil hoc loco approbari, rem simpliciter narrari, nec esse verba Christi, sed praefecti conuiuii, nec esse de conuiuis illis, sed de conuiuis in genere sermonem; attamen e verbis versus vltimis *σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι, tu vinum praestantius vs-*

que ad hoc tempus referuafti, fatis apparere videtur, re-fpectu conuiuarum, qui illis ipfis nuptiis intererant, dixiffe conuiuii praefectum, ὅταν μεθυσθῶσι· cum vero non probabile fit, Iefum vna cum difcipulis in focietate hominum ebriorum et vinolentorum fuiffe, cum potius credibile fit, eo praefente omnia decenter effe peracta, eum auctoritate fua et fapientia conuiuas ab omni inhoneftate et turpitudine auocaffe, prior verborum expofitio praeferenda videtur.

11. ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας] *hoc primum edidit Iefus miraculum Canae in Galilaea*, id. qd. τοῦτο τὸ πρῶτον σημεῖον ἐποίησε ὁ Ἰησοῦς κ. τ. λ. alterum Canae in Galilaea peractum, notatum eft 4, 54. σημεῖον id. qd. τέρας, interprete Hefychio, vt etiam אות atque מופת funt fynonyma Ief. 38, 7. coll. 2 Chron. 32, 24. et Exod. 7, 3. coll. 11, 9. add. Sir. 35, 5. Marc. 13, 22. Luc. 11, 16. etc. v. *Schleufneri* Lex. h. v. et voc. σημεῖον fignificare h. l. miraculum, reliqua verba adiecta docent. καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ] *quo declararet dignitatem fuam*, fe effe Meffiam coll. 1, 14. a Meffia miracula Iudaei exfpectabant, v. 6, 14. 7, 31. καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ] *et mirifice confirmata eft difcipulorum ipfius fides*, firmius fibi perfuadebant, Iefum effe eum, quem annuntiaffent Mofes, et prophetae, et Iohannes Baptifta, populi fui fofpitatorem, v. 1, 43 fs. Non poffunt haec verba fimpliciter reddi: fidem ei habuerunt difcipuli; crediffe enim iam antea legun-tur. Eft autem haec loquendi ratio Hebraica. Scilicet Hebraeis res aliqua tunc dicitur fieri, cum augetur et accuratius manifeftatur Iof. 24, 14. coll. 16, 21. Gen. 15, 6. coll. Ebr. 11, 8. Itaque et h. l. πιστεύειν debet intelligi de fidei et perfuafionis augmentis atque incrementis. Aliam viam ad explicanda huius verfus verba, ingreffus eft *Paulus* in Commentar. ad h. l. Is nimirum per σημεῖον intelligit, fignum, documentum animi praeftantiae Iefu, nominatim h. l. documentum humanitatis Iefu, ftudii eius,

aliorum laetitiam promouendi, *Zeichen von Iesu theilnehmendem Frohsinn.* Sed quis credat Iesum tunc demum humanitatis specimina edere, egregiamque animi indolem probare coepisse? (Luc. 2, 52.) Praeterea δόξα Ἰησοῦ in libris N. T. indicat eius maiestatem, dignitatem, vel conditionem sublimiorem coll. 1, 14. 17, 5. v. *Flattus* l. c. p. 79. *Schleusneri* Lex. sub v. δόξα.

12. 13. Vid. not ad Matth. 4, 12. Καφαρναοὺμ v. ad Matth. 4, 13. οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ad Matth. 12, 46. ἀνέβη Matth. 20, 17.

14. Iesus tempore festi Paschatos in templo degens, ex area atrii gentium, eos qui ibi boues, oues, et columbas vendebant, vt et nummularios mensis assidentes eiecisse perhibetur. Cf. omnino quae notauimus ad Matth. 21, 12. Apposite *Grotius* ad h. l. monuit: „Iesus cum venisset ad sacra emendanda, bis, conspicuo signo, testatum hoc fecit, templum velut sacrorum sedem purgando, circa initium et circa finem muneris sui (v. Matth. 21, 12 ss. Luc. 19, 45. Marc. 11, 15 ss.), vt, in quo inceperat, in eo se desinere ostenderet.“ Fuerunt qui putarent, h. l. et Matth., Marc. ac Luc. ll. cc. vnam eandemque historiam tradi, semel tantummodo a Iesu, nempe paulo ante ipsius mortem, templum repurgatum esse. Hanc sententiam nuper quoque defendit *Zieglerus* in *Gableri Neuest. theol. Journal* B. 9. p. 50 ss. sed parum firmis atque idoneis argumentis hanc in rem vsus est, nimirum his: 1) non potuisset Iesus felici successu, nemine repugnante, e templo exturbare homines istos sordido quaestu religionem loci profanantes, nisi iam magna auctoritate apud omnes valuisset, nisi maxima pars populi eum legatum diuinum habuisset; at tunc temporis Iesus populo ignotus erat, prima vice in templo doctoris partes agens comparebat. — Verum enimuero Iesus neutiquam illo tempore populo ignotus erat, imo fama eius iam vndique percrebruerat, et plura insignia facta ediderat, v. Ioh. 2, 1 sqq. Luc. 4, 23. vbi v. not. et

ad Matth. 4, 12. infra v. 23. 3, 2. coll. 20, 30. 2) Iudaei poftulabant, vt v. 18. legitur, a Iefu σημεῖον, documentum legationis ipfius diuinae, miraculum, et Iefus declarabat, refurrectionem fuam fore fignum maxime euidens fe legatum effe diuinum. Quomodo vero ad refurrectionem fuam prouocare potuiffet, cum vsque ad mortis tempus plura alia miracula patrare vellet, et illo ipfo tempore Hierofolymis (coll. v. 23.) patraffet? Appofite autem morti proximus ad fuam refurrectienem prouocare poterat. — Quam parum hoc argumentum valeat vel docet locus Matth. 12, 38 fq. Edidit fane Iefus poftea, et illo tempore etiam, Hierofolymis infignia facta, fed eo temporis momento, quo Iudaei miraculum ab eo poftulabant, eorum defideriis fatisfacere nolebat, nec tali miraculo, quale illi poftulabant (v. Matth. 12, 38.), legationem fuam diuinam comprobare volebat. vid. et infra not. ad v. 19. 3) E v. 17. patet ipfos Iefu difcipulos de vita ipfius metuiffe. Sed verba v. 17. aliam interpretationem admittunt, vid. ibi notata. Quodfi vero etiam haec *Ziegleri* verborum illius verfus interpretatio vnice vera effet, nonne initio muneris Iefu eius difcipuli longe prius atque facilius induci poterant, vt crederent, eum non impune hoc factum effe laturum, eum tanquam hominem feditiofum et turbulentum apud magiftratum delatum iri, quam poft Iefu folennem in vrbem introitum, cum eum populus Meffiam falutaffet? Omnino fufpicioni illi, fcriptorem noftrum rem geftam, ad vltimum feftum Pafchale referendam, h. l. praeoccupaffe, obftat accurata temporum notatio, quae tum in vniuerfo Euangelio, tum inprimis h. l. v. 12. manifefta eft. ἐν τῷ ἱερῷ, in area atrii gentium, v. ad Matth. 21, 12. κερματισταὶ, *nummularii*, qui Matth. l. c. κολλυβισταὶ dicuntur, vbi v. not. Hefychius: τραπεζίτης, κολλυβιστής, κερματιστής, δανειστής. καθημένους fc. ἐπὶ τραπέζῃ.

15. 16. καὶ ποιήσας Φραγέλλιον ἐκ σχοινίων] *flagello ex funibus facto*: Φραγέλλιον vox origine latina, id.

qd. μάςιξ, v. quos laudauit *Schleuſnerus* in Lex. ſub h. v. Arripuit haud dubie Ieſus funes, quibus boues adducti erant, et his funibus pro flagello vſus eſt. ἐκβάλλειν, vt Lat. *eiicere*, non ſemper de violenta eiectione adhibetur, ſed omnino de quouis modo, quo aliquis e loco quodam remouetur, etiam ſimpliciter notat, *exire iubere*, cf. not. ad Matth. 7, 3. 9, 25. 12, 35. Recte igitur animaduerterunt *Lampius*, *Hezelius*, alii, Ieſum negotiatores iſtos non verberando eieciſſe, ſed exire iuſſiſſe, quo citius autem greges expellerentur, ipſum manum adieciſſe. Etiam ex eo, quod columbarum venditores non verberibus, ſed verbis et rationibus eiecit, et ad obſequium coegit, intelligitur, eum nec boum ouiumque venditores verberibus eieciſſe, nec tale quid de nummulariis legitur. Neque verberibus opus erat, promti parebant voluntati Ieſu, eiusque feruori pio concedebant, cum magna ſectatorum et admiratorum Ieſu multitudo praeſens adeſſet, quae eum pro legato diuino haberet, cum et populus ipſe fraudes iſtorum negotiatorum ac turbas indignaretur et deteſtaretur. De vi ac poteſtate vocabuli κέρμα docte et accurate diſputauit *Fiſcherus* in Proluſſ. de vit. Lexx. N. T. p. 264 ſs. Nempe κέρματα proprie quidem dicebantur nummi argentei et aurei, minuti et viles, tanquam oboli, chalci, et alii (Suidas: κέρματα, τὰ λεπτότατα. Κερματίζει εἰς λεπτὰ διαιρεῖ. add. Ariſtoph. Veſpp. v. 787. coll. 784 ſq.), quos menſarii permutabant nummis aureis et argenteis maioribus, drachmis, didrachmis, tetradrachmis, daricis, qui inde κερματιςαὶ *nummularii* dicti ſunt. Sed cum menſarii Hieroſolymis in porticu templi propterea ſederint, vt arte ſua atque pecunia adiuuarent emtionem et venditionem pecudum, aliarumque rerum ad ſacrificia neceſſariarum, inprimisque ſolutionem didrachmorum ſiue ſemiſiclorum (vid. not. ad Matth. 21, 13.) et hac permutatione nummorum lucrum quaeſtumque facerent: neceſſe eſt, vt h. l. notio vocabuli κέρμα latius pateat, neque ſolum nummos complectatur, quibus permutentur alii, verum etiam eos

qui permutati fuerint, et nummulariis pro permutatis dati, vt adeo κέρμα vno verbo fit *aes*, *pecunia* (quo fignificatu etiam extat ap. Ariftoph. Plut. 379. Gloff. vett. *κέρμα aes)*, et ἐξέχεε τὸ κέρμα reddi debeat: *effudit menfariorum pecuniam.* καὶ τὰς τραπέζας ἀνέστρεψε] *menfasque euertit.* Pro ἀνέστρεψε *L. Bofius* legendum effe ftatuebat ἀνέτρεψε, verbum enim hac in re proprium putabat effe ἀνατρέπειν, non ἀναστρέφειν, deprehenditur etiam haec ipfa lectio ἀνέτρεψε in nonnullis codd. et aliis quoque in locis haec verba a librariis inter fe permutata funt. v. *Loefnerus* ad h. l. fed plurimi et optimi codd. in lectione ἀνέστρεψε confentiunt, et hoc ipfum verbum ἀναστρέφειν a fcriptoribus exteris eodem fignificatu adhiberi, quo h. l. vfurpatum extat, exemplis pluribus ad h. l. *Albertius*, *Wolfius*, *Kypkius* et *Loefnerus* comprobarunt; etiam Hefychius ἀνατρέπειν interpretatus eft per ἀναστρέφειν et hoc per ἀνατρέπειν.

17. ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κ. τ. λ.] *tum recordati funt difcipuli illius dicti: indignatione ob domum tuam violatam conficior.* Verba defumta funt e Pf. 69, 10. *Bengelius* haec verba referenda putabat ad necem Iefu illatam, ob zelum domus paternae i. e. religionis diuinae. *Zieglerus* quoque l. c. notat, formulae: *ftudio domus tuae confumor*, hunc fenfum ineffe: moriar, quia impedire ftudeo, quo minus templum tuum profanetur, atque adeo his verbis fignificari, difcipulos iudicaffe, Iefum ob hunc feruorem capitis damnatum iri. Me non habent affentientem, etfi locus Pfalmi huic interpretationi fauere videatur. Pfalmus nimirum ex nonnullorum interpretum fententia compofitus eft a poeta captiuo, a Syris e patria abducto, ab iisque, patriorum, quae prodere nollet, facrorum cauffa, peffime habito; v. *Gurlitti* Animaduu. ad auctores vett. in *Potti* Sylloge Commentatt. theologg. T. 1. p. 331. ex plerorumque tamen interpretum fententia rectius, opinor, refertur ad tempora feditionis Abfolomicae. v. *Rofenmülleri*

Scholia ad Pfalmi l. c. qui fenfum verborum ita conftituit: ingens me ftudium tenet et ardor cultus tui, et ne tibi obtrectetur, tantus quidem omnino, vt totus confumar affectu hoc. *Domum Iouae*, cultus eius domicilium et fedem, pro ipfo hoc cultu dici, animaduertit. Durius, meo faltem iudicio, *Knappius*, per *domum Iouae*, intelligit familiam Iouae, populum Ifraeliticum, et hunc verbis fubftituit fenfum: ftudium meum felicitatem populi promovendi, mihi interitum affert, me de populo optime promeritum calumniantur. Mihi Pfalmi l. c. refpici videtur facrificium ab Abfolomo in vrbe Hebron peractum. Abfolomus a Dauide petierat hanc fibi veniam daret, vt in vrbe Hebron facrificium offerret, Dauides dederat, et ibi feditio exarferat, v. 2 Sam. 15, 7 fqq. Senfum igitur verbis Pfalmi ineffe puto hunc: ftudium et ardor cultum tuum promouendi me infelicem reddidit. Neque tamen propterea arbitror, h. l. verbum κατέφαγέ με explicandum effe *me infelicem reddit*, f. *mihi interitum affert*, et difcipulos de capitis periculo, quod Chrifto immineret, cogitaffe. Accommodarunt enim Pfalmi verba, fed in accommodationibus locorum V. T. non folet contextus refpici, et fubftituitur verbis fenfus accommodatus rei in quam locus transfertur; neque difcipuli, qui Iefum pro Meffia habebant, eum moriturum effe credebant, ne tum quidem credebant, cum Iefus non femel fed faepius, etiam paulo ante mortem fuam iis hoc praedixiffet, multo minus ergo credebant nunc temporis initio muneris Chrifti. Iam cum verba אכל, καταφάγειν, κατεσθίειν, metaphorice ita poni foleant, vt notent: moerore, aegritudine, indignatione afficere, v. Iob. 19, 22. Cohel. 4, 1. *Wolfius* et *Lampius* ad h. l.: hoc ipfo fenfu difcipulos Pf. l. c. verbum אכל cepiffe arbitror, vt adeo verba, quae h. l. leguntur, contineant defcriptionem ardentiffimi feruoris ac ftudii pro honore cultus diuini, atque adeo iis hic fenfus fubiiciendus fit: indignatio ob templum tuum violatum me propemodum conficit et enecat, fummo ftudio cultus tui honorem tueor.

Pro *κατέφαγε*, quam lectionem etiam verſionis Alexandrinae auctoritas tuetur, in permultis codd. legitur *καταφάγεται*, quae tamen ſcriptura gloſſema ſapit, ſed *κατέφαγε* vim praeſentis obtinet.

18. *ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπον*, *ei dixerunt* ſiue potius, *eum interrogarunt*, vid. ad Matth. 11, 25. *οἱ Ἰουδαῖοι* ſunt praefecti templi, aliique de primoribus populi, v. 1, 19. illi grauiter offenſi, nulli dubitantes, Ieſum maiorem ſibi, quam par eſſet, auctoritatem arrogare, eum interrogabant: *τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς*: *quale documentum nobis exhibes, vnde conſtet, haec faciendi poteſtatem tibi competere?* Arbitrabantur Iudaei prophetam, legatum diuinum, poſſe leges ferre cultum Dei externum ſpectantes, et Meſſiam ſacra repurgaturum eſſe, vid. ad Matth. 12, 6. 21, 12. Ioh. 1, 19 ſs. *σημεῖον* documentum legationis diuinae, te eſſe prophetam vel Meſſiam, miraculum, v. Matth. 12, 38. Marc. 8, 11. Matth. 16, 1. Luc. 11, 26. infra 4, 54. 6, 30. *δεικνύειν exhibere*, vt 1 Macc. 6, 34. 3 Macc. 5, 10. cf. et *Schleuſneri* Lex. h. v. *ὅτι* recte *Beza* interpretatus eſt, *quandoquidem*, vt ſenſus ſit: quandoquidem iſta facis, quonam miraculo demonſtras, te non temere, ſed iure tuo ita agere? ſic *ὅτι* legitur quoque 9, 17. *Paulus* in hunc ſenſum verba accipienda putat: *quid haec molimina tua* (v. 14 ſs.) *ſibi volunt.* Sed vt *Flattus* in Symbolis ad illuſtranda grauiora quaedam Ieſu dicta in Eu. Ioh. P. 1. p. 5. ſcienter obſeruauit, Iohannes ſic ſcribere debuiſſet: *τί σημαίνεις ἡμῖν τοῦτο ποιῶν*: et vulgaris interpretatio confirmatur loco ſimili 6, 30.

19. *λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν*] reſpondit Ieſus: *deſtruite hoc templum, et intra triduum illud reſtituam.* *λύειν* h. l. vt ſaepius idem valet quod *καταλύειν*, *deſtruere*, vt 3 Eſdr. 1, 55. *καὶ ἔλυσαν τὰ τείχη Ἱερουσαλὴμ*, add. 2 Petr. 3, 10. 12. 1 Ioh. 3, 8. Hom. Il. π', 100. Matth. 26, 61. 27, 40. v. *Elſnerus*, *Palairetus* et *Kypkius* ad h. l. Imperatiuus *λύσατε*,

fi fenfum fpectamus, vim futuri obtinet, *deftruetis*, vid. *Glaffii* Phil. S. p. 286. Verbo λύειν opponitur ἐγείρειν, quod fignificat: *exftruere*, *reftituere*, *reficere*, v. *Elfnerus* et *Kypkius* ad h. l. Quaeritur iam, quid per τὸν ναὸν intelligendum fit? E vulgari interpretum fententia Chriftus, per τὸν ναὸν τοῦτον, non *templum*, fed *corpus* fuum intellexit, atque de morte fua, eamque fecutura refurrectione locutus eft. Ab hac tamen fententia nonnulli recentiorum receffe-runt, ita, vt in conftituendo horum verborum fenfu, in diuerfiffimas partes abirent. De qua diuerfitate huius verfus interpretandi infra exponamus. Primo enim videamus, quibus argumentis vulgaris verborum interpretatio nitatur. Eft ea omnino vfui loquendi cummaxime confentanea. Scilicet Hebraei *corpus* nominare folebant *domicilium*, *domum* דור Ief. 38, 12. *tentorium*, σκῆνος, אֹהֶל. v. interpp. ad 2 Cor. 5, 1. et Philo de Opificio mundi p. 93. 94. ed. *Pfeifferi*, vbi de corpore hominis primi loquitur, illud tropice vocat ναὸν, ἱερὸν, eaque imagine exprimit fimul dignitatem inhabitantis animi, cuius veluti numini dedicatum fit hoc templum. Alios locos e fcriptoribus exteris et patribus ecclefiae Graecae, vbi eadem translatio occurrit, collegit *Reinhardus* in Disf. de Chrifto fuam dum viveret refurrectionem praedicente, inferta Commentatt. theoll. a *Velthufeno*, *Rupertio* et me editis Vol. 3. p. 4. Satis noti funt quoque loci in epiftolis Pauli 1 Cor. 3, 16. 17. 6, 19. 2 Cor. 6, 16. al. vbi Chriftiani ναὸς τοῦ Θεοῦ appellantur, et σῶμα αὐτῶν ναὸς τοῦ ἁγίου πνεύματος dicitur. Qui quidem loci luculenter oftendunt hunc metaphoricum vocis ναὸς vfum, neque tam durum, neque tam peregrinum atque ignotum fuiffe Iudaeis, vt a Iefu nullo modo adhiberi potuerit. Et Chriftus, qui cum Deo coniunctiffimus erat, per quem Deus fe manifeftabat, qui fimili non duriore metaphora vfus Ioh. 6, 35, 51. fe ἄρτον τῆς ζωῆς, τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ vocauit, recte corpus fuum, in quo, vt Ioh. 1, 14. fcribit, ὁ λόγος habitabat, nominare poterat *templum*. — Verba τὸν ναὸν τοῦτον, fiue *de templo*,

fiue *de corpore* Chrifti capiantur, *δεικτικῶς* dicta funt, et ftatuendum eft Chriftum digito intento aut templum, aut corpus fuum monftraffe, etfi hoc non diferte additum legatur, ficuti nec Matth. 16, 18. notatum legitur, aliisque in locis pluribus, vbi eum *δεικτικῶς* locutum effe, facile quisque concedet, et cum Chriftus, in quo omnes confentiunt, fententiofa breuitate h. l. locutus fit, qua verba eius ad oraculi obfcuritatem accedunt, vt auditorum attentionem et meditandi ftudium excitaret, digito exferendo vel alio geftu, rectae huius apophthegmatis interpretationi fubvenire debebat. Eum autem corpus fuum, *ναὸν* vocaffe, et hoc, non templum, digito intento monftraffe, orationis ferie, et refponfionibus fimilibus a Chrifto Iudaeis, miraculum ab eo poftulantibus, alio tempore datis, comprobatur. Scilicet vt *Cramerus* monuit in animaduu. in locum Ioh. 2. 19 fs. cf. *Potti* Sylloge Commentatt. theologg. Helmft. 1800. p. 31. „occafio et argumentum colloquii (cuius tantum fummam breuiter Euangelifta narrando attigit) non erat *templum*, fed *auctoritas*, quam Iefus fibi fumferat, nummularios et mercatores loco fancto expellens. Hinc quaeftio illa inimicorum, quo figno, *τῆς πολυπραγμοσύνης*, et iufto maioris auctoritatis fibi arrogatae crimen a fe amoliri queat? Iefus refpondens, vtitur voce *ναὸς*, et haec tandem Iudaeis occafionem praebet, disputationem ad templum transferendi et longius protrahendi.“ Poftulabant primores populi, praefecti templi et facerdotes a Iefu documentum legationis fuae diuinae, miraculum, invidia et odio in eum ducti, cum magna Chrifti apud populum auctoritas effet, cum expuliffet e templo, quod Patris fui domum dixiffet, negotiatores, quibus ipfi turpis ac fordidi lucri cauffa conceffTerant, vt ibi negotiarentur, atque templum profanarent; declarabant ergo, quo laudibus Iefu obtrectarent, neque e doctrina, neque ex ipfius infignibus factis, quae hactenus edidiffet coll. v. 24. colligi poffe eum effe legatum diuinum. Iefus vero, qui eorum peruerfitatem, perfidiam et pertinaciam probe per-

fpiceret, qui fciret, eos, fe viuo, nunquam eo adductum iri, vt diuinam fuam auctoritatem agnofcerent, fed potius faluberrimum fuum opus omni ftudio opprimere conaturos effe, non fatisfaciebat eorum poftulationi, fed quo auctoritatem et dignitatem fuam vindicaret, prouocabat ad fuam refurrectionem, fata fua dicebat fore legationis fuae divinae documentum, atque ita fimul hominum illorum malitiam atque perfidiam notabat. Et ad haec ipfa fua fata prouocauit quoque Iefus alio tempore, cum Pharifaei, vt detraherent de rebus eius geftis, et nouam eum obtrectandi occafionem nancifcerentur, poftulaffent ab eo σημεῖον ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, portentum in coelo, v. Matth. 12, 38 fqq. qui locus mirifice interpretationem hactenus propofitam confirmat. Dixit quidem h. l. vt Matth. l. c. Ioh. 8, 28. Iefus publice de fatis fuis paulo obfcurius, noluit enim ipfe, inprimis muneris fui initio, fe opportunitate multos edocendi, et ad religionis verae amorem ac ftudium excitandi, priuare, et tum demum, cum videret tantam effe et tam firmam difcipulorum de dignitate fua Meffiana perfuafionem, vt iam ferre poffent perfpicuam et apertam fatorum, quae ipfum manebant, expofitionem, faepius diftincte et clare de morte fua, eamque fecutura refurrectione verba fecit, v. not. ad Matth. 16, 21. erant tamen praedictiones illae, quae h. l. et ll. cc. leguntur, non adeo obfcurae, vt ab auditoribus plane non intelligi potuiffent. Intelligentiam vocis Chrifti h. l. propofitae, tam vfus loquendi, quam geftus ipfius adiuuabant, et recte intellexiffe eam difcipulos de morte ipfius, e v. 21. perfpicitur. Nec opus effe videtur, vt cum nonnullis coniiciamus, Iefum ipfum poft illam difputationem, difcipulorum in explicando hoc aenigmate haefitationi, priuata interpretatione fubueniffe v. Marc. 4, 10. Matth. 13, 10 fs. intelligebant Iefu effatum, fed non credebant ea quae de nece fua dixerat effe euentura, v. ad Matth. 16, 21. praeterea verba eius conceffiue dicta effe ftatuere poterant, ficuti et ea nonnulli interpretes dicta putant, qui impera-

tiuum λύσατε explicuerunt, *destruatis h corpus*, v. *Heumanus* ad h. l. et not. ad Matth. 23, 32. Argumenti hactenus in hanc sententiam prolatis, per τὸν ναὸν τοῦτον non *templum*, sed *Christi corpus* intelligendum esse, adiecit nuper *Bergerus*, in libro: de constanti et aequabili I. C. indole, doctrina ac docendi ratione etc. P. 1. p. 80 ss argumenta haec: a) Cum Iesus apud synedrium reus ageretur, hoc quoque ei crimen obiectum est, quod se *diruturum hoc templum*, dixerit, *ac triduo rursus exstructurum* Matth. 26, 61. coll. 27, 40. Marc. 14, 58. coll. 15, 29. Haec criminatio procul dubio petita erat ex hac ipsa historia quae h. l. legitur. Cum Iesum hac criminatione falsi testes peterent, apparet, accusationis vim in eo positam esse, quod ille, cum templum se diruere ac breui rursus exstruere posse, diceret, *templi ac religionis sanctitatem contemserit.* Quod quidem crimen quam atrox fuerit, intelligi potest ex Act. 6, 13. Si igitur verba Iesu apud Iohannem *proprie* de templo Hierosolymitano intelligi debeant, *eodem tempore, quo rebus hominibusque profanis exturbandis templi sanctitatem vindicauit, eandem verbis temerauerit.* Quod cum per se minime probabile est, tum abhorret a consuetudine Seruatoris, qui et alias, et muneris praesertim initio, de templo rebusque Iudaicis reuerentissime loqui solebat cf. Matth. 5, 35. 23, 16 sqq. b) Matth. 26, 60. Marc. 14, 57. ψευδομάρτυρας appellant testes, qui Iesum quae hoc Ioh. loco leguntur, de templo dixisse testabantur, quare autem eos ita appellent, rationem reddunt nullam. Scilicet existimabant Euangelistae, non opus esse explicatione, ipsos lectores, vel nemine monente, esse animaduersuros, verba Iesu, nisi *improprie*, intelligi non posse. c) Inter conuicia ea, quibus Iudaei Iesum, in crucem actum, consectati sunt, etiam hoc a Matth. 27, 40. Marc. 15, 29. refertur, ὁ καταλύων τὸν ναὸν κ. τ. λ. neque hoc loco monent, illa Iesu verba *improprie* esse accipienda. Scilicet existimauerunt Euangelistae, lectores, etiam sine admonitione, verborum Iesu sensum esse perspecturos, atque anim-

aduerfaros, ipfos Iudaeos nunc infcios deftruere illud templum, quod Iefus effet triduo reftituturus. Vnde concludimus, Euangeliftas non accommodatione aliqua Iefu verba in alienum fenfum torfiffe, fed fibi perfuafiffe, ea verba, nifi *improprie*, accipi nec *poffe*, nec lectores, etfi non admonitos, aliter effe accepturos. — Caeterum bene *Flattus* l. c. fenfum verborum Iefu ita conftituit: Vos facrorum contemtores, cum fpretis omnibus diuinae meae legationis documentis, eo tandem dementiae progreffuri fueritis, vt corpus fanctiffimae mentis domicilium (1 Cor. 6, 19.) non violetis, fed etiam deftruatis, tum demum repente inauditi quidquam eueniet, quod negotii mei diuinitatem luce, a vobis non amplius obfcuranda, illuftrabit.

Ab hac vulgari interpretatione loci receflerunt nuper, et varia argumenta, quo oftenderent, eam a verbis Iefu alienam effe, protulerunt: *Forbergius* in animaduu. in loca felecta N. T. Spec. 1. 1797. *Henckius* in Progr. quo illuftratur Ioh. Ap. nonnullorum Iefu apophthegmatum in fuo Euangelio et ipfe interpres, in *Potti* Sylloge Commentt. theologg., Helmft. 1800. p. 1 fqq. *Gurlittus* in explicatione Euang. Iohannei c. 1, v. 13. — c. 3, 13. Hamburgi 1805. p. 7 fqq. et *Paulus* in *Krit. Kommentar* ad h. l. Contra eos disputarunt *Cramerus* l. c. *Storrius* in *Ioh. Frid. Flatti Magazin für chriftl. Dogm. u. Moral* St. 4. p. 198 fq. *Süfkindius einige Bemerkungen in Beziehung auf die Frage, ob Iefus feine Auferftehung beftimmt vorher gefagt habe?* in eiusd. *Flatti Magazin* St. 7. p. 212 fqq. et *C. C. Flattus* in Difs. fupra laudata p. 1 fqq. Scilicet impugnatores vulgaris fententiae potiffimum argumentis vfi funt his: 1) Si Chriftus digito corpus fuum monftraffet et attigiffet: Iudaei verba eius non intellexiffent de templo. Sed ex aliis locis vel huius Euangelii fatis conftat, quam faepius Iudaei verba Chrifti, quo eum deriderent, peruerterint, et finiftre ac in peiorem partem acceperint. Oftendi praeterea

probabiliter poteſt, qui factum ſit vt diſcipuli aliter quam Iudaei, qui loquentes h. l. inducuntur, verba Ieſu intellexerint. Oculos diſcipulorum et eorum e primoribus populi, qui propius ad Ieſum acceſſerant, eumque cinxerant, non effugerat lenior geſtus manusue motus, quo corpus ſuum monſtrarat, ſed paulo remotius ſtantes non aduerterant; hi ergo verba Ieſu de templo intelligebant, et in ea erumpebant verba, quae v. 20. leguntur; neque e primoribus ii, qui viderant Ieſum digito corpus ſuum monſtraſſe, quo eum in inuidiam adducerent, eos meliora edocebant, ſed ſilebant, imo forſan cum iis faciebant, ita, vt Ieſum quoque impietatis accuſarent, v. ad Matth. 26, 61. breuiter enim rem omnem ſcriptor expoſuit. 2) Diſcipuli, vt v. 22. clariſſime docet, poſt Ieſu demum reſurrectionem, obſcuri illius effati memores, ſibi perſuaſerunt, magiſtrum ſub τρισὶν ἡμέραις triduum mortis, et ſub ναῷ corpus ſuum intellexiſſe. Verum enimuero e v. 22. non adeo clare patet, vt illi interpretes volunt, poſt Chriſti demum reſurrectionem diſcipulos huius dicti recordatos eſſe, et huic rei illud accommodaſſe. Etenim hic verſus aliam interpretationem admittit, nempe hanc: *poſt Chriſti reſurrectionem Apoſtoli huius effati memorabilis, quo mortem et reſurrectionem ſuam praedixerat, recordabantur,* ſenſum quidem effati perceperant, ſed de veritate illius dubitarant, quoniam Meſſiam moriturum et in vitam rediturum eſſe, cum praeconceptis opinionibus ſuis componere non potuerant (vid. ad Matth. 16, 21. p. 473. ad Luc. 9, 45.), hinc οὐκ ἐπίστευσαν τῷ λόγῳ ὁ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, cum vero Ieſus in vitam rediiſſet, *veritatem illius effati agnoſcebant*, ἐπίστευσαν τῷ λόγῳ ὁ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς. Haec ipſa formula ἐπίστευσαν κ. τ. λ. hanc explicationem flagitare videtur, ineſt enim iis ſententia haec: diſcipulos *antea* verbis Ieſu fidem denegaſſe. Quodſi vero tunc temporis, cum Ieſus hisce verbis: λύσατε τὸν ναὸν κ. τ. λ. vteretur, ea plane non de ipſius morte et reſurrectione intellexiſſent, illud οὐκ ἐπίστευσαν, quod Euangeliſta tacite innuit, locum habere non potuiſſet, v. *Süſkin*.

dus l. c. p. 213. 3) Monuerunt etiam vulgari interpretationi repugnare orationis contextum, nam sermonem esse de templo et de iure Iesu illius a commercii et lucri sordibus purgandi. Hanc dubitationem iam supra occupauimus.

Pergamus nunc ad interpretationes huius loci ab iis prolatas, qui ναὸς de corpore Christi accipiendum esse negarunt. Ac *Forbergius* quidem, qui de templo cogitat, l. c. verba ita explanat, *si destruere vultis hoc templum, intra triduum illud restituam, et ita miraculum, quod postulatis, edam.* His vero verbis Iesum, qui a Iudaeis postularit aliquid, quod minime facturi essent, omnino dicere voluisse, contendit, *maxime absurdum est, quod postulatis*; eumque adeo his verbis declarasse, se non esse miraculum editurum. Ita vero Iesus, vt bene *Flattus* atque *Süskindius* ll. cc. monuerunt, iusto maiorem postulationi v. 18. propositae insulsitatem subiecisset; erat praeterea ab eius consuetudine alienum, acute dictis nihil serii immiscere, sed stupiditati tantum audientium illudere, eosque proteruitate quadam humili exagitare, nec sane iocandi locus erat, cum de re grauissima (v. 16.) ageretur. *Henckius* l. l. hanc verborum Iesu interpretationem protulit: *dum tantopere dehonestatis aedem vestram sacram, vel certe patienter sustinetis tantum dedecus; potius euertite totum; quicquid enim superest hic vere congruum, et quicqnid caussae, propter quam exstructum est templum, conueniens hic adhuc peragi video, ei profecto suffecturum erat aedificium triduo* (breui tempore) *facile absoluendum, cui vel ipse operam impensamque meam praeberem.* Assensu suo comprobauit hanc interpretationem *Gurlittus* l. c. p. 8. verbis tamen: *cui vel ipse operam impensamque meam praeberem*, adiicienda statuit haec: *dummodo illud purum seruetur et integrum ab istiusmodi deturpationibus et dehonestamentis.* Sed iam alii recte obseruarunt, hac interpretandi ratione admissa, dictum ipsum obscurius reddi, frigidam sententiam procedere, atque satis incongruam existere responsionem, cum Iudaei interrogarint Iesum: quale documentum (miraculum) exhibes,

quo demonſtres, haec faciendi poteſtatem tibi competere? Nec ipſe *Henckius* hanc explicationem magnopere commendauit, ſed viſa eſt ei probabilior haec: *diruite veſtrum hoc templum, vtinamque iam ſublatum eſſet hoc probrum et melioris diſciplinae obſtaculum! breuiſſimo tempore nouum, imo ſanctius aliquando inſtaurabo* h. e. meliorem religionem tradam et in locum ſacrorum veſtrorum ſufficiam. De *noua religione tradenda*, etiam *Eckermanus* in *theol. Beyträgen* B. 5. p. 60. et *Herderus* in libell. *von Gottes Sohn der Welt Heiland* p. 135 ſ. verba Chriſti intellexerunt, hoc ſenſu: ſi pertinacia veſtra eo rem perduxeritis, vt cum vniverſa republica templum veſtrum euertatur, tum noua religio, a me tradita, veſtrae religioni ſuccedet. Nolo equidem cum *Storrio* l. c. negare, vocabulum ναὸς religionis inſtitutum (*die Jüdiſche Religionsverfaſſung*), etiamſi exempla huius metonymiae non occurrant, et pronomen αὐτὸν in apodoſi, *aliam* religionis inſtitutionem, ſignificare *poſſe*, id quod etiam *Flattus* l. c. p. 2. concedit, qui hanc in rem laudauit Matth. 10, 30. ψυχὴν — αὐτήν. Sed non deſunt argumenta alia, quae *Henckii* interpretationem minus commendabilem reddant. Etenim nec haec Chriſti reſponſio apta et conueniens eſſet interrogationi Iudaeorum, et num probabile eſt, Chriſtum, doctorem ſapientiſſimum et prudentiſſimum, qui ipſe profeſſus eſt, ſe non veniſſe καταλῦσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ πληρῶσαι Matth. 5. 17. qui ſacrificia non contemnebat Matth. 5, 24. et legis inſtituta ſeruabat Matth. 8, 3. cum nondum veniſſet tempus, quo verbis et factis declarari poſſet, legem Moſaicam nihil amplius valere, eum, inquam, ipſum, primo ſtatim, quo doctoris munus ſusceperat, anno, non Samaritanis (4, 24.), ſed Iudaeis, in ipſo templi aditu conſtitutis dixiſſe, ſe paratum eſſe, primo quouis temporis momento pro auita religione aliam inducere? Neque, vt ſcite obſeruauit *Flattus* p. 3. haec interpretatio rationem affert idoneam, quare Chriſtus vſus ſit verbis ἐν τρισὶν ἡμέραις, quid enim attinebat, de *nouae religionis inſtituen-*

dae h. e. operis, quod ita comparatum erat, vt tanta velocitate nec perfici poſſet nec deberet, condendi celeritate ſolenniter ſpondere?

20. *Tum Iudaei: Sex et quadraginta annis exſtructum eſt hoc templum, et tu triduo illud reſtitues?* Septem annis aedificatum erat Salomonis templum, v. 1 Regg. 6, 38. templi vero ſecundi ſtructura, plus una vice interrupta, viginti annorum ſpatio abſoluta erat. v. *Vſſerii* Annal. Sermo igitur h. l. eſt de templo Herodis, qui Sorobabelis templum, vt populum Iudaicum ſibi deuinciret, reſtaurauit et ampliauit. Quamquam autem Herodes Magnus templum ſecundum a fundamentis, quod Ioſephus adferit, nouauerat, tamen cum et materia vſus ſit veteri, nec totum templum ſimul diruerit, ſed per partes, quantum tempore quoque innouandum eſſet, recte hoc Herodis templum idem fuiſſe cenſetur ac dicitur, quod a Sorobabele ſtructum erat, vnde et Iudaei templum ſecundum vocarunt Sorobabelis templum, nec uſpiam mentio templi tertii occurrit, et Ioſephus templum bis dirutum dicit, ſemel a Chaldaeis, iterum a Tito. Coepit Herodes I. templi ſtructuram anno imperii XVIII, vt Ioſephus tradit Ant. 15, 11. 1. qui tamen in conſtituendo tempore ſibi non conſtat; nam de B. Iud. 1, 21. 8. anno imperii Herodis XV ab eo templum exſtrui coeptum eſſe affirmat; ſed monuerunt interpretes, Ioſephum Ant. l. c. annum XVIII. memorantem, reſpexiſſe illud tempus, quo Herodes Romae rex deſignatus eſſet, ſed de B. I. l. c. annum XV, eum ab illo repetiiſſe tempore, quo Herodes, occupata Hieroſolyma, et interfecto Antigono, imperio potitus eſſet. vid. *Michaelis* ad h. l. Templi ſtructura ab Herode inchoata, intra decennium abſoluta eſt, v. Ioſeph. Ant. 15, 14. ita tamen, vt poſt Herodis mortem noua augmenta et ornamenta ſubinde addita ſint, nam Agrippae II. demum tempore, abſolutum eſt totum templi aedificium, ἤδη καὶ τότε τὸ ἱερὸν τετέλεστο, Ioſeph. Ant. 20, 8. Procul dubio, vt recte anno-

tauit ad h. l. *Paulus*, post Herodis tempora saepius structura et exornatio templi est interrupta. Quodsi enim Iudaei sine intercapedine in exornando templo occupati fuissent, non Agrippae demum tempore opus absolutum fuisset. Neque vero etiam continuo labore opus erat, cum post Herodis tempora noua tantum accederent augmenta et ornamenta. Itaque nec liquet, vtrum tunc temporis, cum Iesus hoc colloquium cum Iudaeis haberet, opus continuatum sit, an per aliquot iam annos cessauerit, atque eo progressum fuerit, vt dici posset: ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς, quod posterius *Paulo* probabilius videtur, neque adeo definiri potest, an tunc temporis accurate effluxerint anni XLVI. inde ab eo anno quo Herodes I. templum instaurare coeperat. cf. omnino *Paulus* ad h. l. *Lampius*, *Scaliger* de emend. temp. p. 535. *Casaubonus* Exercitt. Antibaron. p. 248. *Vsserius* Annal. ad a. m. 3987. *Witsius* Miscell. T. 2. p. 244 ss. et quos *Koecherus* ad h. l. laudauit. Verbum οἰκοδομεῖν, vt ex hactenus dictis patet, latiori sensu accipiendum est, ita, vt sit: *exornare*, *instaurare*, vid. ad Matth. 23, 29. et ναὸς h. l. aedem sacram, cum porticibus, atriis et conclauibus indicat, atque idem valet quod ἱερὸν, vid. ad Matth. 21, 12.

21. 22. περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ, de templo illo, quod erat corpus ipsius coll. 1, 14. — 22. ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ — αὐτοῖς] *recordati sunt huius sermonis*: αὐτοῖς plurimi optimae notae codd. patrr. et verss. omittunt; nec dubitandum, quin illud pro additamento glossatoris habendum sit, vnde et recte illud *Griesbachius* et *Matthaeius* ex ordine eiecerunt. καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ, καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς] *et fidem habuerunt scripturae et Iesu verbis*. Conferebant varios V. T. locos cum Iesu verbis, iisque persuasissimum erat, illos V. T. locos ad Iesu fata esse referendos, eumque vera praedixisse, v. ad Luc. 24, 26. ᾧ positum est pro ὃν, vid. ad Marc. 7, 13.

23. 24. πολλοὶ ἐπίστευσαν — ἐποίει] *multi, visis miraculis quae patraret, ei fidem habuerunt*, cum pro le-

gato diuino, Messia, habuerunt. σημεῖα miracula, vid. 3, 2. 4, 46. 2, 11. quae Iohannes speciatim commemorare omisit, v. 20, 30 sq. — 24. αὐτὸς δὲ ὁ Ἰησοῦς οὐκ ἐπίστευσεν ἑαυτὸν αὐτοῖς κ. τ. λ.] *neque tamen Iesus ipse iis sese commisit, cum eos omnes nosset.* Duplici sensu h. l. verbum πιστεύειν vsurpatum legitur. οὐκ ἐπίστευσεν ἑαυτὸν αὐτοῖς h. e. caute et circumspecte agebat, non adeo libere conversatus est cum his multis, qui propter miracula visa eum legatum diuinum et Messiam habebant, non iis se committebat. Neutiquam enim eum latebat vulgi inconstantia et leuitas, et primorum populi inuidia atque maleuolentia, sciebat illos ipsos qui ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ i. εἰς αὐτὸν, aeque ac Iudaeos reliquos praeconceptas de regno Messiano opiniones fouere, nouarum rerum esse cupidos Ioh. 6, 14. 15. Quare et in docendo magnam adhibebat cautionem, nec ea doctrinae suae capita tradebat, quibus percipiendis nondum satis praeparati essent imperitorum animi, et subinde ab iis secedebat Luc. 21, 37. 38. 22, 39. Ioh. 8, 1. 2. ac paulo post in Galilaeam redibat 3, 22. 4, 3. *Heumanus* cum aliis, v. *Lampius* ad h. l. αὐτοῖς v. 24. non referendum putat ad τοὺς πιστεύοντας, de quibus v. 23. sermo est, sed ad τοὺς Ἰουδαίους v. 20. memoratos, et opinatur his verbis exprimi sententiam hanc: Iesum secessisse, vitasse Iudaeos, primores populi sibi infensos, his non *credidisse caput suum* (Curt. 6, 9. 20.), *salutem suam* (Curt. 5, 12. 4.) Quam dura vero atque coacta haec interpretatio sit, quilibet, vel me non monente, intelligit.

25. καὶ ὅτι οὐ χρείαν εἶχεν κ. τ. λ.] *neque omnino opus habebat, vt ei quisquam alterius mentem proderet, nouerat enim sponte, quid in cuiusque animo lateret.* Recte monuerunt interpretes ex hoc loco non peti posse argumentum ad comprobandam omniscientiam Christi; neque tamen etiam sermo est, vt plures voluerunt, tantum de animi humani cognitione eximia, qua praediti esse quamque probare solent homines, qui aliorum vitam et mores

diligenter obferuarunt, fed Iohannes, qui in eo verfatur, vt demonftret Iefum effe Meffiam, τὸν Λόγον corpus humanum induiffe, haud dubie intelligi voluit fingularem ac plane inufitatam animi humani cognitionem v. 1, 49. 16, 30. Pertinet huc locus a *Lightfooto* ad Matth. 12, 25. et *Paulo* p. 181. laudatus, *Babyl. Sanhedrin* fol. 93, 2. Scriptum eft de Meffia: requiefcet fuper eo fpiritus Dei וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָה *et odorare eum faciet in timore Dei. Dixit Rabba: odorabit et iudicabit, ficut dicitur: non per adfpectum oculorum iudicabit etc. Ben Cozba regnauit annos 2½ dixitque Rabbinis: Ego fum Meffias. Dixerunt ei: de Meffia fcriptum eft, quod odorabit et iudicabit* [Gloffa: *Subolebit de homine et iudicabit et cognofcet, num reus fit*]. *Videamus nos, num odorare tu poffis et iudicare; cumque viderent, non poffe eum odorare ac iudicare, interfecerunt eum.* αὐτὸς fponte, nullo monente. τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ ingenium, indolem, confilia.

CAPVT III.

Plures Synedrii magni affefforum, qui Iefum docentem audiuerant, et miraculorum ipfius fpectatores fuerant, doctrinam ipfius probabant, eumque admirabantur. vid. v. 2. Ioh. 12, 42 fq. Etiam Nicodemus, Pharifaeus, legisperitus, et fummi fenatus facri Hierofolymitani affeffor, Iefu doctrinam probabat, eumque pro legato diuino habebat, quin et non alienus fuiffe videtur a fufpicione, Iefum ipfum Meffiam effe. Vt ergo comperiret, quid a Iefu exfpectandum effet, et quid de regno Meffiano doceret, eum nocturno tempore adibat. Iefus vero ὁ καρδιογνώστης (2, 25.), perfpecta hominis probitate, eum beneuole excipiebat, vt folebat excipere homines candidos atque difcendi cupidos, eumque edocebat, plane immutandas effe opiniones, quas de Meffia, eiusque regno, et aditu ad illud aleret atque foueret. Vtebatur Iefus hanc in rem lo-

cutionibus translatis et paulo obfcurioribus, quo eum attentiorem faceret et in animo eius aculeos relinqueret. Iohanni, in tanta Pharifaeorum primorumque populi inuidia et contumacia hoc colloquium (cui vel ipfe interfuerat, vel cuius argumentum ex ore Nicodemi audiuerat) inprimis memorabile et dignum vifum eft, quod literis confignaret, vt non modo hoc exemplo demonftraret, Iefu in cognofcendis hominibus perfpicacitatem, in iisque tractandis circumfpectionem et prudentiam, eum in docendo tam perfonarum, quam loci rationem habuiffe, Matth. 10, 27. 13, 11. Ioh. 16, 12. fed etiam Nicodemi exemplo doceret, iam tunc temporis e primoribus populi, ipfisque Pharifaeis fuiffe, qui Iefum admirarentur et fufpicerent, legatumque diuinum agnofcerent — Fuerunt qui exiftimarent, Nicodemum fuiffe hominem callidum, et fimulatorem peffimum, qui propterea adierit Iefum, vt aliquid ex ore eius eliceret, cuius eum aqud fenatum accufare poffet v. *Koppii* fcriptum: Interpretatio orationis Chrifti cum Nicodemo, Gotting. 1778. repetitum in *Potti* Sylloge commentatt. theologg. Vol. 6. p. 31 fs. quae tamen fententia parum probabilis eft. vid. *Niemeyeri Charakteriftik d. Bibel.* Th. 1. p. 104. et *Gurlitti* Explicatio c. 2, 13. — 3, 13. Eu. Ioh. Hamb. 1805. p. 16 fq. *Knappii* Opufcc. p 201 fq. Etenim nullum calumniae et malitiae, fed ignorantiae tantum (v. 10.) et peruerfarum opinionum de Meffia eiusque regno indicium in obiectionibus Nicodemi deprehenditur; nec Iefus, qui aperte fignificare folebat, quid de fimulatoribus fentiret v. Matth. 22, 16. 18. eum fimulationis arguit. Nicodemus faepius poftea Iefum adiit, docentemque audiuit, vt vel colligi poteft ex Ioh. 19, 39. in concilio fynedrorum ei auctoritate fua patrocinatus eft aduerfus Pharifaeorum calumnias v. 7, 50 fs. et vna cum Iofepho Arimathaeenfi fepulturae officium Iefu praeftitit v. 19, 39. Iohannes, qui ibi humanitatis eius et liberalitatis meminit, atque fimul, vt 7, 50. memorat, eum effe eundem, qui olim vefperi Iefum adiiffet, verbo faltem de

animo eius mutato monuisset, si antea tantum amicitiam simulasset. Caeterum a pluribus interpretibus recte obseruatum est, hoc loco non integrum colloquium legi, quod Iesus cum Nicodemo instituit, sed praecipuas tantum illius partes, inprimisque responsiones Iesu; hinc nec mirandum hunc ipsum locum Iohanneum multa obscuritate premi.

1. 2. Nominatur Nicodemus ἄρχων τῶν Ἰουδαίων, quoniam erat synedrii magni assessor v. Luc. 23, 13. 24, 20. Ioh. 7, 45 s. add. 1, 19. οὗτος ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς] *is noctu Iesum adiit.* Pro πρὸς τὸν Ἰησοῦν, plures codd. habent πρὸς αὐτὸν, quae verior lectio esse videtur. Accessit Nicodemus ad Iesum nocturno tempore, vt eo diutius et liberius cum ipso colloqui posset, et ne in odium collegarum incurreret, homo timidus et prouidus. Pharisaeorum enim ac synedrorum inuidiam et odium sibi contraxerat Iesus, quoniam ex eorum disciplina non prodierat, quod simulatam eorum pietatem et sanctitatem reprehendebat, atque negotiatores e templo eiecerat. *Lightfootus*, alii, quo docerent Nicodemum non fuisse hominem meticulosum, obseruarunt, eum non facile cum Iesu priuatim alio tempore colloqui potuisse, cum toto die Iesus docendo et miracula patrando occupatus, per totum diem hominum turba cinctus fuisset. Sed cum Nicodemus clandestinus Iesu sectator manserit, vt colligi potest ex 12, 42. et 19, 39. vbi Iosepho Arimathaeensi occulto Iesu, ob metum Iudaeorum, sectatori iungitur, ita, vt de ipso quoque memoretur, eum noctu ad Iesum venisse: praeplacet eorum sententia, qui praecipuam caussam, cur nocturno tempore Nicodemus Iesum adierit, metum collegarum fuisse contendunt. Ῥαββὶ, οἴδαμεν ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος] *magister, scimus te doctorem diuinitus missum prodiisse:* ῥαββὶ id. qd. διδάσκαλε, quocum vocabulo statim permutatur vid. et 1, 38. Cum Iesus publice doceret, omnino hoc titulo ornari poterat a Nicodemo; nec

ille, vt fequentia docent, ex mera confuetudine, aut vt Iefum verborum lenociniis caperet, eum ita compellabat, imo potius hac compellatione ingenue profitebatur, fe Iefu, vtpote eximii doctoris legatique diuini auctoritatem agnofcere. οἴδαμεν per fe pofitum effe poffet pro οἶδα μὲν *ego fcio*, cum et infra v. 11. coll. v. 12. Iefus de fe ipfo verba faciens, plurali numero vtatur; fed cum Iefus poftea plurali numero vtatur, et tanquam pluribus refpondeat vid. v. 7. 12. pluralis οἴδαμεν referendus videtur non tantum ad Nicodemum, fed etiam ad alios ex popularibus et collegis ipfius v. 2, 23. 12, 42. coll. 14, 5. 8. 11. ἐλήλυθας fcil. ἀπεσταλμένος legatus diuinus prodiifti. De verbo ἔρχεσθαι vid. ad 1, 9. οὐδεὶς γὰρ ταῦτα — μετ' αὐτοῦ] *nemo enim eiusmodi mirabilia facta edere poteft, quae tu edis, nifi Deum habeat adiutorem.* Nicodemi ergo perfuafio nitebatur factis infignibus, quae Iefus ediderat. In eaque argumentatione, qua Nicodemus vtebatur, ut bene monuit *Knappius* l. c. p. 204. nihil inerat, quod Iefu difpliceret, vt qui ipfe etiam propter edita a fe miracula fibi fidem haberi vellet, qui iis adiuuare vellet fiduciam, in veritate, quae de auctoritate fua et dignitate Meffiana annuntiaret, reponendam, quae per ipfius fermones iam excitari poffet ac deberet v. 14, 11. Matth. 11, 6. 20fs. not. ad Ioh. 4, 48. Formula μετά τινος εἶναι refpondet Latinorum *alicui adeffe* h. e. adiuuare aliquem, opem auxiliumque alicui ferre, v. Act. 18, 10. not. ad Matth. 28, 20.

3. Verba Iefu non accurate cohaerere cum Nicodemi alloquio, atque hunc plura protuliffe, a Iohanne omiffa, mihi quidem cum aliis interpretibus perfuafiffimum eft. Neque enim facile perfpicitur, qua de cauffa Iefus ftatim delatus fit in commemorationem eorum, quae v. 3. continet, nifi Nicodemus alia quaedam dixiffet et interrogaffet, quae Iefum eo deduxiffent. Attamen *Langius* in verf. et explicat. Eu. Ioh. vernacula ad h. l. contendit, omnia bene cohaerere, nihilque effe omiffum; Iefum nimi-

rum, qui eos nomine difcipulorum fuorum indignos iudicaret, qui aliorum odia metuentes, doctrinam fuam publice profiteri recufarent, cum videret Nicodemum, ne in collegarum inuidiam et odium incurreret, noctu ad fe venire, hac hominis, qui ipfum doctorem a Deo miffum profiteretur, timiditate offenfum, nulla mora ei refpondiffe, qui non publice, fuscipiendo baptismo atque audienda mea doctrina, profitetur, fe effe meum fectatorem, eum non curo, non in numerum regni mei ciuium recipiam. Sed fenfus, quem *Langius* verbis huius verfus fubftituit, iis non ineft, neque ἄνωθεν γεννηθῆναι notat, *fuscipere baptismum*, *inftitutione Iefu frui*, et poterat praeterea Nicodemus baptizari, inftitutione Chrifti frui, neque tamen publice fe eius fectatorem profiteri. Si ineffet verbis v. 3. reprehenfio, perquam obfcure et tecte reprehendiffet Iefus in Nicodemo nocturnum colloquium, repugnante ingenii fui libertate et grauitate. Nicodemus aut verba Iefu ita intellexit, vt ea *Langius* intelligenda effe putat, aut ea plane non intellexit. Si ea, vt *Langius* ftatuit, non intellexit, mirum videri debet, Iefum, qui, vt idem V. D. opinatur, publicam doctrinae fuae profeffionem, tanquam praefidium, quo quis ad ius ciuitatis in regno Meffiano adfpirare poffit, his verbis v. 3. (fatis obfcure) commendarit, Iefum, inquam, non accuratius et planius mentem fuam expreffiffe, nec difertis verbis de publica doctrinae fuae profeffione verba feciffe; nam in omni hoc colloquio ne femel quidem huius publicae profeffionis difertam mentionem fecit. Si vero Nicodemus verba Iefu intellexit, ita, vt fibi ab eo publicam doctrinae ipfius profeffionem commendari putaret, plane non perfpicitur, cur ea refponderit, quae v. 4. leguntur, et nihil vel excufandi vel deprecandi cauffa dixerit. Nicodemum a Iefu reprehenfum effe, quod noctu veniret, etiam propterea improbabile eft, quod Iefus mira humanitate homines difcendi cupidos quolibet tempore ac loco admittere folebat. — Paulo durius Iefum Nicodemo refpondiffe, et

nihil h. l. omiſſum eſſe, *Borgerus* quoque ſtatuit in libro: de conſtanti et aequabili I. C. indole, doctrina, ac docendi ratione etc. P. 1. p. 111 ſq. aliam tamen reprehenſionis cauſſam affert. Animaduertit nimirum V. D. Nicodemum Iohannis et Ieſu baptiſmum recuſaſſe (v. 3. 4.), cum ad Iudaeos baptiſmum non pertinere arbitraretur, ſed ad ethnicos, eum vero etiam Iohannis doctrinam reieciſſe, quod neſciret, quid de homine ſtatuendum eſſet, qui nulla miracula ederet, ſed Ieſu doctrinam, quippe miraculis firmatam, vt diuinam agnouiſſe (coll. v. 1.), et adiiſſe Ieſum, vt ei declararet, ſe eum Iohanni anteponere, paratumque eſſe ad nouam religionem ſuſcipiendam. Ieſum igitur, voce *ῥαββὶ*, caeterisque verbis honorificis, quibus eum Nicodemus ſalutarat offenſum (ſed vid. ſupra not.) paulo durius homini reſpondiſſe, ita tamen, vt oſtenderet, ſe non male de eo, qui ipſum animo probo adiiſſet, iudicare, adeoque oblique et tecte eum reprehendiſſe, propterea quod Iohannis baptiſmum non ſuſceperit, et hanc in rem vſum eſſe verbis quae v. 3. leguntur, *ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν* pro *ἐὰν τις βαπτισθῇ* (ſed vid. not. ſupra et ad v. 3.) quibus declararet, ſuam cauſſam non eſſe a Iohannis cauſſa ſeiungendam (coll. v. 11. *οἴδαμεν, λαλοῦμεν, ἑωράκαμεν, μαρτυροῦμεν*), qui Iohanni fidem non habeat, eum nec in ſectatorum ſuorum numero eſſe poſſe. — Etiam *Schmidtius* in *Bibl. d. Kritik u. Exegeſe des N. T.* B. 2. p. 144. 415 ſs. contendit, nihil h. l. omiſſum eſſe, ſed omnia bene cohaerere. Coniicit nimirum V. D. legi h. l. continuationem colloquii, quod iam alio tempore Nicodemus cum Ieſu inſtituerit; hunc exinde, quod Nicodemus noctu venerit eumque doctorem legatumque diuinum ſalutarit, perſpexiſſe, quid Nicodemus ſciſcitari vellet, adeoque Ieſum, a verborum lenociniis alienum, interpellaſſe Nicodemum, et ſtatim de eo, quod caput rei eſſet, loqui inſtituiſſe. Ingenioſam eſſe hanc Collegae coniunctiſſimi coniecturam, non diffiteor, ſed dubito cum *Goldhornio*

in Disf. de fenfu phrafeos γεννηθῆναι ἄνωθεν ap. Ioh. 3, 2 fqq. Lipf. 1799. p. 13. an etiam hoc modo Iefus fatis liberatus fuerit ab inhumanitatis fufpicione, nec magis certae mihi videntur coniecturae, quas Iefum fecutum fuiffe in refpondendo fufpicatur *Schmidtius*, quam eae quibus ex *Langii* mente eius oratio nititur. Nec video, cur concedere nolimus omiffam effe interrogationem a Nicodemo propofitam, cum Iohannes et alias faepius interrogationes et interlocutiones praeterierit 1, 20. vid. ibi not. ad v. 19. extr. 7, 19. al. atque h. l. quod *Schmidtius* p. 415. et *Langius* p. 112. ipfi quoque concedunt, fummam tantum colloquii tunc temporis habiti attulerit. Iam vero quaeritur, quaenam Nicodemus Iefum interrogaffe putandus fit? Cum Iefus, vt ex omni colloquio patet, Nicodemum edocuerit, eum qui velit felicitate regni Meffiani potiri, ante omnia praeconceptis opinionibus de huius regni indole valedicere debere: in promtu eft, Nicodemum, Pharifaeum, easdem opiniones peruerfas et praeoccupatas fouiffe ac prodidiffe, quas reliqui tunc temporis Iudaei, nominatimque Pharifaei de hoc regno tenerent, v. ad Matth. 3, 2. p. 73. Statuendum ergo eft, Nicodemum de apparitione Meffiae, et regno Meffiano cum Iefu effe locutum, fuam de his rebus fententiam expofuiffe, atque a Iefu petiiffe, vt ipfum edoceret. Putauerim ergo, Nicodemum his fere quaeftionibus colloquium aperuiffe: quando Meffias, populi fofpitator prodibit? quomodo reftituet populi fplendorem priftinum, et nos, Abrahami pofteros, ea felicitate terrena beabit, quae nobis, qui veram religionem profiteamur, qui Deo inprimis cari atque dilecti fimus, vnice deftinata eft? Iefus ergo inftitutionem a fe expetitam ab eo incoepit, in eoque maxime pofuit, vt exfpectationes de Meffia eiusque regno, quas Nicodemus, reliquique Iudaei alerent atque fouerent, plane abiiciendas effe affeueraret. ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι — ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ] *hoc tibi fancte confirmo, nonnifi qui denuo natus fuerit, fieri poffe felicitatis regni Meffiani ciuem.* Disceptatum eft ab interpretibus de vi ac poteftate vocabuli ἄνωθεν, quam h. l.

obtineat. Nempe ἄνωθεν in verſione Alexandrina reſpondet Hebr. מִמַּעַל, v. Iob. 3, 4. atque notat, *ſuperne, de coelo, a Deo, coelitus, diuinitus,* quo ſignificatu legitur infra, v. 31. 19, 11. Iac. 1, 17. 3, 15. Hinc interpretibus haud paucis ἄνωθεν γεννηθῆναι, eſt id. qd. ἐκ Θεοῦ γεννηθῆναι Ioh. 1, 12. Deo ſimilem eſſe, animum emendatum, in melius mutatum vita et factis exprimere, aliter ſentire, aliter agere, quam plerumque homines ſentire et agere ſolent. Sed ἄνωθεν ſignificat etiam *denuo, rurſus,* vt ap. Ioſeph. Ant. 1, 18. 3. φιλίαν ἄνωθεν ποιεῖται πρὸς αὐτὸν, *amicitiam cum illo denuo ſancit,* add. Gal. 4, 9. Sapient. 19, 6. v. *Bretſchneideri* Specim. Lex. in interpp. Grr. V. T. p. 39. et *Kypkius* ad h. l. Ita quoque hanc vocem intellexerunt h. l. interpretes antiqui, Syrus, Copt. Vulg. et Nonnus, quin et ipſe Nicodemus coll. v. 4. Qui ergo ea ſignificatione, quam primo loco poſuimus, vocem ἄνωθεν accipiendam eſſe ſtatuunt, ii concedunt, Ieſum ambigua voce vſum eſſe, et Nicodemum aliam ſignificationem ei ſubieciſſe, quam ei Ieſus ſubiecerit. At enimuero Ieſus non Graeco, ſed Syrochaldaico ſermone vſus eſt, atque haud dubie adhibuit vocabulum תוּב *iterum, rurſus, denuo*; quodſi vel maxime cum Nicodemo colloquens, Graecam linguam vſurpaſſet, v. Prolegg. §. 3. quod parum probabile eſt, atque vſus eſſet vocabulo ambiguo ἄνωθεν, addidiſſet procul dubio aliquid ad corrigendum Nicodemi errorem. Et quamquam infra v. 5. 6. 8. commemoratur γεννηθῆναι ἐκ πνεύματος, quod recte explicant ἐκ Θεοῦ, inde tamen non ſequitur h. l. ἄνωθεν explicari debere *diuinitus.* Nam Chriſtus h. l. verba fecit de noua generatione in vniuerſum, et ita etiam Nicodemus eius mentem intellexit (δεύτερον v. 4.), infra autem accuratius oſtendit, quomodo ea efficiatur, vid. et *Knappius* Opuſcc. p. 206. Eſt ergo h. l. τὸ ἄνωθεν γεννηθῆναι id. qd. ἀναγεννηθῆναι, παλιγγενεσία, quod poſterius vocabulum Heſychius explicuit: τὸ ἐκ δευτέρου γεννηθῆναι. Nempe ſignificant hae voces proprie *iteratam generationem*, deinde tropice

notant, *infignem priftini alicuius rei ftatus inftaurationem*, inprimis in bonam partem, *rei alicuius mutationem in melius*, vid. not. ad Matth. 19, 28. Iudaei voces *iteratam generationem* indicantes, adhibebant, *de transitu ad religionem et facra Iudaeorum*, profelytos dicebant *recens natos*, *ex altera matre iterum editos*, atque e parentum fuorum filiis, Abrahami filios fieri; nec tantum *de religionis mutata profeffione*, quae per ritus fit et cerimonias, eiusmodi voces vfurpabant, fed etiam *de meliori animi indole*, *de mentis animique mutatione in melius*, quam etiam circumcifionem cordis, nouum fpiritum, nouam indolem dicebant, vid. Deut. 10, 16. Ier. 4, 4. 31, 33. Ezech. 11, 19. 36, 25. Pf. 51, 12. et *de vitae mutatione*, eumque qui animum vitamque in melius mutarat, dicebant *nouam creaturam*, בריה חדשה, quo fignificatu etiam in N. T. frequenter eiusmodi voces recurruut, vid. omnino *Lightfootus* Horr. Hebrr. et Talmudd. infra ad v. 7. *Schoettgenius* Horr. Hebrr. p. 328. 704 fs. *Seldenus* de Iur. nat. et gent. L. 2. c. 4. p. 155. *Wetftenius* ad h. l. et ad 1 Petr. 2, 2. *Deylingius* Obff. Sacr. P. 3. p. 252 fs. *Knappius* l. c. p. 107 fs. et interpp. ad Tit. 3, 4. [Mirifice autem disfentiunt h. l. interpretes in conftituendo fenfu formulae ἄνωθεν γεννηθῆναι. Nonnulli eam explicant de fusceptione religionis Chrifti per baptismum, et illius profeffione publica. Quam tamen fententiam improbandam effe, iam fupra vidimus. Alii huic formulae hunc fubftituunt fenfum: vitam animumque emendare, vitam et mores ad normam doctrinae chriftianae componere. Neque negari poteft, hoc fenfu vocabulum ἀναγέννησις, cum cognatis faepius in N. T. recurrere, vt 1 Ioh. 2, 29. 3, 9. al. Alii Iefum verba feciffe putant, de abiicienda animi prauitate, opinionumque vanitate. Verum vitae emendationem et probitatis ftudium effe praefidium firmiffimum, quo quis ad ius ciuitatis in regno Meffiano adfpirare poffit, ea de re Nicodemum monere non opus erat, cum ex omnibus, quae de eo legimus, appareat, eum fuiffe hominem probitatis ftudiofum, in eoque non tam animi

prauitatem, quam opinionum peruerfitatem fuiffe notandam; et cum Iudaei exfpectarent, Meffiam fore pietatis, vitae morumque caftitatis reftitutorem, et ipfe Iohannes Baptifta vitae emendationem, nemine repugnante, commendaffet; fane non perfpiceretur,, quomodo Nicodemus, fi Iefus de vitae emendatione dixiffet, profiteri potuiffet v. 4. fieri nullo pacto poffe, vt Iudaei vitam in melius mutarent. Ergo non potuit Nicodemus cogitare de vita emendanda, fed cogitauerit neceffe eft de opinionibus, quas Iefus abiiciendas effe praeciperet, atque adeo ἄνωθεν γεννηθῆναι vnice pertinet ad intellectum et ftatuendi rationem, notat: aliam ftatuendi rationem fumere, deponere opiniones vanas. Neque huic fententiae repugnat vfus loquendi. Nam ἀναγέννησις etiam aliis in locis memoratur de iis, qui fuperftitionis opinionibus liberati funt, vt 1 Petr. 1, 23. vbi chriftiani dicuntur ἀναγεγεννημένοι ἐκ λόγου Θεοῦ ζῶντος, etfi adhuc inquinati effent variis vitiis, vt ipfe Apoftolus 2, 1. profitetur; dicebantur praeterea profelyti quoque denuo nafci, quatenus opiniones antecaptas exuerent, fuperftitionibus valedicerent, aliter de Deo eiusque cultu ftatuerent; vt adeo Nicodemus bene intelligere potuerit, a fe fimile quid poftulari quoad opiniones de regno Meffiano difertis verbis memorato. Itaque mens Chrifti haec erat: aliam de Meffia, eius regno, de felicitate in eo obtinenda, et rebus ad regnum illud pertinentibus ftatuendi rationem fequi debet Iudaeorum quilibet qui cupit σωθῆναι (Matth. 19, 16. 24. 25.), adipifci felicitatem futuram. Formula ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ explicatur v. 5. εἰςελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Itaque ἰδεῖν h. l. eandem notionem obtinet, quam haud raro habet Hebr. ראה *experientia cognofcere, participem fieri*, vt Pf. 36, 10. 89, 49. 90, 15. 1 Macc. 13, 3. Denique βασιλεία τοῦ Θεοῦ, de qua voce disputatum eft vberius ad Matth. 3, 2., ex mente Chrifti fignificat: beneficia et commoda omnia, quae Chrifti fectatoribus cum in hac, tum in altera vita contingunt.

4. Nicodemus, cuius animum ſententia a Ieſu propoſita grauiter perculerat, reſpondebat, vt Iohannes refert: *πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι κ. τ. λ.*, *quomodo fieri poteſt, vt homo iam aetatis prouectae denuo naſcatur? num poteſt redire in vterum matris et rurſus exire atque naſci?* Magnopere hic quoque locus exercuit interpretes. Fuerunt qui ſtatuerent proprium verborum ſignificatum retinendum eſſe, atque contenderent, Nicodemum mentem Ieſu non intellexiſſe, imo putauiſſe, eum poſtulaſſe, vt vere aliquis de nouo naſceretur. Quam parum vero probabile eſt, Nicodemum, Phariſaeum et ſynedrii aſſeſſorem, non intellexiſſe formulam doctoribus Iudaicis perquam vſitatam atque ſolennem! Hinc alii, qui quoque autumarent verba eius proprie accipienda eſſe, opinati ſunt, eum ſimulaſſe ignorantiam, vt cognoſceret, an Ieſus fanaticorum vafrorumque myſtagogorum more, obſcure loqueretur, nec ipſe ſciret, quid ſibi vellet, v. *Paulus* ad h. l. alii exiſtimarunt, eum irridere voluiſſe Chriſti dicta, tanquam prorſus abſona. Sed formula ἄνωθεν γεννηθῆναι ſatis nota erat atque vulgaris, quodſi igitur Nicodemus auſus fuiſſet talem ignorantiam ſimulare, longe aliter Ieſus reſpondiſſet ſimulatori, eum diſcedere iuſſiſſet; aduerſatur praeterea his coniecturis Nicodemi grauitas atque integritas, quam per omne colloquium, et vbique prodit, vbi vel dixiſſe vel feciſſe aliquid narratur. v. *Schmidtius* l. c. p. 428. et *Goldhornius* l. c. p. 28. Itaque rectius alii ſtatuerunt, Nicodemum vocem ἄνωθεν γεννηθῆναι in priori commatis parte eodem ſenſu adhibuiſſe, quo eam Ieſus antea vſurpaſſet, atque adeo his verbis ſententiam expreſſiſſe hanc: quemadmodum per rerum naturam fieri non poteſt, vt aetate prouectus phyſice renaſcatur, ita fieri non poteſt, vt moraliter renaſcatur, aliam, nouam cogitandi et ſtatuendi rationem ſequatur, nempe homo ille aetate prouectus. Vocabulo γέρων, Nicodemum ſe ipſum reſpexiſſe, ſuam ſenectutem innuiſſe, haud pauci autumant, ſed frigida ſic procedit ſententia, accedit quod Ieſus in vniuerſum de Iudaeis verba

fecerat, et Nicodemus ipfe eum plurium nomine alloeutus erat; praeclarior ergo et orationis feriei conuenientior nafcitur effati interpretatio, fi per hominem aetate prouectum nationem Iudaicam intelligimus, adfuetam opinionibus iftis, quas Iefus, tanquam peruerfas et prauas, abiiciendas effe dixerat. Senfum igitur hunc in modum conftituendum puto: Plane incredibile eft, Iudaeos fpem illam laetiffimam folatiique pleniffimam, quam de regno Meffiano et felicitate illius fouent, quae tam altas in mentibus eorum radices egerit, de cuius veritate iis perfuafiffimum fit, abiicere poffe ac debere. Adieciffe praeterea videtur Nicodemus haec a Iohanne omiffa: nullus ergo Iudaeorum, fi opiniones de regno Meffiano conceptae iis abiiciendae effent, fieri poffet particeps felicitatis in regno Meffiano obtinendae, quam tu doces, et tamen regni Meffiani felicitas nobis, vtpote Abrahami pofteris, vnice deftinata eft coll. v. 6.

5. Repetit Iefus, hanc opinionum emendationem plane neceffariam effe, et oftendit, quomodo ea effici poffit. ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος κ. τ. λ.] *nifi quis per aquam et fpiritum renatus fuerit, non poteft regni Meffiani felicitatis particeps fieri.* Vocabulum ὕδωρ inde a *Calvino*, qui de gratia Dei illud explicabat, (vid. quae contra eum disputauit *Gerhardus* in locis thelogg. P. 4. p. 999 fs.) plures interpretes non de baptismo intelligendum effe ftatuerunt. Sed fine idonea ratione ab vfu folenni huius vocabuli receflerunt, et coactae funt interpretationes verborum Chrifti, quas protulerunt. v. *Wolfius* in Curis et *Koecherus* in Analectis ad h. l. Etiam *Telleri* (vid. eiusd. *Wörterbuch des N. T.* fub v. *gebohren* et *Geift*) aliorumque explicatio, nimis longe petita videtur. Explicant nimirum ὕδωρ καὶ πνεῦμα, *aqua fpiritualis* i. e. Euangelium; aquam enim, obferuant, effe in N. T., v. Ioh. 4, 12. 7, 37 f. et fcriptis Rabbinorum, v. *Buxtorfii* Lex. Talm. p. 2298. fymbolum doctrinae animum beantis, folantis, firmantis etc. Sed

nomine ὕδωρ perquam frequenter in libris N. T. insignitur *baptismus*, vt Act. 10, 27. Eph. 5, 26. Tit. 3, 5. al. baptismi memoratio, vt ex omni orationis ferie patet, perquam apta erat, et Nicodemus hanc vocem de baptismo, nulla addita vlteriore monitione, intelligere poterat. Etenim per baptismum profelyti, gentiles qui ad Iudaeorum facra fefe conferre volebant, ab idololatriae immunditie purgabantur, fuperftitionibus et opinionibus falfis valedicebant, v. not. ad Matth. 3, 6. Iohannes per baptismum obftringebat Iudaeos vitae animique mutationi in melius, et obfequio Meffiae praeftando, atque baptismum fuum vocabat βάπτισμα μετανοίας, v. Matth. 3, 11. Marc. 1, 4. Luc. 7, 29. ipfi quoque Chrifti difcipuli tunc temporis Iudaeos Meffiae nouaeque vitae per baptismum obftringebant, v. Ioh. 3, 22. 23. 26. 4, 1. 2. et Iudaeos in ea opinione fuiffe, Meffiam eiusque praecones noua facra baptismo aufpicaturos effe fupra vidimus ad 1, 22. Itaque Nicodemus facile fibi explicare poterat, quid Iefus in hac orationis ferie verbis ἐὰν μή τις (ἄνωθεν) γεννηθῇ ἐξ ὕδατος, dicere vellet, nempe hoc: omnis Iudaeus renafci, mentem mutare, adeoque opiniones de regno Meffiano prauas atque peruerfas emendare poteft ac debet per baptismum, qui eft fymbolum mentis animique puritatis; efficitur haec emendatio, dum is, qui baptizatur, doctrinae diuinae, doctrinae meae fe obftringit, eam fuscipit, affenfu fuo probat (Marc. 16, 16.), et per eam auxiliante Deo etiam ratione opinionum praeconceptarum corrigitur et emendatur. Praeter baptismum commemorauit Iefus πνεῦμα, quod vocabulum alii de vi diuina, alii de doctrina diuina ipfa interpretantur. Res eodem recidit. Nam vis illa diuina per doctrinam Chrifti in animis hominum operatur; neque negari poteft πνεῦμα aliis quoque in locis adhiberi de doctrina diuina; de religione Chrifti, vt Matth. 3, 11. vbi v. not. add. Ioh. 6, 63. 1, 33. Eph. 6, 18. Praeferenda tamen videtur eorum fententia, qui per πνεῦμα vim diuinam intelligunt, vel ob comparationem v. 8. inftitu-

tam, confirmatur etiam haec ſententia loco ſimili Tit. 3, 5. et loco Luc. 18, 26. 27. vbi Ieſus diſcipulis eum interrogantibus τίς δύναται σωθῆναι reſpondet: τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις δυνατὰ παρὰ τῷ Θεῷ. Praeterea mentis animique correctio in literis ſacris ad Deum auctorem refertur, vt 1, 13. γεννηθῆναι ἐκ Θεοῦ 1 Ioh. 2, 29. 3, 9. 4, 7. 5, 1. 4. 18. Itaque noſtro loco haud dubie debet intelligi vis diuina, in animis hominum per doctrinam ſe explicans. Longe alio ſenſu vocabulum πνεῦμα acceperunt *Michaelis* et *Paulus*. Hi per πνεῦμα intelligendum eſſe putarunt *hominis animum*, vt haec ſententia procedat: hominis animus eſt fons melioris cognitionis et conſilii, debet fieri quaſi matrix hominis noui, melioris, et homo qui per vim animi ſui, quod verum et rectum eſt, intelligit et vult, a dominio τῆς σαρκὸς liberatus eſt. Sed parum aptam hanc interpretationem eſſe, vel me non monente intelliget, qui nulla opinione adhuc praeoccupatus, ad h. l. legendum acceſſerit, et oſtendit etiam *Schulzius* in *Anmerkk.* ad h. l.

6. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς — πνεῦμά ἐστι] *quod ex carne naſcitur, caro eſt, et quod e ſpiritu naſcitur, ſpiritus eſt.* τὸ γεγεννημένον idem valet quod ὁ γεγεννημένος coll. v. 8. add. 6, 37. 1 Ioh. 5. 4. et τὸ γεγεννημένον altero loco poſitum vt v. 8. ὁ γεγεννημένος explicari debet ὁ ἀναγεγεννημένος, ὁ ἄνωθεν γεγεννημένος, praeterea ſubſtantiuum σάρξ in formula σάρξ ἐστι, et πνεῦμα in fine verſus, vim adiectiuorum σαρκικὸς, πνευματικὸς obtinent. Per *carnem* plerique interpretes intelligunt vitioſitatem naturalem, hominem ſenſuum et cupiditatum imperio ſubiectum, infirmum; per *ſpiritum* autem, primo loco, ſpiritum diuinum, altero, meliorem animi indolem per ſpiritum excitatam, vt adeo ſententia ſit: ex parentibus vitioſis, ſenſuum et cupiditatum imperio obnoxiis, natus, ipſe eſt vitioſus, in vitia pronus, σαρκικὸς (vt fere Ecdorus apud Stobaeum Sermon. 88. ἐκ τοῦ κακοῦ ἡ φύσις τίκτει

κακόν, ὡς ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίνεται), sed a spiritu diuino conformatus, diuinae est indolis, sensibus et cupiditatibus non amplius seruit, est πνευματικός. Neque negari potest, hanc interpretationem vsui loquendi Hebraeorum esse consentaneam. Hebraeis enim, vt recte *Knappius* Opusc. p. 220. monuit, בשר, σάρξ, saepe *corpus*, etiam *hominem* simpliciter indicat, adiuncta frequenter notione *fragilitatis*, *infirmitatis* Ps. 56, 5. Ies. 40, 6. Ier. 17, 5. Iob. 34, 15. etiam *erroris* et *peccati*, cui propter imbecillitatem naturae homo obnoxius est Ps. 78, 39. al. Illa quidem notio *imbecillitatis* et *fragilitatis* inde orta est, quod omne *corpus* animale, siue hominum, siue reliquorum animantium, sine animo et spiritu nihil valet, eoque exstincto interit et putrescit. Praeterea constat, omnem fere antiquitatem in eo consensisse, vt originem sensuum, appetitionum, perturbationum a *corpore* repeteret. Quare Iudaeis בשר, σάρξ, τὸ σαρκικὸν saepissime dicitur omnis *deterior hominis conditio*, eaque vel *externa*, qua comprehenditur imbecillitas corporis, mortalitas, omnisque generis miseria, quacum hac in vita conflictamur, vel *interna*, quae in animo et moribus cernitur, seu omnis vitiositas et prauitas hominum, cuius origo ad corpus potissimum transfertur. add. *Koppii* Excurs. 5. ad Galat. et *Schleusneri* Lex. sub v. σάρξ. Verum enimuero Iesus, vt supra pluribus ostendimus, in hoc colloquio cum Nicodemo instituto verba fecit de emendatione opinionum Iudaeis solennium de regno Messiano et rebus ad illud pertinentibus, de felicitate illius regni Iudaeis vnice destinata, neque adeo in tali orationis serie vocabulum σάρξ de vitiositate intelligi, nec γεννηθῆναι de vitae morumque mutatione in melius explicari potest; imo sensus orationis Christi ita constituendus videtur: tu credis Iudaeos, vtpote Abrahami posteros, vnice, exclusis gentibus reliquis, fieri posse participes felicitatis in regno Messiano consequendae, vehementer erras, *ex hominibus natus*, *homo est*, sola humanitatis communio ad posteros transit, nec ista

origo homini dat maiorem dignitatem prae altero, nec igitur Iudaeo nato, prae eo, qui non eſt ex ſtirpe Abrahami oriundus, ex ſolo natiuitatis beneficio nihil praecipui quisquam habet, praeter naturam humanam, et iura propinquitatis externa. Omnino igitur Iudaeis opus eſt noua generatione, nam *cuius mens per vim diuinam eſt immutata,* cuius peruerſa ſtatuendi ratio correcta eſt, *is demum eſt praeſtantior* caeteris, ad obtinendam felicitatem regni Meſſiani idoneus, eſt *πνευματικὸς* et *εἰςέρχεται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ.* coll. Ioh. 3, 12. 13. Errorem iſtum, quem h. l. Ieſus taxauit, ſaepius quoque refutauit publice, v. Luc. 4. 24 ſs. 13, 29. Matth. 21, 43 ſs. 22, 1 ſs. vbi v. not. *πνεῦμα* Hebr. רוח inter alia *animam* notat, etiam *mentem,* et quicquid ſuo in genere eſt *praeſtans, excellens* atque *perfectum.* vid. *Koppius* l. c. et *Schleuſneri* Lex. h. v. Aliter intellexit locum noſtrum *Erasmus*, qui fere ſecutus Chryſoſtomum Hom. 25. in Ioh. T. 8. Opp. p. 144. arbitratus eſt, haec dicta eſſe per prouerbium, et voluiſſe Ieſum iis demonſtrare, ſe non loqui de generatione naturali, ſed ſpirituali, hoc nimirum ſenſu: *ſimile de ſimili naſcitur, e corpore naſcitur corporeum, e ſpiritu ſpirituale, illa generatio non contingit e corpore, ergo non eſt corporea, ſed ex ſpiritu, ergo eſt ſpiritualis.* Sed non eſſe Chriſto ſermonem de generatione propria, ſatis iam apparebat ex iis, quae v. 5. leguntur, et Nicodemus, vt ad v. 4. notauimus, probe intelligebat, Chriſtum loqui de generatione impropria, non ergo hac demonſtratione opus erat.

7. 8. Videtur Nicodemus, vt *Knappius* quoque, *Hezelius* et *Paulus* ſuſpicati ſunt, vultu indicium feciſſe, ſe et dubitare et mirari. Ieſus igitur coeptum ſermonem ita continuabat: *Noli mirari, me dixiſſe: vobis eſſe renaſcendum;* vobis, etſi Abrahami ſitis poſteri, hac vna lege, vt mentem mutetis, conſuetam de regno Meſſiano et rebus ad illud pertinentibus ſtatuendi rationem ponatis, aditum ad

illud regnum, et felicitatem in eo obtinendam, patere; haec opinionum emendatio poteſt ac debet locum habere, quamuis tibi hoc videatur incredibile. — 8. Exemplo rem Iesus illuſtrabat, eoque a vento deſumto. *τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ κ. τ. λ.*] *ventus flat, vbicunque voluerit, eiusque ſonitum audis, ſed neſcis vnde veniat, et quo ſe abiens proripiat; ita quoque ſe res habet cum hominibus, qui ſpiritus ope renaſcantur.* Erat autem haec ipſa comparatio perquam appoſita, cum antea memorarit Iesus *πνεῦμα*, רוּחַ, et vocabulum רוּחַ vt *πνεῦμα* proprie *ſpiritum, halitum, ventum* ſignificat, vid. Gen. 8, 1. Eccleſ. 11, 5. Ariſtot. de Mundo c. 4. p. 105. ed. *Knappii*, *ἄνεμος οὐδὲν ἐστι, πλὴν ἀὴρ πολὺς ῥέων καὶ ἀθρόος, ὅστις ἅμα καὶ πνεῦμα λέγεται.* add. Hebr. 1, 7. quare et Iohannes Graece ſcribens conſulto vſus eſt vocabulo *πνεῦμα*, non *ἄνεμος*. Solebant autem Hebraei ad ſignificandam *rem ignotam, obſcuram*, eam cum *vento* comparare, eamque *viae venti incognitae* ſimilem dicere, vt Eccleſ. 11, 5. vbi legitur: *quemadmodum tu neſcis, quae ſit via venti, et qualia ſint in praegnantis vtero oſſa, ſic opus Dei ignoras, omnia perficientis.* add. Sir. 16, 21. Pſ. 135, 7. Neque Graecis haec comparatio inſolita erat, vt vel docet locus Xenophontis Mem. 4, 3. 14. *καὶ ἄνεμοι αὐτοὶ μὲν οὐχ ὁρῶνται, ἃ δὲ ποιοῦσι, φανερὰ ἡμῖν ἐστι, καὶ προσιόντων αὐτῶν αἰσθανόμεθα· ἃ χρὴ κατανοοῦντα μὴ καταφρονεῖν τῶν ἀοράτων, ἀλλ᾽ ἐκ τῶν γινομένων τὴν δύναμιν αὐτῶν καταμανθάνοντα τιμᾶν τὸ δαιμόνιον*, *nec venti cernuntur, quamuis eorum effecta nobis conſpicua ſint, et accedentes ſentiamus. Quae conſiderantem te, nequaquam ea, quae cerni nequeunt, contemnere decet: ſed de illis quae accidunt, eorum poteſtate animaduerſa, numen ipſum honore proſequi.* *Φωνὴ* eſt idem quod *ἦχος*, et vt Hebr. קוֹל de *ſonitu quovis* adhibetur. v. *Schleuſneri* Lex. h. v. *πόθεν ἔρχεται*, *vnde veniat*, vbi, quo loco exoriatur primum. *καὶ ποῦ ὑπάγει*, quo loco conquieſcat. Frequenter *ποῦ* apud Iohannem de termino ad quem occurrit, v. 13, 36. 16, 5. 1 Ioh. 2, 11. Iam ſen-

ſus comparationis a Ieſu h. l. inſtitutae hic eſt: Nihil credere velle, quam quod ſub ſenſum oculorum cadat, ineptum eſt. Multa ſunt, quae nec ſpectari, nec quaſi manu teneri poſſint, quorum modus et ratio exponi nequeat, quae tamen vere exiſtant. Ventus impetu ſuo huc et illuc fertur, vim eius audis, eum praeſentem ſentis, ſed vnde oriatur, et vbi deſinat, neſcis; ſic quoque magna eſt efficacia vis diuinae in mentibus hominum; definiri quidem nequit, quomodo vis diuina in mentibus hominum operetur, easque transformet, ratio et modus rei non perſpicitur, attamen ex effectu, ex argumentis et ſignis nequaquam dubiis, operatio illa cognoſcitur; mutatur ſtatuendi ratio, deponuntur opiniones peruerſae et praeiudicatae, fit homo πνευματικός· v. 6. Caeterum ex indiciis, quibus vim ſuam exſerit ventus, exempli loco memoratur ſonitus eius, qui auribus percipitur, cum fortaſſis illa nocte ventus vehementius flaret, quem tactu non ſentirent domi colloquentes, ſed audirent frementem foris. Etiam alias ab rebus obuiis exempla Ieſus petere ſolebat, vt 4, 35. al.

9—11. Iis quae Ieſus dixerat, nihil opponere poterat Nicodemus, neque adeo aperte repugnabat, tanta tamen eius erat in tuendis, quas hactenus ſecutus erat, ſententiis perſeuerantia, vt in hanc vocem erumperet: πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι, *quomodo tandem res ita ſeſe habere poteſt!* quomodo haec eſſe poteſt Dei voluntas, vt ea fiant quae tu dixiſti! atque ſic profiteretur, ſe non perſpicere, cur eiusmodi opinionum mutatio ſubeunda ſit. Mirabatur et dubitabat Nicodemus, e Dei voluntate abiiciendam eſſe Iudaeis ſpem eam quam fouerent de regno Meſſiano eiusque indole iis dulciſſimam et laetiſſimam; eos Abrahami poſteros, cui Deus promiſſiones dediſſet, felicitate futura a Deo priuatum iri, ſi non opiniones illas ponerent; et Deum ipſum in mentibus eorum, qui Ieſu doctrinam ſuſcepiſſent, (v. 5.) operaturum eſſe. Docemur, (vt bene monuit *Knap-*

pius Opufcc. p. 231.) v. 9 fqq. quam parum fibi conftent, qui in dictis viri, cui auctoritatem diuini legati ipfi tribuant (conf. v. 2.), acquiefcere nolint. — 10. *Refpondit ei Iefus: σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις; tu es doctor Ifraelitarum, et haec non intelligis?* tu es homo doctus, in fcriptis prophetarum bene verfatus, qui ipfi de mentis animique emendatione Iudaeis neceffaria faepius loquuntur; tu alios edocere vis ac debes, et adeo peruerfe iudicas, neque intelligis, Iudaeis e Dei voluntate mentem effe mutandam, quod attinet opiniones eorum de regno Meffiano et rebus ad illud pertinentibus. — 11. Scito effe veriffima et certiffima, quae hactenus de abiiciendis opinionibus peruerfis dixi, quamvis ea tibi, his ipfis opinionibus praeconceptis praepedito, aliisque tibi fimilibus fide indigna videantur. Articulo voci διδάσκαλος addito, nonnulli interpretes hoc fignificari putarunt: *tu ex eruditione notus* ille *et clarus Ifraelitarum doctor;* fed fine idonea ratione; notum enim eft, articulum faepius indefinite poni. Neque fingularis emphafis in numero plurali v. 11. οἴδαμεν, λαλοῦμεν, ἑωράκαμεν quaerenda eft; fed pluralis, vt faepius, vim obtinet fingularis, et fequitur v. 12. εἶπον, vid. et Marc. 4, 30. 1 Ioh. 9, 12. 1 Ioh. 1, 4. Verba autem λαλεῖν et μαρτυρεῖν funt plane idem valentia, et fignificant *tradere*, *docere*. Sic μαρτυρεῖν extat Ioh. 3, 32. 4, 44. 7, 7. aliisque in locis compluribus, ficuti etiam μαρτυρία et μαρτύριον de legibus et doctrina, vt Hebr. עדה et עדות ponuntur Exod. 26, 33. Pf. 119, 14. 1 Cor. 2, 1. λαμβάνειν vero notat *fidem habere, admittere*, id. qd. πιστεύειν, coll. v. 12. 1, 12. vfus autem eft h. l. Iefus plurali numero λαμβάνετε, ita, vt refpiceret alios Nicodemo fimiles, de eiusdem collegis et primoribus populi coll. v. 2. (οἴδαμεν). Caeterum ἑωράκαμεν et οἴδαμεν funt quoque fynonyma, quae enim vidimus, oculis noftris confpeximus, ea quoque comperta et explorata habemus; indicatur omnino his verbis accurata

et plena cognitio, qua Iesus, vtpote legatus diuinus, qualem Nicodemus ipse eum declararat v. 2. praeditus erat.

12. Cum Iesus dixisset, se improbare Iudaeorum de regno Messiano opiniones, eas abiiciendas esse; videtur Nicodemus eum vlterius et accuratius interrogasse de interiori natura et indole regni Messiani, de consilio Dei in mittendo Messia etc. coll. v. 13. 14. eumque excitasse, vt publice ea quoque doceret πῶς — πιςεύσετε v. 12. Has enim doctrinas alio tempore Iesus ipse, v. Matth. 13, 11. vocauit τὰ μυςήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, atque declarauit, se discipulis suis interioris admissionis, doctrinas arcanas et incognitas, naturam regni Messiani, coetumque christianorum spectantes, tradere posse aperte et sine parabolarum inuolucris, reliquis autem sub parabolarum tegumentis eas tradere debere. *εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν κ. τ. λ.*] *cum vos mihi de iis, quae in terra eueniunt, dicenti, fidem denegetis*, (v. 32.) *quomodo tandem res coelestes tradenti fidem habebitis?* Quae verba non ita capienda sunt, quasi omnino illa ἐπουράνια tradere nolit; sed tunc temporis nolebat ea publice et verbis claris atque perspicuis docere coll. v. 14. Opponuntur autem sibi inuicem h. l. τὰ ἐπίγεια et τὰ ἐπουράνια, et vtrumque, vt nemo non intelligit, tropice dictum est. Per τὰ ἐπίγεια *ea quae in terra eueniunt, et ante oculos fiunt*, τὰ ἐν τῇ γῇ γενόμενα, vt Origenes et Chrysostomus illam vocem explicant, significantur ea quae facilius cognosci atque intelligi possunt, qualis erat regeneratio Iudaeorum per baptismum et vim diuinam. Sed voce τὰ ἐπουράνια *ea quae in coelo eueniunt, coelestia, divina* Sap. 9, 16. 17. indicantur ea, quae homines latent, ergo *obscura*, *arcana*, *recondita*, quae etiamsi manifestentur, ad intelligendum sunt difficilia v. c. Dei consilia, res futurae. Est autem h. l. sermo de interiori natura et indole regni Messiani.

13. Cohaerentia est: quamquam ego solus haec ἐπουράνια accuratissime scio; quamquam ego solus is sum, a

quo accuratiorem notitiam de regni Meffiani indole et Dei confiliis accipere poffitis. Erat enim oftendendum, fe *coeleftia* tradere poffe. Minus recte alii καὶ v. 13. vertunt: *nempe*, *fcilicet*, et v. 14. *item*, *porro*, atque hos verfus continere putant exempla τῶν ἐπουρανίων, rerum reconditarum. Formula οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, *nemo adfcendit in coelum*, improprie capienda eft. Nempe Hebraei non modo ea quae homines latent, Deoque foli cognita funt, *coeleftia*, *in coelo recondita* vocare folent, fed etiam eos, qui res obfcuras et vulgo ignotas accurate norunt atque perfpectas habent, *fuiffe* dicunt *in coelo*, *coelum adiiffe*, *inde fapientiam*, *fcientiam rerum deportaffe*, Baruch 3, 29. τίς ἀνέβη εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἔλαβεν αὐτὴν, *quis adfcendit in coelum et* (fapientiam) *accepit?* Deut. 30, 12, *praecepta quae vobis expofui — non in coelo funt, vt vobis dicendum fit: quis in coelum adfcendat et inde ea repetat, nobis explicet, vt ea facere poffimus?* Prou. 30, 4. *quis adfcendit in coelum, et inde defcendit?* add. Rom. 10, 6. *Schoettgenius* Horr. Hebrr. ad h. l. Itaque *nemo in coelum adfcendit*, erit, nemo habet cognita arcana Dei confilia, nemo earum rerum diuinarum fcientiam confecutus eft, quam ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, quam *ego qui de coelo defcendi*, vt illa ἐπουράνια docerem et explicarem. Haec vero ipfa formula ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, notante *Paulo* ad h. l. ex vfu loquendi veterum, in fe fpectata, proprie et improprie intelligi poteft. Obferuat nimirum, eam *proprie* adhibitam effe de diis, vt Ouid. Met. 1, 213. Act. 14, 11. add. Senec. ep. 89. Manil. 4, 57. et *improprie* de iis, qui virtute et fcientia eminerent, de eo quod fubito et inopinato appareret, vt ap. Lactant. 1, 11. *Minucius Felix fic argumentatus eft: Saturnum, cum fugatus effet a filio, in Italiamque veniffet, Coeli filium dictum, quod foleamus eos, quorum virtutem miramur, de coelo cecidiffe dicere: terrae autem, quod ignotis parentibus natos terrae filios nominemus.* Cic. pro Manil. 14. *Itaque omnes quidem nunc in his locis in Pompeium, ficut aliquem, non ex hac vrbe miffum, fed*

de coelo delapsum intuentur. Minuc. Felix Octau. 22, 11. *et in hodiernum inopinato visos, coelo missos — nominamus.* vid. et *Wetstenius* ad h. l. Sed hoc nostro loco ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς non reddi potest: qui sapientiam de coelo deportauit, vel, qui rerum diuinarum scientia instructus est, nam non legitur: *nemo adscendit et descendit in coelum*, vt Prou. l. c. sed, *nemo adscendit quam qui descendit;* existeret ergo satis frigida sententia haec: nemo habet cognita arcana Dei consilia, quam qui eorum notitiam consecutus est. Quodsi praeterea Christus nonnisi hoc dicere voluisset: ego rerum diuinarum scientia plenissima praeditus sum, sufficiens fuisset dicere, οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν εἰ μὴ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Sed c. 6, 38. formula καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ et v. 42. ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον commutatur cum hac: ἐκεῖνός με ἀπέστειλε. Ergo h. l. verbis: ὁ ἐκ τοῦ Θεοῦ καταβὰς inest potius notio haec: qui a Deo missus est. Neque tamen sola legatio diuina intelligi potest, eodemque sensu haec formula capi, quo aliis in locis prophetae dicuntur ἀπεσταλμένοι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, nam maius quid hac formula ἐκ τοῦ Θεοῦ καταβὰς innui, vel inde patet, quoniam ea nusquam de prophetis adhibetur, et quoniam Christus ipse se h. l. omnibus prophetis superiorem declarat. Nempe inuoluit haec formula simul coelestem Christi originem, eiusque praeexistentiam, id quod sat luculenter docent loci 6, 62. 17, 5. al. et Iohannem ipsum sic quoque haec verba intellexisse, e cap. 1. et infra v. 31. perspicitur. Quae cum ita sint, nec verba versus vltima: ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ explicari possunt: cui summa cum Deo his in terris consuetudo et coniunctio intercedit, propter communia consilia, qui nil nisi diuina sapit et tradit; sed ὢν positum est pro ἦν, v. ad 1, 18. et indicatur, Christum iam, antequam in has terras venisset, apud Deum versatum esse, cum eo fuisse coniunctissimum, vid. 1, 1. 18. Sensus igitur verborum Christi est: *Quamquam nemo vnquam tantam habuit rerum coelestium cognitionem, et nemo vos adeo accurate edocere potest, de regni Messiani indole, atque Dei*

consiliis, quam is, qui coelitus descendit, missus est, filius hominis, qui in societate et consuetudine Dei vixit. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, Messias, v. ad Matth. 8, 20. Christum hac voce se ipsum designare, docebant Nicodemum ea quae praecesserant, εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον — ἐὰν εἴπω τὰ ἐπουράνια v. 12. et gestus, qui rectae vocis interpretationi subueniebat. Neque omnino effatum Christi Nicodemo spiritus Messiani praeexistentiam admittenti, v. Prolegg. §. 7. D. 2, *b. c*, obscurum esse poterat.

14. 15. Quae v. 12. Iesus dixerat, exemplo illustrat. Affert consilium diuinum de salute hominum per Messiae in cruce mortem reparanda, tanquam adhuc in coelo latens, ἐπουράνιον, praeter ipsum nemini cognitum, et quidem eum in finem affert, vt ostendat, Iudaeos sibi fidem denegaturos esse, si talia ἐπουράνια iis tunc temporis patefacere vellet. Et sane doctrina de Messiae morte populi opinionibus de regno Messiano terreno, et Messia nunquam morituro, v. 12, 34. adeo contraria erat, vt, si eam initio muneris publice et aperte proposuisset Iesus, plebis animum ita a se abalienasset, vt nemo eum audiuisset, nemo sectatus esset, quin et ipsi Apostoli, diu ab eo instituti, hanc doctrinam nec percipere, nec ferre poterant. Itaque et cum Nicodemo, praeconceptis opinionibus praepedito, de sua morte loquebatur figurate et obscurius. καὶ καθὼς Μωσῆς ὕψωσε — ἀλλ' ἔχῃ αἰώνιον] *sicuti Moses serpentem extulit in deserto, ita filium hominis (me, Messiam) exaltari oportet, vt quisquis ei fidem habeat, non pereat, sed felicitatem perennem consequatur.* καί redundat. Res ipsa, ad quam h. l. alluditur, enarrata extat Num. 21, 8. 9. vbi v. interpp. Verbum ὑψωθῆναι, vt Hebr. נִשָּׂא, significat, *extolli, ad illustrem dignitatis gradum euchi, e statu humili in statum felicem et gloriosum transferri,* v. Matth. 11, 23. Luc. 1, 52. Act. 13, 17. Matth. 23, 12. Sed hoc idem verbum notat etiam *suspendi*, cum is, qui cruci affigatur, in altum tollatur. Sil. It. 2, 344. *Vidi cum robore pendens*

Hesperiam cruce sublimis spectaret ab alta. Sic Gen. 40, 13. coll. v. 14. 21. verbum נשא notat *extollere* h. e. *e statu infelici ad feliciorem euehere*, sed v. 19. idem verbum נשא commutatur cum verbo תלה *suspendit*. Etiam verbum ܙܩܦ quo Iesum, Syriace loquentem, vsum esse, *Knappius* l. c. suspicatur, Aramaeis significat *attollere*, *eleuare* Ps. 146, 8. 145, 14. et quidem latissimo sensu, sed transfertur etiam a Chaldaeis et Syris ad eos, qui in patibulo vel cruce suspendio plectuntur, vid. Paraphr. Chald. Esth. 7, 11. Vers. Syr. Matth. 20, 19. 23, 34. Haec vero ipsa verbi ambiguitas effecit quoque, vt interpretes in explicando hoc Christi effato variarent. Plerique illud recte interpretantur de morte Iesu in cruce perferenda. Haec interpretatio duobus aliis locis Iohanneis, in quibus de Iesu verbum ὑψωθῆναι adhibitum legitur, apprime conueniens est; nempe Ioh. 12, 32. vbi ὑψοῦν permutatur cum formula ὑψοῦν ἐκ τῆς γῆς, et 8, 28. vbi v. not. Iohannem ipsum etiam h. l. ita formulam ὑψωθῆναι δεῖ intellexisse e v. 16. et 12, 33. patet. Ipsa porro comparatio inter serpentem aeneum suspensum, et Iesum in cruce suspendendum instituta, aptissima est, si de morte violenta, et nominatim de Iesu in crucem erecto cogitamus. Aptissima denique etiam est haec interpretatio orationis seriei, et generi docendi Iesu vsitato. Cum enim de ἐπουρανίοις sermo fuerit in antecedentibus, protulit omnino Iesus his verbis, ostensurus, qualis Messias sit, doctrinam subliniorem, et opinionibus Iudaeorum plane contrariam. Solebat praeterea Iesus saepius, quo auditorum suorum tarditati et segnitiei succurreret, nec eos a se imprudenter abalienaret, doctrinas suas ita tradere, vt vteretur imaginum et similitudinum inuolucris atque integumentis, quo aculeos in animis eorum relinqueret, quo eos excitaret, vt mentis neruos intenderent, et sensim meliora discerent; etiam cum ipsis discipulis suis Iesus de morte sua primo obscurius, successu temporis apertius et saepius disputare solebat. Caeterum

Nicodemus quidem tunc temporis non perſpiciebat, quid Ieſus hac comparatione inſtituta dicere voluiſſet, obſcura ipſi haec eius oratio erat, praeparabatur tamen ea ad illa quae euentura erant; poſt Ieſu mortem atque in vitam reditum huius effati recordabatur, et clarior cognitionis lux ei affulgebat. vid. *Eckermanus* in *theolog. Beyträgen* Th. 1. St. 2. p. 48. et in *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.* ad h. l. *Flattus* Symbolar. ad illuſtranda grauiora quaedam Ieſu dicta in Euang. Ioh. P. 1. p. 9 ſs. Idem in *Süſkindii Magazin für chriſtl. Dogm. u. Moral* St. 12. p. 4 ſq. Itaque improbanda videtur eorum ſententia, qui Ieſum h. l. de ſua in coelum euectione locutum eſſe opinantur, atque hanc in rem prouocant ad Act. 2, 33. 5, 31. vbi verbum ὑψωθῆναι hoc ſenſu occurrat. Sed ibi additum legitur τῇ δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, nec h. l. comparatio inſtituta permittit, vt de Ieſu euectione in coelum cogitemus; obſtat etiam huic interpretationi locus 8, 28. Neque adſtipulari poſſum *Paulo*, qui verbis Chriſti hunc ſenſum tribuit: debet Meſſias πνευματικῶς extolli, eius excelſitas et virtus πνευματικὴ agnoſcenda eſt, ipſum doctorem ſummum haberi monſtrarique oportet, inſigni loco habendus eſt. Nam, vt ſcite monuit *Flattus* l. c. p. 10. „ſi Chriſtus nil aliud quam hoc dicere voluiſſet, nec alius Nicodemo ſe offerre potuiſſet, niſi in vniuerſum hic ſenſus, quid noui et inauditi Chriſtus Nicodemo dixiſſet? Siue enim Ieſum ipſum υἱὸν illum τοῦ ἀνθρώπου, ſiue alium quendam eſſe coniectaret, haud ſane erat quod miraretur, praecipuam dignitatem ei, quem Meſſiae loco conſtituerit Deus, tribuendam eſſe. Si prius ponas, num indignum Meſſiae munere habere potuit eundem, cuius σημεῖα paulo ante tantis extulerat laudibus v. 2.? Si poſterius (Ioh. 12. 34. extr.) ipſi Iudaico magiſtro nonniſi illud ineptum videri poterat, ſe magna grauitatis ſpecie a Chriſto de eo admoneri, de quo nullus vnquam Iudaeus dubitaret, praecipuum ei homini, ad quem Meſſiana prouincia deferretur, honorem eſſe habendum.“ Senſus igitur eſt: vt Iſraelitae quondam aeneo ſerpente

erecto, fidem promiſſis diuinis habentes, ſanitatem recuperarunt, ita, qui Chriſto cruci affixo fidem habent, ſalutem aeternam conſequentur, *Eckermanus* in *Beyträgen* l. c. p. 46. coniicit, fuiſſe illo loco, vbi ſerpens erectus eſſet, a Moſe conſtitutus, qui Φάρμακα aduerſus morſum ſerpentum praeberent, et Iſraelitas hoc ſigno monitos eſſe, vt ſe illuc conferrent, ut his remediis vterentur. Rectiſſime autem á pluribus obſeruatum eſt, ſerpentem illum aeneum non praefiguraſſe mortem Meſſiae, vt voluerunt interpretes antiquiores, neque enim e Num. l. c. probari poteſt, ſerpentem eo conſilio fuiſſe erectum, vt Meſſiae mortem monſtraret, neque vllum in V. T. libris veſtigium deprehenditur, Iudaeos ſerpentem illum typum mortis Meſſiae habuiſſe, nec Ieſus ipſe h. l. illud Moſis inſtitutum typum (realem) mortis ſuae fuiſſe, Nicodemo declarauit. conf. omnino qui pluribus typorum veritatem et vſum impugnarunt: *Rauius* in libro: *Freymüthige Unterſuchung über die Typologie*, Erlang. 1784. 8. *Starckius* In *Hephaeſtion* pag. 101 ſs. add. *Heinrichſii* Exc. 3. in ep. ad Hebr. pag. 236 ſs. — 15. Quodnam mortis ſuae conſilium ſit, his verbis Ieſus declarat: ἵνα πᾶς ὁ πιςεύων κ. τ. λ. Per τὸν πιςεύοντα intelligitur is, qui Chriſtum eiusque doctrinam admittit, et fide amplectitur. Vocula autem πᾶς reſpicitur opinio illa Iudaeorum falſa, nonniſi Iudaeos fieri poſſe regni Meſſiaui ciues, atque participes felicitatis illius ſummae perpetuoque duraturae in regno Meſſiano obtinendae, coll. Ioh. 10, 6.

16. Quae inde a v. 16. leguntur vsque ad v. 21. a Iohanne ipſo propterea addita eſſe, vt Chriſti dicta accuratius et vberius explanaret, recte iudicarunt, praeeunte *Eraſmo*, *Roſenmüllerus* ad h. l. *Schmidtius* l. c. p. 445. *Paulus*, alii. Omnis enim orationis forma, ipſa repetitio verborum, quae v. 15. leguntur, etiam vocabulum μονογενής v. 16. 18. a Chriſto alias non vſurpatum, haud obſcure

docent, Iohannem colloquio Chrifti cum Nicodemo inftituto, cuius nonnifi fummam exhibuit, commentarium quafi annexuiffe, neque adeo hanc fectionem v. 16—21. colloquii illius continuationem continere. Per τὸν κόσμον fignificatur *genus humanum*, non, vt alii volunt, *gens Iudaica*, nam v. 19. pro eo legitur οἱ ἄνθρωποι, coll. 1, 9. Verbum ἔδωκε nonnulli interpretes non ad Chrifti mortem referunt, fed omnino ad legationem ipfius diuinam, ita, vt idem fit quod v. 17. ἀπέστειλον αὐτὸν εἰς τὸν κόσμον, *eum ad homines mifit, hominibus donauit.* At enimuero fic addendum fuiffet αὐτῷ fcl. κόσμῳ, et verbum ἔδωκεν aliis in locis N. T. fimilibus, nonnifi ita occurrit, vt fignificet, *morti tradidit*, *in mortem dedit*, vt adeo idem fit quod παρέδωκεν fcl. θανάτῳ, v. Luc. 22, 19. Gal. 1, 4. Rom. 8, 32. Ioh. 6, 51, atque hoc ipfo fignificatu hoc quoque loco capiendum eft. Qui vero ftatuunt etiam v. 16. Chriftum loquentem induci, ii verbum ἔδωκεν reddere debent: *morti deftinauit*, vt monuit *Storrius üb. den Zweck des Todes Jefu*, quae disf. annexa eft eiusd. commentario in ep. ad Hebr. p. 429. ficuti Act. 15, 26. παραδοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ eft, *morti fe obiicere*, *mori paratum effe*. πᾶς ὁ πιστεύων fiue fit Iudaeus, fiue gentilis.

17. 18. οὐ γὰρ ἀπέστειλεν — ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ] *neque enim propterea Deus filium fuum ad homines ablegauit, vt eos puniret*, (excluderet regno Meffiano, felicitate illius priuaret) *fed vt per eundem feruarentur.* Iudaei exiftimabant, Meffiam venturum, iudicium habiturum, et Iudaeos vnice beaturum effe, omnes reliquas gentes religioni Iudaeorum non addictas, regni Meffiani felicitate exclufum, in tartara detrufum, poenisque grauiffimis ibi affectum iri, v. ad Matth. 25, 31 fq. 3, 2. et *Lightfootus* ad h. l. hanc opinionem peruerfam et iniquam fcriptoris verba fpectant; eam etiam Chriftus in colloquio cum Nicodemo, et alio quoque tempore refpexit, v. 12, 47. 5, 24. Ergo in hac orationis ferie κόσμος primo loco pofitum, de parte homi-

num intelligi debet, nempe *de gentilibus*, fed in fine verfus latiori fenfu accipiendum eft, ita, vt notet, *homines*, *gentiles aeque ac Iudaeos*. Verbum *κρίνειν* fignificat *iudicare*, *reum pronuntiare*, *condemnare*, Rom. 2, 1. Hebr 13, 4. et in verfione feptuagintauirali refpondet verbo דין Gen. 15, 14. Pf. 5, 11. item, *punire*, *fupplicia fumere* Ioh. 18, 31. et ex adiuncto *infelicem reddere*, vnde etiam Auctor Etymol. M. *κρίμα* explicat *κατάκριμα* et *καταδίκη*, et Phauorinus haec habet: *κρίσις, ἡ κόλασις, ὡς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται* (Ioh. 5, 24.) *τουτέστιν οὐ κολάζεται*. Iam h. l. *κρίνειν* opponitur verbo *σώζειν*, fed *σώζειν* indicat *impertire aliquem falute*, et cum h. l. de felicitate futura perenni fermo fit (nam pro *σωθῆναι* v. 16. legitur *ἔχειν ζωὴν αἰώνιον*, cf. etiam v. 36.): explicari debet: *idoneum atque participem aliquem reddere felicitatis regni Meffiani*, *felicitatis perennis*. Itaque *κρίνειν* h. l. eft *punire*, adeoque *miferum reddere*, priuare, excludere regno Meffiano, felicitate alterius vitae perenni. — 18. *Quicunque ei fidem habet*, doctrinam ipfius admittit, vita et factis exprimit v. 19 fs. *non punitur*, *qui vero eum doctrinamque ipfius repudiat*, *is iam punitus eft*, *quoniam vnico Dei filio fidem non praebet*. *οὐ κρίνεται* nempe *ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ* Ioh. 12, 48. non punietur, non infelix erit, non excludetur felicitate perenni, fed *σωθήσεται*, *ὄψεται ζωὴν αἰώνιον*, coll. v. 36. *ἤδη κέκριται*, iam nunc puniti loco habendus eft, perinde eft ac fi dies iudicii veniffet, et punitus, felicitate perenni exclufus effet i. e. certiffime excludetur, mifer erit. *ὄνομα* ex Hebraismo redundat.

19. *αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις — ἢ τὸ φῶς*] *haec enim eft poenae cauffa*, *quod quamquam lux in has terras venit*, *homines tamen luci praeferunt tenebras*. *κρίσις*, משפט, vt nemo non videt, in hac orationis ferie, non *poenam* f. *miferiam ipfam*, fed *poenae*, *miferiae cauffam* denotat, vnde et Chryfoftomus haec verba interpretatus eft: *διὰ τοῦτο κολάζονται, ὅτι σκότος ἀφεῖναι, καὶ φωτὶ προσδραμεῖν οὐκ*

ἠβουλήθησαν. Eſt autem auctor in eo, vt demonſtret, Chriſtum non eſſe auctorem damni et miſeriae multorum, nec ab eius diſciplina cauſſam eſſe repetendam, ſed in hominibus ipſis, Chriſtum eiusque doctrinam ſalutarem repudiantibus culpam haerere. Vocabulum Φῶς frequenter adhibetur in verſione Alexandrina de *doctrina et religione vera*, et in libris N. T. *de doctrina et religione chriſtiana*, et vero etiam *doctorem* notat, vid. ad 1, 4. Ac noſtro quidem loco duplici ſignificatu legitur. Nempe primo loco poſitum, *Chriſtum ipſum*, auctorem et promotorem religionis verae, pietatis et probitatis deſignat, vt 8, 12. 9, 5. 12, 46. ſed altero loco, *doctrinam et diſciplinam* Chriſti indicat, quae errores dispellit, a vitiis auocat, ad virtutis ſtudium impellit et excitat. Oppoſitum σκότος eſt perpetua imago inſcitiae, ſuperſtitionis, impietatis et improbitatis, atque h. l. praeter errores, nominatim Iudaeorum opiniones perverſas de Meſſia eiusque regno, quibus valedicere plurimi nolebant, adeoque Ieſum eiusque doctrinam repudiabant, indicat etiam mores peſſimos, improbitatis ſtudium, vt vltima verſus verba docent. ἠγάπησαν μᾶλλον τὸ σκότος ἢ τὸ Φῶς ex Hebraismo dictum eſt pro, *amant tenebras non lucem*. Solent enim Hebraei negationem exprimere per comparationem, vid ad Luc. 18, 14. *Glaſſius* Phil. S. p. 415. *Noldius* Concordd. Particc. p. 556. et in notis p. 1025. 1026. et *Lampius* ad h. l. Haec eorum peruerſitas, qui lucem veritatis a Chriſto accenſam repudiant, inde a Iohanne deriuatur, *quod mala ſint eorum ſtudia et facinora*, ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα, vitiis ſuis delectantur, morbum ſuum amant. *Koppius*, qui in Diſſ. ſupra laud. cum aliis v. 16 — 21. colloquium Chriſti cum Nicodemo inſtitutum continuari autumat, Ieſum vocabulis σκότος et Φῶς propterea vſum eſſe opinatur, vt indicaret, ſe non ignorare Nicodemum ideo *noctu* veniſſe, vt animi ſui malignitatem tenebrarum vmbris quaſi obuolueret, et clandeſtinis artibus impia conſilia exſequeretur. Sed animum Nicodemi inhoneſtum atque malignum fuiſſe, probari ne-

quit. „Et fi Nicodemus, vtor verbis *Knappii* Opufcc. p. 249. eiusmodi animi prauitatis fibi confcius non erat, ipfi ne in mentem quidem venire potuit, haec, quae generatim et vniuerfe effent enuntiata, in eam fententiam accipere, vt ad fe nominatim fpectarent; cum praefertim Iefus et vocabula *lucis* ac *tenebrarum* etiam alias μεταφορικῶς crebro vfurparet, et in eodem hoc fermone non modo dixiffet v. 20. πᾶς ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, fed fubiunxiffet etiam haec v. 21. ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς κ. τ. λ. Hic ergo fi vir bonus erat, et veritatis amicus, continuo fentire potuit, fe tametfi Iefum (τὸ φῶς v. 19.) *in tenebris* adiiffet, ab illo tamen propterea eorum in numero non haberi, qui *tenebras amantes*, *lucem odiffent*, ideoque *ad eum accedere recufarent*.“ Verum, vt iam fupra ad v. 16. obferuauimus, inde ab illo v. usque ad v. 21. non Chrifti, fed Iohannis verba leguntur.

20. Sententia, quam v. 29. continet, illuftratur verbis, quae tunc temporis in prouerbium abierant, quam in rem exempla e fcriptoribus Iudaicis et Graecis ad h. l. protulerunt *Wolfius*, *Raphelius*, *Kypkius* et *Loefnerus*. πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων, *qui male fentit et agit*, qui fciens et volens peccat, μισεῖ τὸ φῶς, *is deteftatur lucem*, meliorem cognitionem et inftitutionem, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, *non accedit ad lucem*, lucem, meliorem inftitutionem fugit, ab ea alienus eft, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ, *ne malefacta ipfius manifeftentur et reprehendantur*. Ἐλέγχειν notat, *manifeftare*, *oftendere*, *quale quid fit*; Artemidor. Oneirocrit. 1, 68. τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει vid. *Elfnerus* ad h. l. *Fifcherus* ad Anacr. 29. 32. et *Irmifchius* ad Herodi. T. 1. p. 19. hinc etiam *reprehendere*, *caftigare*, vt 1 Tim. 5, 20. et h. l. quidem fignificat *manifeftare*, (nam v. 21. exponitur per φανερωθῇ) atque ex adiuncto, *reprehendere*; et ἔργα pofitum eft pro ἔργα φαῦλα l. πονηρά.

Senſus igitur eſt: Qui vitiis, erroribusque dediti ſunt, Chriſti doctrinam auerſantur et repudiant, quoniam ea ipſorum vitia et errores in lucem profert, et reprehendit, eos ab illis auocat, neque tamen ab his vitiis erroribusque, quibus delectentur vnice, ſeſe abstrahere volunt.

21. Cum ὁ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν opponatur τῷ φαῦλα πράσσοντι, per ſe intelligitur, illud vertendum eſſe, *qui recte ſentire et agere ſtudet, qui eſt virtutis ſtudioſus.* Sic quoque ἀλήθεια legitur Tob. 13, 6. ποιῆσαι ἐνώπιον Θεοῦ ἀλήθειαν. ib. 3, 5. οὐ γὰρ ἐπορεύθημεν ἐν ἀληθείᾳ, *non virtutis probitatisque ſtudioſi fuimus* praeceſſit: οὐκ ἐποιήσαμεν τὰς ἐντολάς σου, *non obſeruauimus tua praecepta.* 1 Cor. 13, 6. ἀλήθεια opponitur τῇ ἀδικίᾳ. add. Prou. 28, 6. ὁ ποιῶν poſitum eſt pro ὁ θέλων ποιεῖν, vid. ad 1, 9. 8, 28. ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, lubenti animo ſe in Chriſti diſciplinam tradit. ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα, *vt conſpicua fiant ipſius opera et ſtudia*, vt religionis chriſtianae luce colluſtretur, vt accuratius edoceatur, quid ſibi faciendum ſit, quo Deo probetur. ὅτι ἐν Θεῷ ἐστιν εἰργασμένα, *nam ratione Dei habita ſentire et agere ſtudet,* ὅτι ἐν Θεῷ ἐργάζεται, ſed ἐν Θεῷ eſt, vt Deo probetur, vt ἐν κυρίῳ 2 Cor. 5, 11. Alii hanc vocem explicant: *praeceptis diuinis conuenienter*, vt ἐν Θεῷ idem valeat quod κατὰ Θεὸν vel κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ 1 Ioh. 5, 14. cum Alexandrini interpretes Hebr. ב etiam exprimere ſoleant particula κατὰ, vt Gen. 1, 26. add. Eph. 4, 17. Col. 3, 16. Senſus idem manet.

22—24. *Poſthaec Ieſus comitantibus diſcipulis ſuis* ex vrbe (nam colloquium cum Nicodemo Hieroſolymis habitum erat, vid. 2, 23.) *in terram Iudaicam abiit.* Ἰουδαία γῆ cum diſtinguatur h. l. ab vrbe Hieroſolyma, indicat regionem Iudaicam extra metropolin, vt Luc. 5, 17. 6, 17. 2 Chron. 20, 17. 18. 36, 23. Eſdr. 2, 1. ſic etiam ארץ diſtinguitur ab עיר Ioſ. 8, 1. vbi legitur: *in poteſtatem tuam dedi regem Ai,* וְאֶת עִירוֹ וְאֶת אַרְצוֹ, quae verba Alexandrini reddiderunt: καὶ τὴν πόλιν αὐτοῦ καὶ

τὴν γῆν αὐτοῦ. Ad διέτριβε, quod verbum in verſione ſeptuagintauirali reſpondet Hebr. ישׁב Leuit. 14, 8. et גור Ier. 35, 7. ſubaudiendum eſt χρόνον, *ibi aliquamdiu commoratus eſt*, de qua ellipſi v. *Wetſtenius* ad h. l. et L. *Boſius* de Ellipſ. h. v. καὶ ἐβάπτιζεν non ipſe, ſed iuſſu et auctoritate ipſius, diſcipuli baptizabant, v. Ioh. 4, 2. ergo ἐβάπτιζεν explicari debet, baptizabat ita, vt vteretur diſcipulorum miniſterio. — 23. ἐν Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλείμ] *baptizabat Aenone prope Salimum.* Eo ſe contulerat Iohannes Baptiſta, non alia, vt videtur, de cauſſa, quam vt pluribus locis officio ſuo fungeretur. Σαλείμ de ſitu huius oppidi nihil certi conſtat, v. *Lampius* ad h. l. auctoribus Euſebio Onomaſt. p. 10. et Hieronymo, erat oppidum prope Scythopolin. Nonnulli oppidum illud in finibus Samariae ſitum fuiſſe putant, et cum שָׁלֵם Gen. 33, 18. conferunt, ſed ibi שלם non eſt nomen proprium vrbis, ſed appellatiuum, ſignificans *ſoſpes*, *ſaluus*, vid. *Michaelis* et *Roſenmüllerus* ad Gen. l. c. nec legitur noſtro loco Σαλήμ, ſed Σαλείμ. *Chemnitius* in Harmon. c. 19. Σαλείμ coniicit fuiſſe oppidum terrae *Schaalim*, שַׁעֲלִים in tribu Beniamin ſitum 1 Sam. 9, 4. *Michaelis* denique ad h. l. Σαλείμ et Αἰνὼν oppida tribus Iudae, שִׁלְחִים וְעַיִן Ioſ. 15, 32. fuiſſe putat. Cum Euangeliſta Iohannem prope Salimum baptizantem oppoſuerit Chriſto in Iudaea baptizanti, haec ipſa oppoſitio docere videtur, diuerſas regiones deſignari, et Salimum extra Iudaeam fuiſſe; cum porro v. 24. notatum ſit, Iohannem tunc nondum in carcerem ab Herode fuiſſe coniectum, nullus autem alius in ſequentibus poſt hunc memoretur locus, vbi Iohannes baptizarit; Iohannes autem haud dubie in Peraea, vbi Herodis aula erat, ab ipſius ſatellitibus prehenſus fuerit, v. Matth. 14, 3. Marc. 6, 17. nam ſi in Iudaea, Pilati prouincia, baptizaſſet, ex illa regione eum abducere et in vincula coniicere non licuiſſet tetrarchae: recte inde colligitur, oppidum Σαλείμ, non cis Iordanem in Iudaea, ſed trans Iordanem in Peraea ſitum fuiſſe, v. ad 1, 28. *Relandi* Palae-

ſtina p. 976. et *Lampius* ad h. l. Αἰνὼν Hebr. עין *fons, riuus*, vtrum oppidi an fontis nomen ſit, incertum eſt. Poſterius praeplacet *Grotio*, *Lampio*, *Paulo*, cum parum probabile ſit, Iohannem, qui ſolitudines amaret, in vrbe aut oppido aliquo baptizaſſe. ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ, *quoniam aquae ibi copia erat*, tanta ſcilicet, vt *Grotius* ad h. l. notauit, in qua facile corpus humanum immergeretur, quo tum more baptismus peragebatur. ὕδατα non *riuos* denotat, ſed *aquae copiam*, vt Apoc. 1, 15. al.

25. ἐγένετο οὖν ζήτησις — περὶ καθαρισμοῦ] *extitit tunc temporis inter diſcipulos Iohannis et Iudaeum, de hoc lauandi ritu disputatio*. Veriſſime *Beza* et *Grotius* ad ἐκ τῶν μαθητῶν ſubintelligendum eſſe praeceperunt τισὶ, cum frequenter in hac formula pronomen τὶς omitti ſoleat, vt Matth. 23, 34. Luc. 11, 49. Apoc. 2, 10. 11, 9. vid. *Storrius* in Obſſ. ad Anal. et Synt. p. 254 ſ. *Boſius* de Ellipſ. p. 475 ſqq. ed. *Schaefer*. et ibi laudatos. Pro Ἰουδαίων plurimi optimae notae codd. patrr. et verſſ. legunt Ἰουδαίου, quae lectio omnino vulgari praeferenda eſt, vt recte iudicarunt *Grotius*, *Hammondus*, *Millius*, *Wetſtenius*, *Griesbachius*. Eſt autem voci Ἰουδαίου cogitando adiiciendum pronomen τινός. *Semlerus* cum *Bentleio* ſuſpicatur legendum eſſe Ἰησοῦ, et e compendio ſcribendi Ιου, librariorum incuria, ortas eſſe lectiones Ἰουδαίου et Ἰουδαίων. Qua tamen coniectura, cui et codices omnes aduerſantur, facile ſuperſedere poſſumus. Per καθαρισμὸν intelligi debet baptismus, nam ſequitur v. 26. οὗτος βαπτίζει. add. 2 Petr. 1, 9. Iohannis autem diſcipuli praeferendum putabant magiſtri baptismum, Chriſti baptismo, cum hic a Iohanne ipſo baptizatus eſſet, et per diſcipulos baptizaret, hinc orta disputatio de baptismo; cum Iudaeo illo, qui haud dubie a Ieſu diſcipulis baptizatus erat, et hunc baptismum Iohannis baptismo anteponebat.

27. ὃς ἦν μετὰ σοῦ qui tecum verſatus, et a te flumine immerſus eſt. πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans Iordanem*

i. e. in Iudaea, vid. ad 1, 28. ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας, quem tua modeſtia perhonorifico elogio ornauit v. 1, 29. 30. 15. De vi et poteſtate formulae μαρτυρεῖν τινι vid. ad Luc. 4, 22. Videntur illi Iohannis diſcipuli, aut parum attenti fuiſſe ad magiſtri de Ieſu teſtimonium, aut illud non ſatis recte intellexiſſe, et putauiſſe Iohannis modeſtiam nimiis laudibus Ieſum extuliſſe. Iohannem igitur maiorem prophetam, quam Ieſum habebant, atque maiores concurſus populi ad Ieſum, quam ad Iohannem, coll. 4, 1. illi inuidebant. πάντες poſitum eſt pro πολλοὶ, vt Matth. 3, 5. 10, 22. al. quo eodem modo etiam Hebr. כל vſurpari ſolet, vt 1 Sam. 19, 8. Pſ. 6, 8. etc. ſed quoniam ex inuidia et ſubirati loquebantur homines illi, hinc hyperbole vtebantur, atque dicebant: πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτὸν, omnes ad eum veniunt, nouitatis ſtudio ducti.

27. 28. Iohannes diſcipulorum errorem corrigens, *nemo*, inquit, *ſibi quicquam vindicare poteſt, niſi ipſi ſit diuinitus conceſſum.* Eſt ſententia vniuerſalis et vſu vulgari trita, qua, vt bene monuit *Tittmanus* Melet. 3. p. 41. hoc declarare voluit; nec ſe ſibi ſumere poſſe, quod Deus non dederit, nec Ieſum quod non a Deo habeat, atque adeo quae ab illo gerantur, contingere volente Deo. Poteſt tamen etiam ſenſus verborum ita conſtitui: Nemini licet (οὐ δύναται *non debet, non decet, non fas eſt*, vt Act. 4, 20. 5, 39.) plus affectare velle honoris, quam ipſi Deus deſtinauerit, debet quisque ea ſorte contentus viuere, quam Deus ipſi aſſignauit. Itaque nec mihi licet improbo conatu, maiorem auctoritatem mihi arrogare, quam Deum mihi conceſſiſſe ſcio. λαμβάνειν, *ſibi aliquid arrogare, ſumere,* vt Hebr. 5, 4. ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *a Deo*, vid. not. ad Matth. 3, 2. 21, 25. Luc. 15, 18. — 28. αὐτοὶ ὑμεῖς μοι μαρτυρεῖτε κ. τ. λ.] *nos ipſi fateri debetis me dixiſſe, me ipſum non eſſe Meſſiam, ſed illius praecurſorem,* adeoque eo longe inferiorem, miſſum vt homines ad rite excipiendum Meſſiam praepararem, Matth. 3, 3. Ioh. 1, 20. 23.

29. 30. ὁ ἔχων τὴν νύμφην, νυμφίος ἐςίν] *qui sponsam habet, sponsus est*, sponsus in nuptiis est persona princeps, primum locum obtinet. Exemplo e vita communi depromto Iohannes Baptista ostendit, quale inter ipsum et Christum discrimen intercedat. Se ipsum comparat cum paranympho, Christum cum sponso; quocum ipse Christus se quoque comparauit, vt patet e locis Matth. 9, 15. 25, 1. Scilicet ὁ φίλος τοῦ νυμφίου est sponsi socius, ei peculiariter addictus, qui Graecis dicebatur παρανυμφίος Matth. 9, 15. υἱὸς τοῦ νυμφῶνος, Hebr. שׁוֹשְׁבִין *filius laetitiae*. Paranymphi apud Hebraeos amico sponsam procurabant, de forma et virtutibus ipsius testimonium ferebant, erant mediatores inter sponsum et sponsam, et internuntii, si sponsus ad sponsam, vel haec ad illum quaedam perferri vellet, erant comites sponsi sponsam ad celebrandas nuptias in domum suam abducentis, consulere etiam debebant honori sponsae, et virginitatem illius defendere a conuitiis aliorum, adeoque cauere etiam, ne fraus committeretur, respectu signi virginitatis. vid. *Schoettgenius* in Horr. Hebrr. ad h. l. *Lightfootus* Horr. Hebrr. et Talmudd. ad Ioh. 2, 1. *Seldenus* de Vxor. Hebr. 2, 16. interpp. ad Matth. 25, 1. Iudd. 14, 11. *Ketuvoth* fol. 12. 1. *Olim in Iudaea duos paranymphos* (שׁוֹשְׁבִינִים) *constituebant, vnum sponso, alterum sponsae, vt illis ministrarent, quando in Chuppam* (חֻפָּה conclaue, in quo est lectus coniugalis) *ingrediuntur: sed in Galilaea tale quid non obseruatum est. In Iudaea paranymphi in eodem conclaui cum sponso et sponsa dormiebant, sed in Galilaea id non obseruatum est.* — *Ketuvoth* Ioh. 25, 1. *Olim in Iudaea paranymphi perscrutati sunt locum sponsi et sponsae, id quod in Galilaea fieri non solebat.* Ratio additur in *Tosephoth* ad fol. 12. 1. *ad scrutandum et officiose obseruandum ea, quae sponsi illa nocte fecerint. Ne scilicet alter alteri dolo damnum inferat: ne sponsus, etiamsi sanguinem virginitatis agnoscat, illum celet aut tollat: et ne sponsa pannum sanguine tinctum secum inferat.* De paranymphis Graecorum Pollux 3, 41. haec affert: καλεῖται τις τῶν τοῦ

νυμφίου φίλων καὶ θυρωρὸς, ὁ ταῖς θύραις (cubiculi nuptialis) ἐφεστηκὼς κ. τ. λ. καὶ εἴργων τὰς γυναῖκας βοηθεῖν τῇ νύμφῃ βοώσῃ. Paſſim etiam in more poſitum erat, vt paranymphi, vna cum propinquis ſponſi et ſponſae adſtarent cubiculi foribus, vt, concubitu peracto, cum ſponſus arceſſiuiſſet anum, quae aufferret linteum cruentatum, ipſi virginitatis ſignum viderent et agnoſcerent. v. *Warnekroſii Hebr. Alterthümer* p. 291. *Michaelis Moſ. Recht* Th. 2. §. 92. *Iahnii Hebr. Alterthümer* Th. 1. B. 2. §. 179. Ad hoc igitur paranymphi officium Iohannem reſpexiſſe, interpretes haud pauci exiſtimant. Praecipiunt participio ἑστηκὼς cogitando adiiciendum eſſe ἐπὶ τῇ θύρᾳ, et ſenſum ita conſtituendum eſſe dictitant: paranymphus cubiculi foribus adſtat, et aurem praebet, vt audiat vocem ſponſi laetabundi (φωνὴν), arceſſentis feminam, quae linteum cruentatum auferat. hac voce audita vna cum ſponſo laetatur, et viſo virginitatis ſigno, paranymphi officium peractum eſt; ſic et ego laetor, Chriſto omnia bene cedere, et lubens a mea prouincia abeo. vid. *Michaelis*, *Langius*, *Paulus* ad h. l. Sed haec interpretatio nimis longe petita et parum apta videtur; nec laetabatur paranymphus de ſponſo anum in conclaue obſcurum (v. *Michaelis* ad h. l.) arceſſente, vt illa linteum auferret, ſed de reperto virginitatis ſigno, et, vt ſupra vidimus, non erat vbiuis in more poſitum, vt paranymphi adhiberentur, cum ſponſus et ſponſa in conclaue nuptiale ingrederentur. Hinc alii, vt *Eckermanus in Erklärung aller dunkeln Stellen* ad h. l., cogitant de paranympho miniſtrante ſponſo, atque animo laeto iuſſa et mandata ſponſi peragente. Ex horum ſententia φωνὴ denotat, *iuſſum, mandatum*, ἀκούειν *obtemperare, dicto audientem eſſe*, vt Act. 3, 22, v. *Schleuſneri* Lex. h. v. atque στῆναι *miniſtrare*, vt Hebr. עמד Gen. 41, 46. Deut. 1, 38. Zach. 7, 7. Sed neque ſic ſatis apta comparatio inſtituta eſſet, cum Chriſtus non dederit Iohanni mandata. Equidem adſtipulor interpretibus iis, qui imaginem petitam eſſe putant a paranympho, qui poſtquam

nuptias conciliauit, ſponſo, qui cum ſponſa conuenit, adſtat, auſcultat, et ſummam ex ſermonibus (φωνῇ vid. *Schleuſnerus* h. v.) ſponſi, amici ſui, voluptatem percipit, vt adeo ſenſus verborum Iohannis ſit: ego, Meſſiae praecurſor, comparandus ſum paranympho, ei, qui ſponſus eſt, inferiori, populus a me ad Meſſiae aduentum praeparandus erat (praeceſſit v. 28. *ἀπεσταλμένος εἰμὶ ἔμπροσθεν ἐκείνου*), et ſicuti paranymphus ſponſo ſponſam tradit, ſic a me Meſſiae curae et prouidentiae tradendus atque committendus populus erat; quare impenſe laetor Ieſum Meſſiam adueniſſe, eum doctorem populi ſummum prodiiſſe, et quotidie plures ſectatores nanciſci, tantum abeſt, vt ei inuideam, vt potius de eo florente et magis magisque inclareſcente gaudeam. *χαρᾷ χαίρει, vehementer laetatur,* vid. ad Matth. 2, 10. *αὕτη ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται, hoc gaudium ſummum mihi contigit. χαρὰ πεπληρωμένη, laetitia perfecta, ſumma, limpidiſſima;* locutio Iohanni Apoſtolo ſolennis ac propria, vid. 15, 11. 16, 24. 17, 13. — 30. *ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι*] *ipſius auctoritas magis magisque apud omnes creſcere debet, mea vero decreſcere,* mea porro auctoritate non opus eſt, lubens mea prouincia abeo. *αὐξάνειν, creſcere,* auctoritate et fama, diſcipulorum copia. Sic *αὐξάνειν* de iis, quorum auctoritas augetur et illuſtratur, adhibitum extat in verſione ſeptuagintauirali Ioſ. 4, 14. *ηὔξησε κύριος τὸν Ἰησοῦν ἐναντίον παντὸς τοῦ Ἰσραήλ,* vbi tranſitiue legitur et verbum *ἐλαττοῦσθαι* de iis, quorum nomen minuitur, obſcuratur, occurrit ap. Ioſeph. Ant. 7, 1, 1. Ioabus *δείσας μὴ τὸν μὲν ἐν τιμῇ καὶ τῇ πρώτῃ ποιήσηται τάξει — αὐτὸς δ' ἐλαττωθείη καὶ τῆς στρατηγίας ἀφαιρεθείη, veritus ne Dauides Abnerum praecipuo dignitatis loco haberet, ipſe autem ſuae dignitatis, auctoritatisque deminutionem pateretur, exercitusque imperium amitteret.* Exempla alia plura congeſſerunt *Palairetus, Münthius, Loeſnerus* ad h. l. add. *Sturzii* Lex. Xenoph.

fub v. *αὐξάνειν* et *Schleufneri* Spicileg. poft Bielium p. 20 fq.

31. 32. Pergit Euangelifta: Veriffime iudicauit Iohannes, *nam qui de coelo venit, omnes antecellit, qui terrenam originem habet, terrenus eft, ac terrena tradit. Qui de coelo venit, omnibus maior eft, tradit enim ea, quae vidit et audiuit, fed pauci doctrinam eius amplectuntur.* Disfentiunt interpretes, de auctore fermonis, qui iam inde a v. 31 — fin. fequitur; ac plerique Iohannis Baptiftae orationem continuatam effe ftatuunt. Mihi praeferenda videtur *Wetftenii* et *Bengelii* fententia, qui inde a v. 31. Euangeliftam fuum iudicium adiecifſe exiftimant. Omnis enim orationis forma Iohannem Apoftolum auctorem prodit; eadem fere argumentandi ratione, qua hoc loco, etiam alias vfus eft, v. 1 ep. 1, 10. 5, 10. coll. h. l. v. 33. et aperte refpexit verba Chrifti, quae leguntur 3, 13. 11. *ὁ ἄνωθέν ἐρχόμενος, qui de coelo venit, ἄνωθεν,* מִמַּעַל id. qd. fequens *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ὃς ἦν πρὸς τὸν Θεὸν* 1, 1. 2. neque haec formula *folam* legationis diuinae notionem inuoluit, fed innuit etiam coeleftem Chrifti originem, eiusque praeexiftentiam, vid. fupra ad v. 14. Nam Euangelifta in eo eft, vt oftendat, Chriftum omnes prophetas reliquos, etiam Baptiftam ipfum, coll. v. 29. 30. praeftantia et dignitate longe maximeque fuperare, fed Baptifta ipfe quoque doctor prodierat a Deo excitatus, Dei legatus v. 1, 33. et opponitur *ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, qui terrenam habet originem, merus homo,* cf. et 6, 33. 8, 23. *ἐκ τῆς γῆς ἐστι* fignificat incommodum, quod terrenam originem fequitur, viliorem conditionem indicat, nam formula huic contraria eft *ἐπάνω πάντων ἐστι.* Iam cum Chriftus h. l. fpectetur tanquam doctor, et opponatur Iohanni Baptiftae aliisque prophetis: haec his verbis fententia ineft: merus homo nulla fingulari, ipfi plane propria rerum diuinarum fcientia imbutus eft, non habet cognita arcana Dei confilia (*τὰ ἐπουράνια* v. 13.), praeditus eft exigua rerum diuinarum fcientia, rerum coeleftium non aeque confcius eft, quam e coelo

profectus, cui Deus οὐκ ἐκ μέτρου δίδωσι v. 34. καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, *terrena docet*, manca et imperfecta eſt eius doctrina. Opponitur: ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος — ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, τοῦτο μαρτυρεῖ, rerum diuinarum et coeleſtium plena et accurata ſcientia inſtructus eſt v. 11. τὰ ἐπουράνια arcana Dei conſilia cognita habet atque perſpecta v. 12. 13. adeoque doctrinam perfectiſſimam tradit 1, 18. ἐπάνω πάντων ἐστὶν praeſtantia et dignitate quoad originem, ſcientiam atque doctrinam, Iohannem omnesque prophetas antecellit. Oratio affectus plena, hinc repetiit ſcriptor v. 31. extr. verba ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος κ. τ. λ. et v. 32. addidit καὶ τὴν μαρτυρίαν αὐτοῦ οὐδεὶς λαμβάνει, vbi οὐδεὶς explicari debet, *pauci*, doctrinam eius admittunt, πιστεύουσι, παραλαμβάνουσι 1, 11. ſic πάντες v. 26. *multi*. Senſus ergo eſt: Chriſtus eſt omnibus prophetis, et ipſi Iohanni longe praeferendus, doctrina eius perfectiſſima eſt, Iohannis prophetarumque imperfecta erat, pauci tamen proh dolor! doctrinam ipſius fide amplectuntur.

33. ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν, ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστιν] *qui eius doctrinam admittit, eo ipſo confirmat Deum eſſe veracem*, nam ſuscipit Chriſti doctrinam, quia eam a Deo profectam adeoque veram exiſtimat, ergo dum eam admittit, profitetur atque declarat, ſe Deum veracem habere. Alii explicant verba noſtra: qui Chriſti doctrinam amplectitur, eo ipſo confirmat et profitetur, Deum praeſtitiſſe ea, quae promiſit, ſtetiſſe promiſſis de Chriſto mittendo. Quam explicationem probarem, ſi non v. 34. (τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ) qui cum noſtro accurate cohaeret, explicationem priorem commendaret. ἐσφράγισεν, *confirmat, probat*. Nempe σφραγὶς notat *obſignationem*. Bel. Dracon. v. 21. σῶοι αἱ σφραγῖδες τοῦ Δανιήλ· etiam *annulum obſignatorium*. Sir. 49, 11. καὶ αὐτὸς ὡς σφραγὶς ἐπὶ δεξιᾶς χειρὸς, *ille vt annulus obſignatorius in manu dextra* i. e. Deo eſt longe cariſſimum. Schol. ad Sophocl. Electr. 1226. σφραγῖδα πατρός· δακτύλιον. Heſychius:

σφραγῖδες· αἱ ἐπὶ τῶν δακτυλίων, vid. *Salmasius* ad Lamprid. p. 211. hinc σφραγίζειν et κατασφραγίζειν proprie notant: *obsignare*, *sigillum imprimere*. Bel. Dracon. v. 14. καὶ σφράγισον τῷ δακτυλίῳ σου, *obsigna annulo tuo*. Tob. 7, 16. ἔγραψε συγγραφὴν καὶ ἐσφραγίσατο. Iam quoniam sigillo imposito, aliquid ab omni fraude liberum, certum et firmum redditur: verbum σφραγίζειν per metaphoram notat *confirmare*, vt h. l. Ephes. 1, 13. 2 Cor. 1, 22. *in tuto aliquid collocare*, *certum reddere aliquid*. Sap. 2, 5. ὅτι κατεσφραγίσθη, καὶ οὐδεὶς ἀναστρέφει, *certum est, neminem ab inferis redire*, hinc εἰς σφραγῖδα Rom. 4, 11. id. qd. εἰς βεβαίωσιν, vt 1 Cor. 9, 2. 2 Tim. 2, 19. Etiam verbum ἐπισφραγίζεσθαι apud Philonem saepius eo sensu legi, vt sit *confirmare*, *comprobare*, exemplis pluribus ad h. l. demonstrauit *Loesnerus*. Caeterum male *Heumanus* verba huius v. interpretatus est: *Is* (nempe Baptista) *qui testimonium de illo* (np. de Christo) *accepit* (v. Matth. 3, 17. Ioh. 1, 33.), *confirmatus est in animo suo*. Docte et accurate eum refutauit *Kypkius* ad h. l. cuius tamen noua explicatio aeque inepta et ab hoc loco aliena est. Vertit: *et testimonium eius nemo suscipit, qui vero suscepit, is obsignauit, quod Deus verax sit*. Mentem Iohannis Baptistae (hunc enim loquentem induci opinatur) hanc fuisse statuit: *non obstante summa personae Christi eminentia, doctrinaeque illius praestantia et certitudine, nemo fere reperitur, qui munus illud in se suscipiat, de illo diuinaque eius origine et missione publicum dicendi testimonium; nondum habet ille μάρτυρας αὐτοῦ, siue μαρτυροῦντας περὶ ἑαυτοῦ, vti postea* Act. 1, 8. Ioh. 15, 26 sq. His Baptistam semetipsum opponere putat *Kypkius*, verbis: *qui suscepit testimonium eius*.

34. *Nam ille, quem Deus misit* (ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος v. 31.), *Dei verba eloquitur*, doctrinam diuinam perfectissimam, ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε v. 31. tradit. Indefinita quidem est oratio, sed quae praecesserunt, et quae sequuntur, sat luculenter docent, esse sermonem de Christo. οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσι ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα] *Deus enim non modice tri-*

buit ei ſpiritum. Per πνεῦμα intelligunt dotes diuinas, dotes, quibus Deus doctores, legatosque ſuos inſtruit. Nempe v. 33. ſermo eſt de doctrina Chriſti, et ipſe comparatur in hac ſectione a Iohanne Apoſtolo cum aliis doctoribus diuinis, Iohanne Baptiſta et prophetis, dicitur v. 32. docuiſſe ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, ſupra v. 13. de eo legitur ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, praeceſſit h. l. τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ, et iam ſequitur: δίδωσι (ſcl. αὐτῷ) ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα. In hac ergo orationis ſerie πνεῦμα indicat: *ſcientiam Dei conſiliorum*, τῶν ἐπουρανίων, *rerum diuinarum;* hanc ſcientiam non ἐκ μέτρου δίδωσι αὐτῷ ὁ Θεὸς, Deus ei non parce tribuit, vt Iohanni Baptiſtae, caeterisque prophetis, eſt omnibus prophetis praeſtantior, pleniſſima rerum diuinarum ſcientia inſtructus, doctor perfectiſſimus. Rabbinorum ſententias ſimiles allegauit ad h. l. *Wetſtenius*. *Vajikra* R. Sect. 15. f. 158. 2. *Dixit R. Acha: etiam Spiritus Sanctus non habitauit ſuper prophetis*, niſi ex menſura. *Etiam lex, quae coelitus promulgata eſt, nemini datur* niſi ex menſura. *Sunt enim qui digni habiti ſint, vt intelligant textum, alii Miſchnam, alii Gemaram* וְיֵשׁ זוֹכֶה לְכוּלָּן *et eſt qui ſit idoneus omnibus*. Similem quoque locum attulit *Raphelius* e Xenoph. Sympoſ. 4, 43. Σωκράτης δὲ γὰρ οὗτος, παρ' οὗ ἐγὼ τοῦτο ἐκτησάμην, οὔτ' ἀριθμῷ, οὔτε ςαθμῷ ἐπήρκει μοι, ἀλλ' ὁπόσον ἐδυνάμην Φέρεσθαι, τοσοῦτον μοι παρεδίδου, *nam Socrates hic, a quo has (diuitias) ſum conſecutus, neque numero, neque pondere* (i. e. parce) *mihi eas ſuppeditabat, ſed dabat mihi tantum, quantum ferre poteram.* ἐκ μέτρου id. qd. μετρίως Act. 20, 12. *parce, modice*; ἐν μέτρῳ Iudith. 7, 21.

35. 36. *Sed quoniam pater filium amat, propterea ei omnia largitus eſt. Quare qui filio fidem habet, felicitatem aeternam conſequetur, contra qui ei fidem denegat, non erit illius particeps, ſed poenis diuinis obnoxius manebit.* ἀγαπᾷ τὸν υἱὸν, eſt ἀγαπητὸς, μονογενὴς υἱὸς, hinc omnibus

prophetis fuperior, hinc Deus *πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ*. Sunt, qui haec verba explicent: *rerum omnium poteſtatem tradidit.* Sed erat hactenus de Chriſto doctore fermo; praeceſſerat, Deum dediſſe ei *τὸ πνεῦμα*, et quidem non *ἐκ μέτρου*, eum *λαλεῖν τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ*, et haec ipfa dicuntur h. l. *τὰ πάντα*. Senfus ergo eſt: tradidit ei pater omnes doctrinae fuae partes, pleniſſime eum inſtituit; eſt igitur doctor perfectiſſimus. Haec eadem fententia Matth. 11, 27. expreſſa legitur verbis his: *πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου*, vbi v. not. *ἐν τῇ χειρὶ* id. qd. *εἰς τὴν χεῖρα* h. e. *αὐτῷ*, de qua Hebraica loquendi ratione v. *Vorſtius* de Hebraism. N. T. p. 362. ed. *Fiſch.* *ὁ πιςεύων εἰς αὐτὸν* qui eum pro Meſſia habet, eiusque doctrinam amplectitur. *ἔχει* cum fequatur *ὄψεται*, poſitum eſt pro *ἕξει*. Saepius praefens vim futuri habet, vt 6, 53. 5, 24. 9, 4. 16, 2. 12, 8. *οὐκ ὄψεται ζωὴν* ex Hebraica ratione idem valet quod *οὐ ζήσεται*, *non erit particeps felicitatis perennis*, v. *Vorſtius* l. c. p. 716. *ὀργὴ τοῦ Θεοῦ*, de *poenis diuinis* frequens vt Rom. 1, 18. 9, 22. al. *μένει ἐπ᾽ αὐτὸν*, *obnoxius poenis manebit*, non felix eſſe poterit, fed perpetuo infelix erit. Sap. 18, 20. *ἀλλ᾽ οὐκ ἐπὶ, πολὺ ἔμεινεν ἡ ὀργὴ*, *non diu locum habebant poenae.* Pro *μένει* in nonnullis libris ex interpretamento legitur *μενεῖ*.

CAPVT IV.

1 — 3 *Cum autem Dominus cognouisset, Pharisaeos audiuisse, ipsum plures discipulos, etiam per sacrum fontem initiando facere, quam Iohannem (etsi non ipse Iesus, sed per discipulos baptismate initiaret), relicta Iudaea in Galilaeam rediit.* κύριος nomen honoris, saepius id. qd. διδάσκαλος, vt h. l. vid. ad Matth. 21, 3. Φαρισαῖοι synedri e secta Pharisaeorum, vid. ad 1, 24. ἤκουσαν cum indignatione audiuerant. ὁ Ἰωάννης Iohannes tunc temporis iam ab Herode in carcerem coniectus erat, v. ad Matth. 4, 12. E secta Pharisaeorum, qui bene animati erant, Iohanni fauebant, eumque magni aestimabant, inprimis propterea, quoniam non repudiabat disciplinam antiquam et seueram Pharisaeorum, et instituta cerimonialia, lotiones, ieiunia etc. vid. Matth. 9, 14 sqq. 15, 2 ss. hi ergo aegre ferebant, famam Iohannis obscurari a Iesu, qui parum illis institutis Pharisaeorum tribueret, eorumque traditiones contemneret. Plerique autem doctorum Iudaicorum e secta Pharisaeorum, etsi Iohannis virtutes et laudes detrectare non auderent, cum magna apud populum auctoritate floreret, clandestino tamen eum odio persequebantur, quoniam ipsis, sanctitatis opinione et fama superbientibus, in sermonibus suis non pepercerat, v. Matth. 3, 7. et ab ipsis in se conuerterat studia populi, cum sibi potius discipulos adiungi vellent, v. Matth. 23, 7. 15. Hi ergo laetabantur, Iohannem in vincula esse coniectum, atque inuidia in Iesum exardescebant, cum viderent numerum sectatorum ipsius quotidie augeri, adeoque metuerent, ne per eum tandem omni auctoritate priuarentur. Nomen Ἰησοῦς loco pronominis αὐτὸς positum est ex Hebraismo, vt Ἡρώδης Luc. 3, 19. vid. *Storrii* Obss. ad Anal. et Synt. Hebr. p. 106 ss. 405. neque tamen hanc loquendi rationem scripto-

ribus Graecis insolentem esse, docuit *Münthius* ad h. l. βαπτίζει Iesum baptizare dicebant, quoniam ipsius disci-puli eo iubente, eiusque auctoritate baptismum administra-bant. E Chrysostomi sententia Homil. in Ioh. 31. ii, a quibus hac de re Iudaeorum principibus e secta Pharisaeo-rum renuntiatum erat, mentiti erant, et vt rei inuidiam augerent, dixerant, Iesum ipsum baptismo initiare. — 2. Ἰησοῦς οὐκ ἐβάπτιζεν] Iesus non baptizabat, quoniam munus docendi grauius erat et discipuli munere baptizandi aeque bene perfungi poterant; neque vna cum discipulis baptizabat, ne inter sectatores suos dissidia orirentur et rixae excitarentur ab iis, qui magistri baptismum discipu-lorum baptismo praeferrent, vid. 1 Cor. 1, 17. cf. et *Eisenlohr historische Bemerkungen über die Taufe* p. 30 ss. — 3. ἀφῆκε τὴν Ἰουδαίαν, καὶ ἀπῆλθε πάλιν εἰς τὴν Γαλι-λαίαν] Iudaeam iactis ibi doctrinae suae rudimentis relin-quebat, et prudenter sese subducebat Pharisaeis, violentas manus in eum iniicere paratis, vt inuidiae caussam prae-scinderet, et quoniam sciebat, nondum tempus moriendi adesse. Discessit autem in Galilaeam, quoniam ibi non tanta erat Pharisaeorum auctoritas, v. Marc. 3, 6. quanta Hierosolymis, cum potiorem synedrii magni partem Phari-saei absoluerent. πάλιν vid. ad Matth. 4, 12.

4. ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας] *Opor-tebat eum Samaritanam regionem transire.* Via per Sama-riam breuior et frequentior erat, quare iis, qui ex Iudaea, et inprimis Hierosolymis in Galilaeam, aut hinc in Iudaeam et Hierosolymas profecturi essent, necessitas quodammodo imposita erat, per Samariam itineris faciendi. Ioseph. in vitae suae descriptione §. 52. πάντως ἔδει τοὺς ταχὺ βου-λομένους ἀπελθεῖν, δι᾽ ἐκείνης πορεύεσθαι· τρισὶ γὰρ ἡμέ-ραις ἀπὸ Γαλιλαίας ἔνεστιν οὕτως εἰς Ἱεροσόλυμα καταλῦσαι, *omnino necesse erat, volentibus celeriter Hierosolyma proficisci, per Samariam transire, sic enim tribus diebus e Galilaea Hierosolyma peruenitur.* Cf. et not. ad Luc. 17, 11.

5. ἔρχεται οὖν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας λεγομένην Σιχὰρ] *venit igitur ad vrbem Samaritanam nomine Sichar.* Cum Chriſtus, vt v. 6. legitur, extra vrbem conſederit, atque diſcipuli v. 8. dicantur vrbem ingreſſi eſſe, et ex ea regreſſi, magiſtrum cum muliere Samaritana colloquentem reperiſſe: patet praepoſitionem εἰς non reddi poſſe h. l. *in*, ſed exprimendam eſſe *ad*, *verſus vrbem*, vt adeo εἰς ſit id. qd. πρὸς, quae quidem harum particularum permutatio, aliis quoque in locis frequenter recurrit, vid. ad Matth. 15, 21. Σιχὰρ, ſiue vt in pluribus codd. legitur, Συχὰρ, quam lectionem etiam *Millius*, *Bengelius*, *Griesbachius*, *Matthaeius*, probarunt atque in ordinem receperunt, eſt eadem vrbs, quae שְׁכֶם dicta eſt, Gen. 33, 18. Ioſ. 20, 7. Συχὲμ, Σίκιμα, poſtea *Neapolis*; hodie pagus eſt, *Naploſa* dictus. Sita erat haec vrbs inter montes *Garizim* et *Ebal*, in planitie multis fontibus irrigua, vid. Iudd. 9, 7. Ioſeph. Ant. 5, 7. 2. τὸ ὄρος τὸ Γαριζεὶν ὑπέρκειται τῆς Σικίμων πόλεως. 4, 8. 45. οὐ πόῤῥω τῆς Σικίμων πόλεως, μεταξὺ δυοῖν ὀροῖν, Γαριζαίου μὲν τοῦ ἐκ δεξιῶν κειμένου, τοῦ δὲ ἐκ λαιῶν Γιβάλου (עֵיבָל) προςαγορευομένου. 11, 8. 6. Σαμαρεῖται μετρόπολιν τότε (tempore Alexandri M.) ἔχοντες, κειμένην πρὸς τῷ Γαριζεὶν ὄρει καὶ κατῳκημένην ὑπὸ τῶν ἀποστατῶν τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους. Recte autem monuerunt interpretes, vrbem Samaritanorum ab initio appellatam Sichem, haud dubie a Iudaeis per ludibrium dictam fuiſſe Συχάρ. Ac *Lightfootus* quidem, in Chorograph. Iohanni praemiſſa c. 4. §. 7. ſuſpicatur, Iudaeos nomen vrbis mutaſſe in Συχὰρ, vt Samaritanos tanquam *ebrioſos* notarent, eosque reſpexiſſe putat locum Ieſ. 28, 1. vbi Ephraimitae, quorum metropolis tunc Samaria erat, cum temulentis comparantur, שִׁכּוֹרֵי אֶפְרַיִם add. ibid. v. 7. Probabilior tamen videtur *Relandi* coniectura, qui Diſſ. Miſcell. P. 1. Diſſ. 3. p. 141. vrbem Sichem a Iudaeis per conuicium, tanquam vrbem idola colentem, Συχὰρ nuncupatam fuiſſe ſtatuit, a שֶׁקֶר quod *mendacium* et *idolum* indicat, vt Habac. 2, 18. vbi idolum ſculptum nominatur מוֹרֵה שָׁקֶר.

Iudaeos enim odio et inuidia ductos Samaritanis idolorum cultum exprobrasse, eosque idololatras dixisse, (licet a Manassis pontificis temporibus idolorum cultus ex eorum ciuitate prorsus exterminatus esset, vid. ad v. 9.) docet locus Sirac. 50, 26. vbi Samaritani dicuntur ὁ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις, sed μωρὸς non tantum *vesanum*, *insipientem*, verum etiam *Dei contemtorem*, *idolorum cultorem* significat, vid. ad Matth. 5, 21. cf. praeterea *Schoettgenius* Hor. Hebrr. ad v. 22. et infra ad v. 9. not. Vsus autem est Iohannes nomine Συχὰρ, vtpote inter Iudaeos tunc temporis maxime vsitato, iisque notissimo, non quod ipse quoque Samaritanis infensus esset. πλησίον τοῦ χωρίου ὃ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ] *vicinam agro, quem Iacobus Iosepho filio suo donarat*. Laudant Gen. 33, 19. Ios. 24, 32. Gen. 48, 22. Priori loco Iacobus perhibetur agrum in vicinia oppidi Sichem situm, a Sichemi nepotibus emisse; et Ios. l. c. legimus, Iosephum in illo agro fuisse sepultum, illumque agrum ipsius posteris haereditate cessisse. Sed Gen. 48, 22. Iacobus moribundus, ita loquens inducitur: *Ego tibi* (Iosephum alloquitur) *destinaui partem terrae prae fratribus tuis, quam Amoritis armata manu eripui.* Hic ipse locus haud dubie h. l. respicitur. Sed Alexandrini interpretes verba Hebraica ibi hunc in modum reddiderunt: ἐγὼ δὲ δίδωμί σοι Σίκιμα ἐξαίρετον ὑπὲρ τοὺς ἀδελφούς σου. Hebraicum ergo שכם pro nomine proprio vrbis *Sichem* habuerunt. Verum huic interpretationi obstat, quod *filii Iacobi*, *vrbem Sichem*, non *Amoritis*, sed *Heuitis* (Sichemus erat Heuita, v. Gen. 34, 2.) eripuerunt, cf. Gen. 34, 25. inscio et inuito patre, vid. Gen. l. c. v. 30. praeterea parum probabile est Iacobum Gen. 48, 22. sibi filiorum facinus adscripsisse, quod ipse tantopere improbauerit et detestatus sit, v. Gen. 34, 30, 49, 5. 6. Recte igitur *Rosenmüllerus* in Scholiis ad Gen. 48, 22. et *Henslerus* in *Bemerkungen über Stellen in den Psalmen u. d. Genesis* p. 412 sqq. aliique, שכם Gen. l. c. pro nomine appellatiuo habendum esse contendunt, illud-

que explicant *pars*, *portio*. Etiam interpres Vulgatus verba Hebraica expreſſit: *do tibi partem vnam extra fratres tuos*. Per hanc autem partem f. portionem, intelligendum eſſe arbitror agrum illum Sichemo adiacentem, quem Iacobus emerat Gen. 33, 19. Etenim nec hoc Iohannis loco de vrbe Sichem ſermo eſt, ſed ab vrbe diſerte diſtinguitur χωρίον Ioſepho datum. Faciliima autem locos Gen. 33, 19. et 48, 22. conciliandi ratio ea videtur, quam *Lampius*, *Ruſius*, aliique ſecuti ſunt. Poſt Iacobi diſceſſum e tractu Sichemitico, Amoritae vicini, agrum a Iacobo emtum occuparunt, quibus, Iacobus reuerſus, eum armata manu eripuit. Pro ὃ ἔδωκεν auctoritate optimorum codd. *Griesbachius* recte reſcripſit οὗ, quae lectio exquiſitior eſt. Eadem ſtructura infra v. 14. deprehenditur. Cf. de ea not. ad Marc. 7, 13.

6. ἦν δὲ ἐκεῖ πηγὴ τοῦ Ἰακώβ] *erat ibi*, in agro illo, *puteus Iacobi* h. e. puteus, quem traditio et fama ferebat Iacobum fodiſſe atque aperuiſſe, nam ex ipſis V. T. libris non conſtat, a Iacobo ibi puteum fuiſſe effoſſum. Sermo tamen eſt h. l. de ea re, tanquam ſatis nota, et extra omnem controuerſiam poſita. Hodieque peregrinantibus puteus ad auſtrum vrbis ſitus oſtenditur, vid. *Paulus* in *Sammlung merkwürdiger Reiſen in den Orient*, Th. 1. p. 273. ὁ οὖν Ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, ἐκαθίζετο οὕτως ἐπὶ τῇ πηγῇ] *ad quem Ieſus ex itinere feſſus conſedit*. In explicanda voce οὕτως mirum in modum interpretes inter ſe disſident. Nonnulli eam vertunt, *ideo*, *hanc ob cauſſam*, cum οὕτως in verſione Alexandrina etiam reſpondeat Hebr. לכן, v. Ieſ. 16, 7. ſic *Beza*, et *Wakefieldius* in Silua Crit. P. 1. p. 50. alii, *poſtea*, vid. *Albertius* et *Münthius* ad h. l. *Perizonius* ad Aelian. H. V. 1, 16, extr. rurſus alii οὕτως idem ſignificare putant, quod ὡς ἔτυχε, *ſic temere*, *vt ſe locus obtulerat*, *incurioſe*, *neglectim*. Horat. O. 2, 11. 13. *ſub hac pinu iacentes ſic temere*. Schol. ad Sophocl. Ai. 1198. οὕτως· καὶ ἀντὶ τοῦ, ὡς ἔτυχε. Hanc rationem ſe-

cuti funt ex veteribus Cyrillus, Chryfoftomus, Euthymius Zigabenus Comment. in Ioh. T. 3. p. 134. Theophylactus, ex recentioribus *Grotius*, *Glaffius*, *Bengelius*, *Tittmanus*, *Paulus*, alii. Ad verba κεκοπ. ἐκ τῆς ὁδοιπορίας refert *Erafmus* Annotatt. p. 173. *fic*, nempe, quia fatigatus. Equidem eorum partes fequor, qui οὕτως h. l. abundare ftatuunt. Nihil enim optimo cuique fcriptorum vfitatius, quam hanc particulam fubiungere, vbi praeceſſerit praepofitio quaedam cauſſalis, fiue ea diferte aliqua vocula expreffa fit, fiue vti h. l. in participio inclufa lateat. Sic οὕτως quoque nonnifi confequentiam indicat Act. 7, 8. 20, 11. Arrian. Exped. 2, 10. Ptolomaeus Hephaeft. Lib. 4. p. 318. ὡς Μενελάου ἠράσθη Ἑλένη, καὶ οὕτως ἔγημεν αὐτήν, *cum amaretur ab Helena Menelaus, eam vxorem duxit.* Alexandrini interpretes hac particula exprimunt Hebraicam כן, quae etiam interdum redundat, v. 1 Sam. 9, 13. 1 Regg. 2, 7. hinc etiam h. l. Syrus et Perfa οὕτως praeterierunt. Exempla plura hanc in rem congefferunt *Raphelius* ex Arrian. *Elfnerus*, *Kypkius* et *Krebfius* ad h. l. ἐπὶ *ad*, *iuxta*, Hebr. על, Ex. 2, 15. Act. 3, 10. καθήμενος ἐπὶ τῇ ὡραίᾳ πύλῃ Ael. H. V. 3, 23. ἐπὶ Γρανίκῳ Theocrit. Idyl. 6, 3. ἐπὶ κράναν, vid. *Albertius* et *Kypkius* ad l. ὥρα ἦν ὡσεὶ ἕκτη] *erat hora ferme fexta.* Ordinaria prandii hora apud Iudaeos erat hora fexta, noftra fere duodecima, v. *Kypkius* ad h. l.

7. 8. ἔρχεται γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας κ. τ. λ.] *acceffit mulier quaedam Samaritana, aquam hauftura; cui Iefus, praebe mihi potum.* Quae v. 7. dicitur γυνὴ ἐκ Σαμαρείας, ea v. 8. vocatur ἡ γυνὴ ἡ Σαμαρεῖτις. Non autem his verbis fignificatur, eam ex vrbe Samaria fuiffe, fed Samaria eft etiam h. l. vt fupra v. 4. 5. nomen regionis; notatur ergo his verbis, Samaritana et Samaritanorum religioni addicta. Parum enim probabile eft, vrbis Samariae incolas aquatum iſſe ad oppidum Sichem f. Sychar, quod a Samaria duo diftabat milliaria. Venerat igitur ex op-

pido Sichem femina illa, quod innuitur quoque v. 8. 28. 30. coll. v. 5. Videtur autem Euangelista, vt scite obseruauit *Casaubonus*, hanc potius communem appellationem, γυνὴ ἐκ Σαμαρείας, quam propriam vsurpasse, quia sic odia inter illas duas gentes melius exprimebantur. δός μοι πιεῖν similes scriptorum Graecorum exterorum voces attulerunt *Rhoerius* in Feriis Dauentriens p. 110. et *Raphelius* Obss. Xenophh. ad h. l. Rogauit Iesus mulierem, vt ipsi facultatem bibendi concederet, vel siti coactus, quam restinguere vellet, vel vt occasionem colloquii praeberet. — 8. οἱ γὰρ μαθηταὶ αὐτοῦ — ἀγοράσωσι] *nam discipuli ad coemendos cibos vrbem petierant.* Monent interpretes, his verbis caussam afferri, cur Iesus mulieris ministerio in haurienda aqua opus habuerit, quia nimirum id discipuli praestare non poterant, et cur eam rogauerit, vt sibi, nec discipulis quoque, bibendum daret. Ipse autem Euangelista, colloquii Christi cum femina illa instituti argumentum, vel ab ea ipsa, aliisue, quibuscum hac de re collocuta fuerat, vel a Iesu postea cognouit.

9. πῶς σὺ Ἰουδαῖος ὢν παρ' ἐμοῦ πιεῖν αἰτεῖς, οὔσης γυναικὸς Σαμαρείτιδος;] *quomodo tu Iudaeus, a me Samaritana muliere potum petis?* Sarcastice loquebatur; vos Iudaei qualecunque beneficium a nobis accipere spernitis, quomodo igitur tu a me aquam petis? Iesum Iudaeum esse, colligebat ex sermonis et linguae consuetudine, fortassis etiam in vestibus aliquid discriminis inter Iudaeos et Samaritanos erat. Chrysostomus Homil. in Ioh. p. 180. ἀπὸ τοῦ σχήματος ἴσως, καὶ ἀπὸ τῆς διαλέξεως. Dialectus Ephraimitas (pertinebat autem Samaria ad tribum Ephraimiticam) ab aliis Israelitis, v. Iudd. 12, 6. et Galilaeos a Iudaeis distinguebat, v. Matth. 26, 73. Mirabatur femina, quod Iesus ab ipsa potum peteret, οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις, *non enim Iudaei amice Samaritanis vtuntur,* nulla inter eos intercedit familiaritas. Sunt haec Euangelistae verba, quibus lectoribus suis, rerum Iudaicarum

ignaris, rationem reddere voluit vocis a muliere prolatae. Verbum συγχρᾶσθαι notat, *opera alicuius vti*, etiam, *commercium cum aliquo habere*, *aliquo familiariter vti*, vid. *Kypkius* et *Wetstenius* ad h. l. haec eadem quoque vis et poteftas eft verbi fimplicis χρᾶσθαι, v. *Sturzii* Lex. Xenophont. h. v. Iudaei autem acerrimo odio perfequebantur Samaritanos. Erant quidem inter Iudaeos, qui commercia cum iis non penitus auerfarentur; et licitum putarent, emere a Samaritanis neceffaria, plerique tamen omnem cum Samaritanis confuetudinem fugiebant, et omnis Iudaeus nefas effe exiftimabat, a Samaritano beneficium accipere, aut amicitiam cum eo contrahere. Rafche ad Sota p. 515. edit. *Wagenf. Samaritani panem comedere, aut vinum bibere, prohibitum eft.* Sanhedrin fol. 104. 1. *Si quis Cuthaeum* (Samaritanum) *in domum fuam recipit, eique miniftrat, ille cauffa eft, vt filii ipfius in exilium abire cogantur.* Tanchuma fol. 43. 1. *Dicunt, qui edit fruftum Samaritani, eft vt edens carnem porci.* Hierof. Avodah Zara fol. 44. 4. *R. Iacob Bar Acha, nomine R. Lazar dicit, victualia Cuthaeorum, permiffa funt, fi non immifceatur iis aliquid vini eorum aut aceti.* Bab. Kidduschin fol. 76. 1. *Azyma Cuthaeorum funt permiffa, et per ea homo praeftat officium fuum in Pafchate*, v. *Lightfootus*, *Schoettgenius* et *Lampius* ad h. l. Huius quidem odii Iudaeorum in Samaritanos cauffae plures fuerunt. Erat nimirum gens Samaritanorum oriunda e reliquiis Ifraelitarum in exilium non abductis, et gentilibus, qui ex Affyriae regionibus, nominatim ex *Cutha* (vnde etiam Iudaei Samaritanos *Cuthaeos* dicebant) in vacuas veterum incolarum fedes noui coloni venerant. Haec noua colonia initio falforum numinum cultrix erat, ita tamen vt Iouam vna cum idolis coleret, v. 2 Regg. 17, 29 fs. Cum poftea Iudaeis a Cyro in patriam reuerti permiffum effet, atque illi in patriam reduces in eo effent, vt templum reftaurarent, petierunt Samaritani, qui cum Iudaeis in religione fe coniungere vellent, vt fibi templum Hierofolymitanum, vna cum Iu-

daeis, communi fumtu atque opera reftaurare et aedificare liceret. Verum Serubabel et reliqui Iudaeorum proceres repulfam dederunt Samaritanis, ac refponderunt, fibi non licere cum Samaritanis communi fumtu et opera Dei fummi templum aedificare, cum Cyrus hoc opus folis Iudaeis conceffiffet, et Samariae praefectis demandaffet, vt ab eo loco abstinerent, et Iudaeos tantum adiuuarent hoc in opere de prouinciae vectigalibus. Licere tamen Samaritanis, dicebant Iudaei, Deum Ifraelitarum hic loci adorare, hoc enim templnm ad adorandum fummum numen omnibus hominibus patere, v. Efr. 4, 2. Iofeph. Ant. 11, 4. Samaritani cum repulfam tuliffent a Iudaeis, vindictae inhiabant, et templi reftaurationem, ac nouae reipublicae Iudaeorum incrementa vario modo impedire ftudebant, v. Efr. 4, 7. Iofeph. l. c. Haec erat odii et inimicitiae inter vtramque gentem origo. Hoc odium, hanc inimicitiam aluit et quam maxime auxit, defectio Manaffis, et exftructio templi in monte Garizim. Scilicet Manaffe, Iaddi, pontificis fummi, frater, contra legem et morem patrium Sanaballetis, Samaritanorum praefecti filiam, in matrimonium duxerat Neh. 13, 23 fs. cumque Iudaei, hoc factum indigne ferentes, poftularent, vt alienigenam aut repudiaret, aut non amplius ad altare et facrorum minifterium accederet, ad focerum fuum confugiebat, qui eum honorifice excipiebat, et permittente Alexandro Magno, templum in monte Garizim exftruebat, cui generum pontificem praeficiebat; qui multos ex Iudaeis ad defectionem follicitabat, et donis ac pollicitationibus a facris Iudaeorum abalienabat, inter quos haud pauci facerdotalis quoque generis erant. Ita vero templo in monte Garizim condito, exortae funt inter Iudaeos et Samaritanos contentiones de loco adorandi Deum. Negabant enim Samaritani Hierofolymis effe pura ac vera Dei facra, de templo autem in monte Garizim exftructo praedicabant, illud effe fanctum, legitimum et diuina Numinis praefentia exornatum. Praeterea Samaritani tantummodo Mofis libros admittebant,

reliquos Iudaeorum libros facros, quoniam hi libri Hierofolymae locum fanctuarii vindicabant, et originem gentis Samaritanae prodebant, vt et traditiones quascunque reiiciebant, v. ad Matth. 10, 5. His igitur de cauffis maximo in gentem aemulam odio Iudaei ferebantur, et plerisque (v. *Lampius* T. 1. p. 713.) Iudaeorum Samaritani magis exofi erant, quam gentiles, v. ad Luc. 10, 33. vnde et Siracides 50, 25. eos ne populi quidem nomine dignos iudicat, coll. Deut. 32, 21. Neque tamen Samaritani adeo acerbo odio perfequebantur Iudaeos, quam hi illos, nec humanitatis officia Iudaeis denegabant, v. ad Luc. 9, 53. 10, 32. Etiam h. l. v. 9. extr. cauffa odii defertur ad Iudaeos. Iefus autem odium illud Iudaeorum in Samaritanos non curabat, et ficuti cum portitoribus cibum fumere non dubitabat, ita nec abftinebat a confuetudine cum Samaritanis, difcipulos ad cibos coemendos in eorum vrbem mittebat, feminam Samaritanam blande alloquebatur, biduum in illa vrbe commorabatur, ibique femina doctrinae fuae fpargebat, et Samaritanos plus vna vice Iudaeis tanquam exempla pietatis et probitatis commendabat, v. Luc. 10, 32 fqq. 17, 16.

10. *Si noffes beneficium Dei, quod tibi nunc fe offert, et eum, qui potum a te expetit, tu ipfa* immemor odii, quo Iudaei Samaritanos perfequuntur, *eum rogares, vt aquam viuam tibi largiretur*, neque repulfam ferres; haec enim promiffio in verbis Chrifti latebat. Per τὴν δωρεὰν nonnulli Chriftum ipfum intelligunt, vt fenfus verborum fit: fi fcires, quanto beneficio Deus me mittendo homines ornauerit. Sed vt iam *Lampius* obferuauit, nunquam alias hoc nomine abfolute appellatur Meffias, et hac interpretatione admiffa, verba quae fequuntur, καὶ τίς ἐστιν ὁ λέγων σοι, quis ego fim, idem fere declararent quod priora, quid fit donum Dei; et frigida fententia procederet. Rectius alii intelligunt opportunitatem Samaritanae, hoc ipfo tempore praeter omnem fpem et exfpectationem obla-

tam, Meſſiam cognoſcendi, cum eo colloquendi. ὕδωρ ζῶν proprie notat, *aquam viuam*, *fontem viuum* (Ouid. Met. 8, 57. Martial. 2, 90.) *lympham viuam* (Valer. Fl. Argonaut. 3, 422.) *aquam perennem*, ἀέναον (Heſiod. Ἔργ. 595.) e fonte ſcaturientem, ebullientem et ſalientem; Hebr. מים חיים Gen. 29, 19. Ier. 17, 13. Leuit. 14, 5. atque hoc ſenſu femina Samaritana hanc vocem accipiebat. Sed Chriſtus improprie dicebat ὕδωρ ζῶν pro ζωοποιοῦν, aquam quae vitam det, animum reficiat atque exhilaret. Solebat enim a rebus corporeis ad rerum ſpiritualium cognitionem excitare auditorum animos, et a rebus in ſenſus incurrentibus, ab agro, ſemine, vite, Ioh. 15, 1. ouibus Ioh. 10, 1. luce Ioh. 8, 12. etc. metaphoras deducere. Sic etiam cum Samaritana colloquens, colloquium quod a re externa, ab aqua originem duxerat, ad aliam rem a ſenſibus remotam traduxit, et doctrinam ſuam διψῶντας τὴν δικαιοσύνην ſatiantem Matth. 5, 6. vbi v. not. hominum animos reficientem et beantem, cum aqua comparauit, quacum frequenter in literis ſacris et magiſtrorum Iudaicorum ſcriptis, doctrina, et quicquid animum erudire, et emendare poteſt, comparatur, v. 7, 38. Prou. 10. 11. Sir. 15, 3. ψωμιεῖ αὐτὸν (σοφία) ἄρτον συνέσεως, καὶ ὕδωρ σοφίας ποτιεῖ αὐτόν. Sir. 24, 21. οἱ ἐσθίοντές με (σοφίαν) ἔτι πεινάσουσι, καὶ οἱ πίνοντές με ἔτι διψήσουσιν, *eam multo magis deſiderabunt* (qui loci etiam docent, doctrinam, inſtitutionem, ea quae animum emendent, comparari cum pane et cibo, add. Ezech. 2, 8 — 10. Apoc. 10, 8 — 13. add. infra not. ad v. 31.) Baruch. 3, 12. de lege diuina: ἐγκατέλιπες τὴν πηγὴν τῆς σοφίας· τῇ ὁδῷ τοῦ Θεοῦ εἰ ἐπορεύθης, κατῴκεις ἂν ἐν εἰρήνῃ. Targ. in Cant. 4, 15. *occupati ſunt in verbis legis, quae comparantur cum puteo aquae viuentis.* Hieroſ. chagigah fol. 75. 4. *nos omnes diſcipuli tui ſumus, et de aquis tuis bibimus*, vid. *Lightfootus* ad Luc. 10, 25. p. 792. et *Lampius* ad h. l. p. 719. Caeterum interpretibus nonnullis puteus Iacobi fuiſſe videtur ciſterna, aqua pluuiali repleta, ſed in puteo

illo aquam viuam fuiffe, e refponfione mulieris v. 11. patefcit.

11. 12. Femina, quae non affequeretur mentem Chrifti, et verba ὕδωρ ζῶν proprie caperet, mirabunda dicebat: ex hoc puteo haurire non potes, nam *tibi deeft hauftrum, puteus vero profundus eft, vnde igitur tibi aqua viua fuppetat?* Appellat Iefum κύριον, quod erat nomen honoris, quo Iudaei etiam ignotos appellare folebant, v. ad Matth. 8, 2. Gen. 24, 18. Ruth. 2, 13. Obferuant interpp. eam aliquam venerationem accepiffe, ex refponfo Iefu, cum grauitate propofito, etfi mentem illius non caperet; eam fortaffis exiftimaffe, Iefum effe virum magni alicuius nominis, a quo aquam accepiffe, honori fit ducendum, hinc eum appellaffe dominum. ἄντλημα *hauftrum, fiticula* cum fune; Nonnus: οὐ κάδον ἑλκυστῆρα, οὐ σχοῖνον ἀείρεις, cuiusmodi fiticulas etiam fecum ferre folent, qui cateruatim in Orientis regionibus itinera fufcipiunt, vid. *Rauwolf Orient. Reifebefchreibung*, Th. 2. p. 450 fq. — 12 μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν κ. τ. λ.] *num tu fapientior es parente noftro Iacobo, qui hunc nobis puteum reliquit, quo ipfe cum familia et gregibus fuis vfus eft?* tu quamuis fapiens fis atque peritus, in tota regione non copiofiores et falubriores aquas reperies; nefas eft, hunc puteum contemnere, aut alium quaerere. μείζων *maior* i. e. peritior, fapientior ad inueniendas aquas in vicinia. Bene *Reichardus* fenfum expreffit: *num tu melius Iacobo, gentis noftrae auctore, loci huius naturam nofti?* Iacobum πατέρα nominat; gloriabantur enim Iacobi genere Samaritani, vid. Iofephus Ant. 9, 14. qui tamen 11, 8. fcribit: ἐν ταῖς συμφοραῖς ὄντας τοὺς Ἰουδαίους ἀρνοῦνται συγγενεῖς ἔχειν, ὁμολογοῦντες τότε τὴν ἀλήθειαν, *in rebus Iudaeorum afflictis, negant fe cognatos, et tum dicunt veritatem:* et 9, 14. addit: ὅταν δὲ πταισάντας ἴδωσιν οὐδαμόθεν αὐτοῖς προσήκειν λέγουσι, οὐδ' εἶναι δίκαιον οὐδὲν αὐτοῖς εὐνοίας ἢ γένους, ἀλλὰ μετοίκους ἀλλοεθνεῖς ἀποφαίνουσιν ἑαυτούς, *quando vero in*

rebus aduerfis eos adfpiciunt, nihil ad fe pertinere aiunt, nec illis quicquam deberi beniuolentiae, cum ipfi ex longe remotis gentibus ad ea loca peruenerint. ἔδωκεν reliquit effoffum et apertnm, vid. ad v. 5. Per τὰ θρέμματα αὐτοῦ *Maius* Obff. Sacr. 4. p. 6. *Kypkius*, alii, intelligunt, *familiam, domefticos Iacobi*, Hefychius: θρέμματα, βοσκήματα, πρόβατα, τέκνα. „Mulier, fcribit *Kypkius*, commendare vult celebritatem quandam et dignitatem putei, quod ipfe Iacobus cum fuis eodem vfus fit, qui adeoque immerito a Iefu contemnatur. Ad hoc autem parum faceret dicere, quod etiam pecora Iacobi ex hoc puteo hauferint; inconveniens quoque et indecens fuiffet, pecora commemorari, omni feruorum et ancillarum mentione neglecta, quorum tamen multitudine abundabant patriarchae.“ Negari fane nequit, vocabulum θρέμματα nonnunquam *de familia et domefticis* adhiberi, vid. exempla hanc in rem a *Kypkio* allata; neque tamen neceffe eft, vt h. l. a vulgari nominis huius notione recedamus. Etenim gregum commemoratio conueniens erat vitae generi Iacobi, agebat enim vitam paftoritiam; praeterea femina illa has aquas non folum a falubritate, fed etiam *a copia* commendare volebat, quia fuffecerant ad *numerofos greges* Iacobi alendos; comprehenduntur denique etiam fub nomine *υἱοὶ*, ferui et ancillae, indicat *domum, familiam* ex vfu loquendi interpretum Alexandrinorum, qui Hebraicum nomen בית Gen. 45, 11. expreſferunt, *υἱοί σου familia tua.*

13. 14. Non contemno, refpondit Iefus, Iacobum, nec hunc ipfius fontem, attamen πᾶς ὁ πίνων ἐκ τοῦ ὕδατος τούτου, διψήσει πάλιν, *quicunque ex hoc fonte bibit, rurfus fitiet.* Vt effugeret iactantiam et propriae laudis fufpicionem, non difertis verbis profitebatur, fe effe Iacobo maiorem; fed cum paulo poft opponeret aquae, quam haurire vellet Samaritana, eam, quam ipfe daturus effet, eamque praeftantiorem effe doceret, affirmabat, magnum quidem a Iacobo tributum effe beneficium, fed fe maius

tribuere posse, atque sic reuera ostendebat, se esse Iacobo excellentiorem. — 14. Pergebat enim: ὃς δ' ἂν πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ κ. τ. λ., *quicunque vero ex ea aqua bibit, quam ego ei do, nunquam amplius aquam appetet, sed aqua, quam ego ei largior, in ipso euadet fons scaturiens ad felicitatem perennem.* Per *aquam* h. l. rursus intelligi debet, *doctrina Christi salutaris*, vid. ad v. 10. et verbum διψᾶν improprie positum est, de doctrinae desiderio, vt 7, 38. atque adeo notat, *appetere, desiderare*, quo significatu frequenter recurrit, vid. ad Matth. 5, 6. οὐ μὴ — εἰς τὸν αἰῶνα. Matth. 21, 19. μηκέτι — εἰς τὸν αἰῶνα. Ioh. 13, 8. οὐ μὴ — εἰς τὸν αἰῶνα, vid. ad 8, 51. Verba εἰς ζωὴν αἰώνιον alii explicant: erit ei fons verae et aeternae felicitatis, doctrina mea salutaris ei parabit futuri seculi felicitatem, vim suam in animo eius exseret, ita, vt consequatur felicitatem perennem. Praepositionem igitur εἰς h. l. vt saepius, finem atque consilium indicare statuunt. Alii verba explanant: perdurans vsque ad vitam beatam, vt adeo εἰς respondeat Hebr. עד et idem valeat quod ἕως, de qua particulae εἰς potestate vid. *Schleusneri* Lex. h. v. Mihi vtraque ratio coniungenda videtur: perdurans ad vitam beatam et perennem, eamque largiens; cf. locus similis 6, 27. Sensus igitur verborum, imagine remota, hic est: qui meam doctrinam admisit, ea imbutus est, nunquam aliam appetet, sed doctrina mea in animo eius vim suam salutarem et efficaciam demonstrabit, animum ipsius reficiet et beabit, vsque ad illud tempus quo felicitatem perennem consequetur, et hanc ipsam ei felicitatem largietur. Πηγὴ ὕδατος inuoluit notionem salubritatis, vid. ad v. 10. et vero etiam copiae, multitudinis, vt similes formulae docent, veluti πηγὴ δακρύων in vers. Alex. Ier. 9, 1. πηγαὶ γάλακτος Sophocl. El. 888. vbi scholiastes: πολὺ γάλα ὡς τὸ δακρύων πηγάς, ἀντὶ τοῦ πολλὰ δάκρυα. Eurip. Cycl. 494. βοτρύων πηγαί. add. Herc. Fur. 1354. Alc. 1068. Aeschyl. Prom. 401. Verbum ἅλλεσθαι notat, *salire*, diciturque tam de hominibus, quam de animalibus,

v. *Sturzii* Lex. Xenoph. h. v. *Bielii* Thef. h. v. Act. 14, 10. ponitur vero etiam vt Lat. *falire* Virg. Ecl. 5, 47. Sueton. Octau. 82. de aqua fontana fcaturiente et ebulliente, vt h. l. Hefychius: ἀλλομένου, ἀεὶ ῥέοντος ἢ βλύζοντος, vid. et *Kypkius* ad h. l. inhaeret autem h. l. verbo ἅλλεσθαι notio, vis et efficaciae, atque doctrina Chrifti largiter tribuere dicitur bona vberrima, ea funt, cognitio Dei rerumque diuinarum, animi tranquillitas, virtus integra, fpes aeternae felicitatis, et quae funt reliqua. Caeterum fimiles loci funt 6, 35. 7, 38. Prou. 18, 4.

15. 16. Nondum percipiebat indocta mulier verborum Chrifti fenfum, proprie ea capiebat, atque ab eo expetebat promiffam aquam, ne porro fitiret, nec opus haberet huc remeare, ad aquam hauriendam. Fuerunt qui putarent, feminam irrififfe Chrifto, et per ludibrium ei ita refpondiffe. Sed vfus compellationis κύριε parum probabilem hanc fententiam reddit, et fi mulier per ludibrium ita refpondiffet, hanc eius audaciam et petulantiam feuerius obiurgaffet Chriftus. — 16. Iam vero Chriftus, cum videret feminam minus recte intellexiffe allegoriam hactenus propofitam, vt alio modo animum illius ad altiora erigeret, eique demonftraret, fe effe legatum diuinum; exhibebat, auctore Euangelifta, illuftre documentum fcientiae rerum absconditarum, dum feminae oftendebat, fe fata et mores ipfius optime noffe. *Paulus* quidem fumit, Iefum ab aliis fata domeftica mulieris audiuiffe, atque e refponfione ab illa v. 17. data perfpexiffe, eam non falfo inordinatae vitae accufari; cui tamen coniecturae non fauet ipfa narratio et confilium Euangeliftae, qui h. l. vt 1, 48 fs. fpecimen dare voluerit dignitatis Meflianae a Chrifto probatae. Quare nec audiendi funt ii, qui opinantur, Iefum e vultu feminae conieciffe, eam fuiffe libidinofam, et e refponfione ac voce illius intellexiffe, fe non erraffe; nec πέντε; vt illi interpretes volunt v. 18. fignificat omnino, *plures*. Locus 1 Cor. 14, 19. quem hanc

in rem laudant, eſt noſtro disſimillimus, et πέντε ibi non ſunt plures, ſed *pauci.* ὕπαγε, φώνησον τὸν ἄνδρα σου, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε] *abi ad arceſſendum maritum tuum, et* cum illo *huc redi.* *Paulus* autumat, mulierem, ſi infons fuiſſet, cogitare potuiſſe, Ieſum propterea velle vt maritum arceſſat, quod longius cum muliere colloquium non ſatis decorum putaſſent Iudaeorum magiſtri. Laudat Pirke Aboth 1, 5. *docuerunt Sapientes: ne multiplices colloquium cum muliere. Cum vxore dixerunt, quanto minus cum vxore alterius,* Berachot fol. 43. 2. *traditio eſt: ne tunc quidem (fabuletur cum muliere in publico) cum ea eſt vxor ipſius, aut filia, aut ſoror. v. Lightfootus, Schoettgenius* et *Wetſtenius* ad v. 27. Verum ita iudicaſſe Chriſti aetate doctores Iudaicos, huius rei in libris N. T. nullum veſtigium deprehenditur, et Ieſus ſaepius cum feminis verſatus eſt, eos edocuit, eum comitatae ſunt, eique miniſtrarunt. Potuiſſet potius ea cogitare, Ieſum velle etiam marito aquam praebere, quae ſitim reſtingueret perpetuo, eumque huius doni participem reddere coll. v. 15. Sed Ieſus, vt ex narratione Euangeliſtae patet, ſimulato hoc mandatum mulieri dedit, vt viam pararet ad colloquium quod ſequitur. ἔρχεσθαι, *redire,* vid. ad Matth. 24. 45.

17. 18. ἄνδρα οὐκ ἔχω, *maritum non habeo:* ambigue et breuiter reſpondebat; ſperabat fore vt turpitudo ſua, quam diſſimulabat, occulta maneret, eum arbitraretur, Ieſum rerum ſuarum ignarum eſſe. Euthymius Zigabenus ad h. l.: οἰομένη πρὸς ἄνθρωπον ἁπλῶς διαλέγεσθαι, λαθεῖν κρύπτουσα τὸ αἰσχρὸν τοῦ πράγματος. Ieſus vero confeſtim declarabat, ſibi omnia optime nota eſſe, καλῶς εἶπας· ὅτι ἄνδρα οὐκ ἔχω] *recte negaſti tibi eſſe maritum.* Nonnulli interpretes, quos *Wolfius* in Curis ad h. l. laudauit, quibus *Paulus* quoque accedit, ironice dixiſſe putant Ieſum καλῶς εἶπας Lat. *belle dixiſti*; ſed v. ſeq. pro eo ſimpliciter legitur: τοῦτο ἀληθὲς εἴρηκας· eſt ergo καλῶς id. qd. ἀληθῶς, ἐπ' ἀληθείας Marc. 12, 28. 32. ὅτι re-

dundat, vt Matth. 12, 36. 7, 23. — 18. *πέντε γὰρ ἄνδρας ἔσχες, καὶ νῦν ὃν ἔχεις, οὐκ ἔστι σου ἀνήρ] quinque enim viros habuisti, quem vero nunc habes, non est tuus maritus.* ἄνδρας maritos legitimos, vt satis luculenter oppositio docet, *οὐκ ἔστι σου ἀνήρ, non legitimus.* Nonnus Paraphr. Eu. Ioh. v. 571. *οὐ γνήσιός ἐστιν ἀκοίτης.* Euthymius Zigabenus: *νῦν ἔχεις ἄνδρα παράνομον·* et vocabulum *ἀνὴρ* etiam adhibetur de moecho in vers. Alex. Deut. 22, 22. de eo qui concubina vtitur Iudd. 19, 3. 25. 20, 5. formula autem *ὃν νῦν ἔχεις* explicari debet: quo nunc vti soles, quocum nunc consuetudinem habes, nam additur *οὐκ ἔστι σου ἀνήρ,* et verbum *ἔχειν,* vt Lat. *habere,* adhibetur de consuetudine coniugali cum licita, tum illicita, vid. *Schleusneri* Lex. h. v. *Palairetus* Obss. p. 229. *Raphelius* et *Albertius* ad Matth. 14, 4. Interpretes haud pauci statuunt, hanc feminam quinquies a maritis legitimis libellum repudii accepisse, et quidem, vt nonnulli volunt, propter illius temporis in hac re licentiam; ex aliorum sententia propter commissum adulterium, cum temeritas et facilitas in diuortiis faciendis, non tanta fuerit apud Samaritanos, literae legis studiosius inhaerentes, quanta apud Iudaeos (v. ad Matth. 5, 31.); quam in rem laudant *Lightfootum* ad h. l. qui ex *Kiddufchin* notauit: *Cuthaei non callent legem de desponsationibus et diuortiis.* Alii hanc feminam prostibulum fuisse, et de maritis illegitimis h. l. sermonem esse opinantur. Alii contra monent, quinque priores maritos fuisse legitimos, et hoc sensu Iesum eos *ἄνδρας* vocasse, exinde apparere, quod illos oppofuerit ei, qui non sit maritus; praeterea non credibile esse, Iesum cum prostibulo, aut muliere a quinque viris ob adulterium commissum repudiata, tam leniter, et sine omni correctione grauiori agere voluisse. Rursus alii contendunt ex quinque maritis hanc feminam alios morte amisisse, alios eam adulterii suspectam repudiasse. Sunt denique etiam, qui feminam Samaritanam omni culpa vitae inordinate actae exsoluendam putent. Particulam *οὐκ*

positam esse praecipiunt pro οὐκέτι *nondum*, v. Deut. 20, 5 ss. Marc. 11, 13. ἀνὴρ in verbis, νῦν ὃν ἔχεις ἄνδρα eo significatu accipiunt, vt sit *sponsus*, v. ad Matth. 1, 16. atque sensum verborum: καὶ νῦν ὃν ἔχεις, οὐκ ἔστι σου ἀνὴρ ita constituunt: quem nunc sponsum habes, cui desponsata es, nondum est tuus maritus, nondum in domum eius deducta es. Durior interpretandi ratio, et si Christus hoc dicere voluisset; tu nunc temporis sponsa es, haud dubie mentem suam aliter expressisset. Sequi praeplacet nobis eorum partes, quibus probabile videtur (certi enim quid dici non potest), feminam habuisse quinque viros vinculo coniugali legitimo ipsi iunctos, et deinceps defunctos (Matth. 22, 25.), sed tunc temporis clam (v. 29. coll. v. 17.) in pellicatu vixisse. Ita haec verba intellexit quoque Chrysostomus Homil. T. 7. p. 445. λαθραίως εἶχε τὸν πορνεύσαντα μετ' αὐτῆς, καὶ οὐκ ἦν οὔτε πόρνη οὔτε γυνὴ νομίμη. „Quam vulgari in vsu apud populos Orientis, ipsis Iudaeis non exceptis, pellices et concubinatus fuerint, abunde notum est. Quod quamuis in non magna contumelia apud illas gentes poneretur, reuera tamen et probrosum apud moratiores et cum seruili statu plerumque coniunctum et peccaminosum atque impurum erat, quia sanctitati legis diuinae ac primaeuae matrimonii institutioni contrariabatur.“ *Lampius* ad h. l. Caeterum ἀληθὲς positum est pro ἀληθῶς *vere*, *recte hoc dixisti*, v. *Wetstenius* et *Kypkius* ad h. l.

19. 20. Miratur femina, Iesum peregrinum, eundemque Iudaeum, sua fata et facta, etiam occulta, tam accurate nosse, colligit inde eum esse προφήτην, virum, cui non modo rerum futurarum, sed omnino etiam occultarum notitia diuinitus contigerit. Quare in haec verba erumpit: κύριε, θεωρῶ ὅτι προφήτης εἶ σύ, *domine, te vatem diuinum esse intelligo.* Iohannem summam tantum responsionis mulieris attulisse, et hoc quoque loco, vt saepius, nonnulla omisisse, etiam a Iesu dicta, vel inde

apparere arbitror, quod sequens versus non accurate satis cum hoc cohaeret, sed abrupta oratio est, et quamquam πάντα v. 29. non vrgendum, sed in populari oratione, de magna tantum parte intelligendum est, tamen indicatur hac ipsa voce procul dubio maior pars, quam quae v. 18. exposita leguntur. — 20. οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τούτῳ τῷ ὄρει προςεκύνησαν κ. τ. λ.] *maiores nostri in hoc monte sacra fecerunt, vos autem contenditis Hierosolymis esse locum, vbi sacra fieri debeant.* Videtur hanc quaestionem proposuisse, quod plura de rebus suis audire nollet. Sunt autem cogitando adiicienda haec: cum tu propheta sis, proponam tibi dirimendam quaestionem de controuersia, quae inter nos et Iudaeos agitatur. Per τοὺς πατέρας plerique interpretes recte, opinor, intelligunt Abrahamum et Iacobum, qui olim in vicinia Sichemi altaria exstruxerant, v. Gen. 12, 6 ss. 33, 20. a quibus Samaritani gentis suae originem deriuabant v. 12. Agit igitur atque tuetur caussam suorum, qui exemplo et auctoritate maiorum cultum publicum instituissent. Alii innui putant maiores Samaritanorum, qui temporibus Manassis in monte illo cultum religiosum constituerint; vid. ad v. 5. 9. προςκυνεῖν scl. τῷ Θεῷ, vid. ad Matth. 2, 2. in hac orationis serie notat, *sacra publica facere, colere oblatis victimis, aliisque ritibus publicis,* vt ap. τοὺς ό 2 Regg. 18, 22. nam sermo est de loco, vbi Deo rite sacra faciunda essent, et precibus Deum adire, adorare et venerari, Iudaeis aeque ac Samaritanis vbique licebat. ἐν τῷ ὄρει τούτῳ digito monstrabat montem Garizim. Samaritani, quo defenderent huius montis sanctitatem, contendebant, Abrahamum et Iacobum in illo monte aram Deo exstruxisse, ibique immolasse Gen. 12, 6. 7. 13, 4. 33, 20. ac propterea Deum voluisse, vt ex hoc monte benedictiones pronuntiarentur, v. Deut. 27. 12. et ibi altare exstrueretur Deut. 27, 2 ss. quare et Deut. l. c. v. 4. textum interpolarant, et in sua Pentateuchi versione lectionem *Ebal*, עיבל, quae in Hebraico textu extat, mutarant in *Garizim*, גרזים, quo euincerent, non

in monte *Ebal*, altare exſtructum fuiſſe, vid. *Rôſenmülleri* Scholia ad Deut. l. c. ὑμεῖς λέγετε ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις vtpote loco, quem ſibi Deus elegiſſet, Leuit. 17, 4. Deut. 12, 5. 11.

21. *Tum Ieſus: mulier, crede mihi, erit tempus, quo neque in hoc monte, neque Hieroſolymis Patri ſacra ſolennia peragatis.* Reſpondit Ieſus ad propoſitam quaeſtionem, ita, vt oſtenderet, eam eſſe ſuperuacaneam, cum magna inſtet ſacrorum publicorum immutatio, cum propediem tempus venturum ſit, quo cultus externus, ſacrificiis et ritibus peragi ſolitus, et certo loco ac populo adſtrictus, abrogetur, quo Iudaei aeque ac Samaritani, religionis chriſtianae luce colluſtrati, intellecturi ſint, neque monte Garizim, neque templo Hieroſolymitano opus eſſe, ad colendum verum Deum, hominum omnium Patrem, ei non ſacrificiorum rituumque magnificentia, et vnice hoc vel illo loco, ſed vbique terrarum, animi vitaeque integritate ac ſanctitate cultum eſſe praeſtandum. Dixit Ieſus Deum πατέρα, hominum patrem, nam Samaritana mulier aliquoties prouocauerat ad πατέρα Ἰακὼβ et πατέρας v. 12. 20 ſimul vero etiam hac appellatione tacite innuebat doctrinae et religionis ſuae praeſtantiam, v. Rom. 8, 14. 15. προςκυνήσετε poſitum eſt pro προςκυνήσουσι. Samaritani non amplius iudicabunt in hoc monte, nec Iudaei Hieroſolymis eſſe τόπον ὅπου δεῖ προςκυνεῖν τῷ πατρί. Perſonam verbi ſecundam quandoque pro tertia adhiberi ab Hebraeis, exemplis comprobauit *Glaſſius* Phil. S. p. 317 ſq.

22. ὑμεῖς προςκυνεῖτε ὃ οὐκ οἴδατε — ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐςίν] Magnopere disſonant voces eorum, qui de his Chriſti verbis commentati ſunt. Plerique ὃ ad Deum referunt, et aut dictum eſſe exiſtimant pro ὃν, de quo vſu loquendi v. ad 3, 6. 8, 25. aut nomen θεῖον *Numen* Act. 17, 29. ſubintelligunt. Iam vero nonnulli arbitrantur, Chriſtum verbis: *vos Deum colitis, quem non ſatis recte noſtis, nos vero*

colimus, quem rectius nouimus, exprobraſſe Samaritanis idolorum cultum, eos cum Dei veri cultu commiſcere cultum idolorum. At enimuero Samaritani inde a Manaſſis tempore, vid. ad v. 9. idololatriae valedixerant, et diruto per Iohannem Hyrcanum templo in monte Garizim condito, quoniam ob ſaeuitiam Antiochi Epiphanis, a cuius partibus Samaritani tempori inſeruientes ſteterant, Ioui Hoſpitali dicatum fuerat, v. Ioſeph Ant. 13, 18. B. I 1, 2. 2 Macc. 6, 2. aram in illo monte habebant, in qua ad normam legis Moſaicae Deo vero ſacra faciebant. Criminationis Iudaeorum, eos in monte Garizim idola coluiſſe, fabulae ſunt, excogitatae a Iudaeis acerrimo odio Samaritanos perſequentibus, vid. *Lampius* ad h. l. T. 1. p. 746. et *Paulus* ad h. l. Hinc alii ſenſum et cohaerentiam verborum ita conſtituunt: abrogabitur cultus Samaritanorum aeque ac Iudaeorum. noli tamen exiſtimare, Iudaeos et Samaritanos eodem prorſus loco eſſe habendos, eandem eſſe ſacrorum Iudaeorum et veſtrorum rationem ac dignitatem, vos enim, qui nonniſi Moſis libros admittitis et reliquos Iudaeorum libros ſacros reiicitis, non adeo accurata Dei rerumque diuinarum ſcientia praediti eſtis, (qua nos Iudaei praediti ſumus), ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐςὶν, *quare* (ὅτι vid. ad Luc. 7, 47.) *prodibit ſeruator e Iudaeis*, vt habeat, cui reliqua ſuperſtruat, caſtioris religionis fundamenta. Sed huic interpretationi, vt probe monuit *Tittmanus* Melet. in Ioh. ad h. l. inprimis hoc obſtat, quod non interrogarat mulier, vtri veriorem Dei eiusque voluntatis cognitionem haberent, ſed vtri ſanctiore loco Deum verum colerent. *Semlerus*, *Henckius* in commentat. Ioh. Apoſt. apophthegmatum nonnullor. Ieſu in Euang. ſuo et ipſe interpres, in *Potti* Sylloge Commentatt. theologg. Helmſt. 1800. p. 18. *Eckermanus* in *Erklärung aller dunklen Stellen d. N. T* ad h. l. ἡμεῖς ad Ieſum ipſum referunt; ac *Henckius* quidem hunc verbis ſubſtituit ſenſum: *Vtrinque vos* (ὑμεῖς vos Samaritani et Iudaei) *erratis; neutri adhuc, quamdiu talia quidem diſputatis,*

recte cognoſtis Deum, meae haec prouinciae res eſt, iuſtam ſtabilire Dei notitiam, et multi iam ſunt praeter me, qui eam teneant: ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐςίν, *nam e Iudaeis omnino proditura erat ſalus, vel ſalutifera rerum conuerſio.* Sed femina Samaritana, ad cuius interrogationem Ieſus reſpondet, voce ὑμεῖς Ieſum reliquosque Iudaeos innuerat v. 20. vt adeo propter orationis ſeriem admitti non poſſit haec interpretatio, neque Chriſti diſcipuli aderant v. 27. ſatis ergo obſcure Chriſtus locutus eſſet, ſi voce ἡμεῖς ſe et diſcipulos intelligi voluiſſet. Rectius igitur *Tittmanus, Schulzius* in *Anmerkk.*, *Morus* ad h. l *Schleuſnerus* in Lex. ſub v. κατὰ, alii, ὃ poſitum eſſe accipiunt pro καθ᾽ ὅ, et Chriſtum de loco cultus publici verba feciſſe ſtatuunt. Itaque ὑμεῖς προςκυνεῖτε eſt, *vos ſacra facitis*, nempe ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, coll. v. 20. καθ᾽ ὃ οὐκ οἴδατε, *pro veſtra ignorantia*, quoniam tantum libros Moſis admittitis, ἡμεῖς προςκυνοῦμεν, *nos publica ſacra facimus* ap. Hieroſolymis (ex orationis contextu hoc nomen ſupplendum; ſimiles loci 15, 25. 1, 18. 9, 1. *nos*, accenſet ſe Iudaeis, quaeſtionem mulieris reſpiciens) καθ᾽ ὃ οἴδαμεν, *pro meliori noſtra ſcientia*, quoniam libris noſtris ſacris edocti (1 Regg. 8, 16. 48. 9, 3. 11, 13. Pſ. 76, 3 etc.) ſcimus, Hieroſolymis eſſe locum a Deo praeſcriptum. Bene *Tittmanus*: Vos ſacra facitis eo in loco, de quo diſerto aliquo praecepto diuino non conſtat; ſed ſacra facimus in tali loco nos eoque in templo, quod iuſſu diuino in hanc rem conditum eſt deſtinatumque. ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐςὶν] *nam e Iudaeis ſeruator originem ducit.* Scilicet σωτηρία idem valet quod σωτὴρ, vt σωτήριον Luc. 2, 30. 3, 6. et σωτηρία ib. 1, 71. *ſalutis auctor, ſeruator, Meſſias*, et ita quoque Samaritanam hanc vocem intellexiſſe e v. 25. patet. Sic quoque *ſalus* pro *ſeruator* legitur ap. Sil. Ital. 7, 733. *Fabiumque decus Fabiumque ſalutem certatim et magna memorabat voce parentem.* Neque adeo probare poſſum eorum ſententiam, qui σωτηρία explicant, de doctrina ſalutis, aut de vero Dei cultu, Iudaeis proprio, qui ad ſalu-

tem ducit. Dum autem Iesus haec verba adiecit; *nam seruator e Iudaeis prodibit*, vsus est argumento captui feminae accommodato hoc: apud eam gentem haud dubie est cultus publicus legitimus, e qua Messiam Deus nasci voluerit, haec vero gens, vt ipsa concedere debes, est Iudaica.

23. 24. Sententia v. 21. proposita accuratius explanatur, et cohaerentia haec est: quamquam nos Iudaei hactenus meliores fuimus Samaritanis, quoniam sacra fecimus Deo, in eo quem ipse praescripsit loco, vos vero in eo de quo nullum praeceptum diuinum extat; breui tamen Deum colendi modus certo loco adstrictus, qui hactenus obtinuit, abrogabitur, et perfectior cultus Dei instituetur. *ἀλλ᾽ ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, ὅτε οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ κ. τ. λ.*] *at enimuero tempus erit, imo iam adest, quo veri cultores Dei patrem colant animo integro*. Verbum *προσκυνεῖν*, quod h. l. ad mentem animumque refertur, indicat cultum Dei, qui fit mente potissimum et animo, et *ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ veri cultores*, cum opponantur iis, qui hactenus sacra fecerunt in monte Garizim et in templo Hierosolymitano, sunt *perfectiores Dei cultores*, qui Deum adorant et colunt modo perfectiori. Nam *ἀληθινὸν* vt אמן dicitur omne id, quod ita est, vti esse debet vid. ad 1, 9. Colent illi *ἀληθινοὶ προσκυνηταί*, religionis christianae luce collustrati Deum *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ*, sed *πνεῦμα* h. l. *mentem, animum* denotat, et *ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ* positum est pro *πνευματικῶς καὶ ἀληθῶς* ac significatur *cultus spiritualis atque is verus, perfectus*. Dei cultus verus atque perfectus fit *πνεύματι* animo integro et sincero, in eo sola mens atque animus hominis occupatur, non certo in loco et ritibus, non corpore praestatur, sed mentis recta et vera cognitione, atque animi et vitae sanctitate integerrima. Cic. de Nat. Deor. 2, 28. *Cultus deorum est optimus, idemque castissimus et sanctissimus, plenissimusque pietatis, vt eos semper pura,*

integra, incorrupta et mente et voce veneremur. vid. *Wetstenius* ad h. l. Alii πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ dictum putant pro πνεύματι ἀληθινῷ, *animo integro et sincero*, quod eodem recidit. Sic Ief. 38, 3. vbi Hiskias vixiffe dicitur coram Deo באמת ובלב שלם. Alexandrini interpretes habent: μετὰ ἀληθείας ἐν καρδίᾳ ἀληθινῇ, *ita animatus, vti esse debebat* i. e. *animo pio et integro.* Affertur iam cauffa duplex, quare Deus colendus fuit ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, quarum prima depromta eft a Dei voluntate. Additur enim: καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τοιούτους ζητεῖ τοὺς προςκυνοῦντας αὐτὸν] *tales enim cultores pater desiderat.* Verbum ζητεῖν notat *velle*, *desiderare*, id. qd. θέλειν, βούλεσθαι, cuius notionis parens fuit vfus loquendi Hebraeorum, qui eodem fignificatu vfi funt verbo בקש, vt Efth. 3, 6. quod οἱ ὁ ibi expreflerunt verbo θέλειν, v. *Leusdenius* de Hebraism. N. T. p. 69. — 24. Altera cauffa defumta eft a natura diuina: πνεῦμα ὁ Θεὸς] *Deus est spiritus.* Similis loquendi ratio Θεὸς ἦν ὁ λόγος 1, 1. πνεῦμα h. l., vt v. 20. 21. euidenter docent, fignificat naturam ab omni materia, compofitione, liberam, inuifibilem, nec inclufam loco aliquo, vt res corporea. Hinc bene Chryfoftomus Homil. in Ioh. 33. ὅταν δὲ εἴπῃ, inquit, πνεῦμα ὁ Θεὸς, οὐδὲν ἄλλο δηλοῖ ἢ τὸ ἀσώματον. Cum ergo Deus naturae fit fpiritualis, cultus ipfius non adftringendus eft certo loco Act. 7, 48. 17, 25 fs. neque ritibus facris praeftandus, fed adorandus eft atque colendus mente animoque pio et integro, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προςκυνεῖν, haec colendi ratio naturae ipfius vnice accommodata eft.

25. 26. λέγει αὐτῷ ἡ γυνή· οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται κ. τ. λ.] *Tum mulier: scio Messiam esse venturum, qui vbi venerit, haec omnia nobis tradet.* Sicuti Maccabaeorum aetate Iudaei quaeftiones de rebus ad religionem pertinentibus reiicere folebant ad prophetas in pofterum prodituros, ita Samaritana, cui Iefus non ita, vt exfpectarat, re-

ſponderat, quaeque non plane capiebat ab eo de cultu Dei longe excellentiori in vniuerſo terrarum orbe inſtituendo dicta, quaeſtionem omnem ad Meſſiam, cuius Ieſus ipſe mentionem fecerat v. 22., reiiciebat. Cum Samaritani a Iudaeis ortum ducerent, et vtriusque gentis regiones conterminae eſſent, intellectu facile eſt, qui factum ſit, vt ipſi quoque opinionem fouerent, de Meſſia apparituro, noui feliciorisque ſtatus reipublicae ipſorum auctore, vid. et ad Matth. 2, 15. nitebatur haec eorum ſpes, cum nonniſi libris Moſis vterentur, inprimis loco Deut. 18, 15. Rectius autem quam plerique Iudaeorum de Meſſia ſtatuiſſe videntur Samaritani. Cogitabant quidem etiam illo tempore, vt perquam probabile eſt, et de Samaritanis recentioribus conſtat, v. *Eichhornii Repertorium für bibliſche und morgenländiſche Literatur* Th. 9. p. 1 ſqq. *Bertholdtii* Chriſtologia p. 20. ſibi Meſſiam, tanquam eum, qui ipſos a iugo exterorum liberaturus, et terrae populos imperio ſuo ſubiecturus eſſet, ſed vt ex hoc mulieris ſermone colligi poteſt, vna cum ſapientioribus Iudaeis exſpectabant inprimis etiam, Meſſiam, prophetam Moſi ſimilem (Deut. l. c.), veram pietatem reſtituturum, vberiorem rerum diuinarum ſcientiam largiturum, et cuncta annuntiaturum eſſe, quae ad genuinam Dei colendi rationem ſpectarent. Caeterum pertinet huc quoque locus Maimonidis a *Wetſtenio* ad h. l. laudatus, tr. de Regibus: *tunc* (cum Meſſias venerit) *res occultae et profundae aperte erunt omnibus.* ὁ λεγόμενος Χριϛὸς ſunt verba Euangeliſtae, nomen Meſſiae explicantis. ἀναγγέλλειν autem notat *docere*, vid. ad Ioh. 16, 14. — 26. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· ἐγώ εἰμι, ὁ λαλῶν σοι] *reſpondit Ieſus: Ego ſum, Meſſias, qui tecum loquor.* εἰμὶ np. ἐκεῖνος ſcl. ὁ Χριϛὸς coll. 13, 19. Ieſus, qui tecte tantum nec manifeſtis verbis, Iudaeis ſe Meſſiam eſſe ſignificare ſolebat, aperte et ſine vllis ambagibus quis eſſet feminae illi et Samaritanis oſtendebat, quoniam illius ſtudium veritatis cognoſcendae animaduertebat, quoniam Samaritani rectius

quam Iudaeorum vulgus de Meſſia ſtatuebant, neque ad rebellionem adeo procliues erant, quam Iudaei reliqui.

27. ἐπὶ τούτῳ ſcl. ῥήματι l. λόγῳ· Huic ſermoni interueniebant diſcipuli, et priusquam acceſſiſſent, conſpicati Ieſum cum Samaritana loqui, mirabantur, quod cum hac femina verba faceret. Nonnulli putant diſcipulos vltimis Ieſu verbis ſuperueniſſe, eaque audiuiſſe, cui tamen ſententiae, vt recte *Heumanus* docuit, non fauent reliqua huius verſiculi verba. Mirabantur ergo diſcipuli, quod Ieſus, Iudaeus, doctor populi, cum tali femina, nempe Samaritana, contra fas ac patrium morem, vid. ad v. 9. colloqueretur. Alii monuerunt admirationem diſcipulorum inde ortam eſſe, quod multi magiſtrorum Iudaicorum tunc temporis indecorum eſſe putauiſſent, inprimis doctori, confabulari in publico cum femina, hinc etiam h. l. non legi μετὰ τῆς γυναικὸς cum hac ſ. tali femina, ſed ſimpliciter μετὰ γυναικὸς cum femina; conf. tamen notata ad v. 16, et ſatis conſtat, Iohannem in tali praeſertim orationis ſerie non ſemper accurate attendiſſe rectum articuli Graeci vſum. οὐδεὶς μέντοι εἶπε· τί ζητεῖς ἢ τί λαλεῖς μετ' αὐτῆς] reuerentia aduerſus magiſtrum ducti, diſcipuli non audebant eum interrogare, quid a femina illa petiiſſet, aut cum ea locutus eſſet.

28. 29. Mulier autem voce Chriſti v. 26. vehementer commota, obmuteſcebat, et laetabunda in vrbem citato curſu contendebat, relicta hydria vel quo expeditior iret, vel in vſum prandentium, quaſi ſermone Ieſu iam edocta, eum inuidioſos mores Iudaeorum non curare, vel plane oblita eius rei, cuius cauſſa venerat. — 29. Cum in vrbem veniſſet mulier, excitabat ciues, vt viderent hominem, qui ipſi aperuiſſet, quaecunque feciſſet, et iudicarent, num forte ille Meſſias eſſet. Mulieri ipſi perſuaſum fuiſſe videtur, vt bene obſeruauit *Tittmanus*, Ieſum eſſe Meſſiam, ſed prudenter addubitandi modo dicebat: μήτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός; ne in re tanta impe-

rita mulier iudicare videretur, sed vt omne iudicium iis relinqueret, quos ad iudicandum inuitaret. ἀνθρώποις i. e. πολίταις quod posterius vocabulum etiam in nonnullis libris e glossemate legitur; sic ἄνθρωποι adhibitum quoque extat a Xenoph. Cyr. 1, 2. 3. πάντα ὅσα ἐποίησα omnia occultissima vitae meae facinora, affectus plena dixit πάντα ὅσα, quae verba de praecipua tantum parte intelligenda esse, in promtu est. Verbo ἴδετε inest notio explorandi, cognoscendi et iudicandi, v. Sap. 8, 9. 21. 2, 17. Suidas: εἴδω· τὸ γινώσκω. Pro πάντα ὅσα in aliis libris librariorum incuria legitur πάντα ἅ.

31 — 34. Interea dum haec a muliere agebantur (ἐν τῷ μεταξὺ scl. χρόνῳ), discipuli Iesum, qui meditabundus sedebat, et prandium differebat, rogabant, vt apposito cibo vesceretur. ἐρωτᾷν, *rogare*, vt v. 40. vid. ad Luc. 4, 38. Iesus vero, qui a rebus corporeis ad spiritualium cognitionem hominum animos excitare solebat, per allegoriam hisce verbis discipulos suos alloquebatur: ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν, ἣν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, *ego cibum edendum habeo, quem vos ignoratis* h. e. ego ex negotio, quod vos ignoratis, insignem percipio voluptatem, eo non minus exsatior quam cibo coll. v. 34. edocuerat nimirum Samaritanam, et praevidebat per eam plures Samaritanorum excitatum iri, vt ipsum audirent et doctrinam ipsius admitterent. Erat autem Hebraeis non minus quam Graecis et Latinis hic modus loquendi perquam vsitatus, vt vocabulum *cibi* ad animum transferrent, illudque vsurparent de quacunque re, quae faceret ad desiderium eius explendum, eum emendandum, recreandum, exhilarandum. Achill. Tat. Lib. 5. p. 13. extr. ποῖον γάρ ὄψον, ἔφη, μοι πολυτελές; ἢ ποῖος οἶνος τιμιώτερος τῆς σῆς ὄψεως; *quodnam mihi lautius, inquit, obsonium, quod vinum pretiosius tuo adspectu esse posse putas?* Cic. de Fin. 5, 19. *multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit* (np. Demetrius Phalereus patria pulsus), *non ad vsum aliquem suum, quo erat orbatus, sed animi cultus*

ille, erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Id. Tusc. 5, 23. *Mens* (Archimedis) *rationibus agitandis exquirendisque alebatur, cum oblectatione solertiae, qui vnus suauissimus pastus animorum.* Exempla alia huius vsus loquendi v. ap. *Duckerum* ad Thucyd. 1, 70. *Schoettgenium* et *Wetstenium* ad v. 34. *Lampium* ad h. l. et v. 34. add. not. supra ad v. 10. Non capiebant magistri mentem discipuli; quaerebant inter se, num aliquis ex vrbe, qui forte eo venisset, ipsi cibum praebuisset. Iesus igitur mentem suam v. 34. iis hisce verbis explanabat: *ἐμὸν βρῶμά ἐστιν ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα κ. τ. λ.*] *meus cibus hic est, vt voluntati eius, qui me misit, obtemperem, et opus mihi demandatum perficiam* h. e. voluntati patris, qui me misit, morem gerere, maximo mihi est oblectamento, tanta cum voluptate negotium docendi homines eosque emendandi, a patre mihi demandatum perago, vt cibi potusque me obliuio capiat. Pro *ποιῶ* in aliis libris legitur *ποιήσω*, quae lectio grammaticis suam originem debet, qui *ποιῶ* mutarunt in *ποιήσω*, quoniam sequitur *τελειώσω*. Hoc vero ipsum *τελειώσω* nonnulli interpretes pro indicatiuo futuri habent, et verba: *καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον* vertunt: *quare* (*καὶ* pro *διὸ*) *opus illius peragam*, sed vt recte annotarunt *Heumanus* et *Semlerus*, simplicior constructio est per *ἵνα*, ita vt *τελειώσω* sit coniunctiuus aoristi.

35. Dixerat Iesus, sibi nihil iucundius esse negotio docendi a patre sibi demandato. Iam cum conspiceret Samaritanos, qui per mulierem excitati magno numero ad eum ex vrbe venirent, quo discipulos praepararet ad id quod euenturum esset, eosque ad exempli sui imitationem, ad studium doctrinae diuinae tradendae inflammaret, ita pergebat: *οὐχ ὑμεῖς λέγετε ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι κ. τ. λ.*] *nonne vos dicitis: post quatuor menses instat messis; ego vero vos moneo: attollite oculos, et agros adspicite, vt iam ad messem flauescant.* Tribus argumentis v. 35 — 38. Iesus

vtitur ad excitandum et promouendum in animis difcipulorum ftudium doctrinam diuinam tradendi, nempe his: meffis eft propinqua, fructus vberrimi funt exfpectandi, via ad illos decerpendos ab aliis iam parata eft. Verba priora ἔτι τετράμηνόν ἐστι vim prouerbii apud Iudaeos habuiffe, adeoque λέγετε pofitum effe pro λέγουσι *vulgo dicunt*, interpretes haud pauci contendunt, fed iidem in conftituendo huius prouerbii fenfu vehementer disfentiunt. Alii nimirum ftatuunt, illud defumtum a fegetibus teneris adhuc et herbefcentibus, de quibus agricola nihil certi fibi polliceri poffit, adhibitum fuiffe, ad indicandam fpem immaturam atque incertam, vt adeo Chriftus digitum in Samaritanos accedentes intendens, et adiiciens verba: ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς κ. τ. λ. dicere voluerit, fuam meffem in propinquo effe, fpem fuam non incertam, imo certiffimam effe. *Schoetgenius* Horr. Hebr. ad h. l. fenfum ita conftituit: vos alias in vulgari prouerbio dicere foletis: poft fementem quatuor menfes vsque ad meffem exfpectandos effe h. e. rem vnamquamque tempore fuo debito opus habere, quo ad maturitatem peruenire debeat. Sed attollite oculos veftros, et in ipfa fementi plenam meffem obferuate. Videte, quanta multitudo Samaritanorum ex vrbe ad nos veniat, adeoque vos, qui creditis, me vix docere cepiffe, iam immenfam meffem videtis. Sic fere intellexit quoque haec verba *Mofchius* in *Bibelfreund* Th. 3. p. 274. Alii, vt *Grotius*, *Rofenmüllerus*, *Tittmanus*, locutione hac prouerbiali vfos fuiffe exiftimant eos, qui laborum moleftias lenire vellent fpe praemiorum, vt mens Chrifti fuerit haec: ficuti fructus fpes meffores prouocat ad operas faciendas, laborumque moleftias minuit ac lenit, quoniam non longe abeft praemium, ita et vos fpe praemiorum alacres effe debetis ac promti ad perficiendum opus fidei veftrae demandatum. Sed iam ab aliis, et recte quidem obferuatum eft, nihil ex antiquitate afferri poffe, quo tale adagium apud Hebraeos in vfu fuiffe comprobetur, v. *Lampius* T. 1. p. 777. nec video, cur ab eorum in-

terpretum fententia recedendum fit, qui verba huius verfus priora fimpliciter explicant: iam, hoc ipfo fementis tempore, vos dicitis, poft quatuor menfes inftat meffis. Perquam autem probabile eft, Iefum, qui a rebus obuiis et in fenfus incurrentibus argumenta atque imagines defumere foleret, eminus confpexiffe hominem, qui fementem faceret, atque ea quae h. l. leguntur dixiffe, menfe Decembri, cum hordeorum facerent fementem. „Notandum autem, nec fementem nec meffem vno momento aut die perfici, fed habere fpatium duorum menfium, quo pacto a fine fementis ad initium meffis numerabantur menfes quatuor — Dimidium Tisri, totus Marhefuan, et dimidium Cisleu, fementis eft. — Dimidium Nifan, totus Iiar, et dimidium Siuan, meffis." *Wetftenius* ad h. l. Alia femina maturius, alia ferius terrae committebantur. Quod hordeum attinet, illis in regionibus Orientis inter fementem et meffem interuallum quatuor menfium interiectum eft, vid. *Walchii* Calendarium Palaeftinae p. 25. *Buhlii* Calendarium p. 23. 25. *Paulfen vom Ackerbau der Morgenländer* p. 44 fqq. ante hordeum nihil metebatur; primitiae hordei fefto Pafchatos, menfe Nifan, noftro Aprili Deo offerebantur, vid. Leuit. 23, 10. Iofeph. Ant. 3, 10. quibus oblatis falx in fegetem immittebatur; et primitiae tritici fefto Pentecoftes offerebantur, v. Leuit. 23, 17. Hordei igitur fementem faciebant menfe Cisleu, noftro Decembri. Pro τετράμηνον fcilicet διάστημα, in plurimis optimae notae codd. legitur τετράμηνος fcl. χρόνος, quam lectionem *Griesbachius* in ordinem recepit. Particula ἔτι, quae in aliis libris deeft, facile a librariis omitti potuit, cum praecedens ὅτι in eandem fyllabam definat. Θεάσασθε τὰς χώρας, ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμόν] Vocabulum χώρα h. l. notat *agrum*, vt ap. Iofeph. Ant. 5, 9. Herodian. 6, 4. vbi legitur, τὴν χώραν γεωργεῖν. cf. et Luc. 12, 16. ibique not. λευκαί εἰσι cum de fegetibus maturis fermo fit, intelligi debet color albus, qui ad flauedinem aliquam accedit, qua eadem ratione Latini vfurpare folent verbum

albescere Ouid. Fast. 5, 357. vid. *Wetstenius* et *Lampius* ad h. l. Verissime autem interpretes, praeeuntibus Chrysostomo et Euthymio, monuerunt, his verbis excitasse Iesum discipulos, vt prospicerent aduentantem Samaritanorum multitudinem, promtam et paratam ad suam doctrinam admittendam, vt inde colligerent, quam maturae essent regiones aliae. Etenim haec verba non posse proprie capi, inde patet, quoniam antea dictum erat, post interuallum quatuor mensium instare messem, et quoniam v. 36. sequitur: *συνάγει καρπὸν εἰς ζωὴν αἰώνιον*. Satis praeterea constat, Christum saepius doctrinae suae praedicationem cum semente, et conuersionem hominum cum messe comparasse, vid. Matth. 9, 37 f. 13, 3 f. Luc. 8, 5. Sensus igitur orationis Christi ita constitui debet: vos nunc temporis dicitis, messem adhuc esse remotam, equidem citius meto, mea messis iam adest, negotium a Patre mihi demandatum felici successu perago, videte aduentantem hominum multitudinem, meam messem, obuersatur quasi oculis vestris ager flauescens, hoc exemplo cognoscite, multa ingenia esse docilia, plurimos esse procliues atque paratos ad meam doctrinam amplectendam. Voluit ergo Christus his verbis spem amplioris messis faciendae in animis discipulorum excitare; nam quae sequuntur, spectant omnino illius aetatis homines, eorumque ad religionem christianam conuersionem. Minus recte alii omnem orationem Iesu v. 35 — 38. ad Samaritanos referunt. Huius sententiae propugnatores *τὸ θερίζειν metere* v. 36. 38. explicant de discipulis Samaritanos baptizantibus, vel Samaritanorum de Iesu dignitate Messiana persuasionem, narrationibus suis confirmantibus eiusque doctrinam accuratius iis explanantibus; quae autem v. 37. de alio qui sementem fecerit, et v. 38. de eo qui laborauerit, leguntur, intelligenda esse praecipiunt de Iesu, qui per colloquium cum Samaritana institutum, eam ipsam, vt et ciues ipsius, praeparasset ad suam doctrinam amplectendam. Quam dura autem atque coacta haec sit

interpretatio, non opus eſt, vt copioſius demonſtremus; cf. inprimis v. 38.

36. *καὶ ὁ θερίζων, μισθὸν λαμβάνει κ. τ. λ.*] *qui metit, mercedem accipit, et colligit fructum vitae aeternae, ita, vt pariter gaudeat, qui ſementem fecit, et qui metit.* *καὶ* ante *ὁ θερίζων*, quod diuerſarum recenſionum optimi codices omittunt, a librariis adiectum videtur. *ὁ θερίζων* qui huiusmodi agros metit. Verbum *θερίζειν*, quod proprie notat *metere, fruges maturos falce reſecare*, h. l. ſi ſenſum ſpectamus, ſignificat, conuertere homines ad Chriſti religionem, contra *σπείρειν* eſt fundamenta ponere tradendae doctrinae diuinae, hominum animos docendo praeparare; *μισθὸν λαμβάνει* explicatur verbis: *καὶ συνάγει*, *nempe* l. *dum, colligit fructus* i. e. homines perducit ad religionem et felicitatem perennem; hos fructus alias dixit Ieſus, colligi *εἰς ἀποθήκας in horrea* Matth. 13, 30. ſed h. l. vſus eſt verbis *εἰς ζωὴν αἰώνιον*, vt declararet apertius ſe non de meſſe naturali verba facere. Itaque *ὁ σπείρων* eſt Chriſtus ipſe, qui ſemina doctrinae ſuae ſparſit, et ipſe quoque mercede potitur, atque adeo laetatur, aeque ac meſſores, Apoſtoli, qui opus a Ieſu multo labore v. 38. inchoatum perfecerunt.

37. *ἐν τούτῳ* ſcl. *πράγματι* hac in re, hic. *ὁ λόγος ἐστὶν ὁ ἀληθινὸς*, *verbum* (prouerbium) *verum eſt* (Terent. Eun. 4, 5. 6.), prouerbium illud valet, in vobis hoc dictum comprobatur. *λόγος* vt Lat. *verbum* Terent. l. c. et Andr. 2, 5. 15. h. l. *prouerbium* notat, vt ap. Plat. in Sympoſ. *ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος ἐνέχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει,* quem locum *Wetſtenius* attulit. *ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων*] Similia prouerbia etiam apud ſcriptores Graecos reperiuntur. Laudant hanc in rem locum Ariſtoph. Equit. v. 391. *τ' ἀλλότριον ἀμῶν θέρος*, *alienam meſſem metens* h. e. metere, cum alius ſeminauerit, atque adeo metere debeat; ſcholiaſtes ibi habet: *τουτέστι τοὺς ἀλλοτρίους*

καμάτους καὶ πόνους οὗτος γεωργῶν καὶ καρπόμενος. Apud Suidam extat: ἄλλοι κάμον, ἄλλοι ὤναντο, *alii laborarunt, alii fructum perceperunt*, v. *Schotti* Adagia N. T. p. 90. et *Vorstii* Adagia N. T. c. 12. Etiam Hebraeis hoc prouerbium perquam vsitatum fuisse, praeter hunc locum, docere possunt loci Ies. 65, 21. 22. Matth. 25, 24. Neque tamen Hebraei hoc prouerbio semper in malam partem, sed etiam in bonam partem vsi sunt, cui vsui occasionem dedisse videtur locus Deut. 24, 13. vbi legitur: *dedi vobis terram, in qua non laborastis, vrbes quas non aedificastis, vineas et oliueta, quas non plantastis, vos comedetis.* Sic et h. l. Christus, qui excitare vellet discipulos, vt eodem studio, quo ipse, doctrinam diuinam traderent, eum in finem hoc prouerbium attulit, vt ostenderet negotii ipsius a discipulis suscipiendi facilitatem eximiam.

38. Quare ita pergebat: *Ego vos mittam messem facturos in agris, quos non coluistis, alii eos coluerunt, vos in laborem illorum succedetis.* ἀπέστειλα vim habet futuri, non minus quam sequens εἰσεληλύθατε, more Hebraeorum, qui saepius praeteritum pro futuro ponere solent, vid. *Glassii* Phil. S. p. 302 sq. κοπιᾷν cum ad arua refertur, generatim notat, *agrum colere, arare, serere*, vt 2 Tim. 2, 6. sed h. l. commutatur cum verbo σπείρειν quod v. 37. praecessit, atque adeo speciatim significat *serere.* ἄλλοι κεκοπιάκασι, *alii conseuerunt agros*, de Iesu ipso intelligendum, et populariter dictum est. Nonnulli hanc vocem ad Iohannem Baptistam et Iesum referunt; citra necessitatem. Scilicet, vt apposite ad h. l. notauit *Tittmanus*, sementem fecerat Iesus, dum fundamenta religionis et ecclesiae in his terris posuerat, neque tamen metebat, non videbat, dum in his terris viueret, fructus laboris, non videbat latam propagationem doctrinae extra Palaestinam, non videbat ecclesiam, ne in ipsa quidem Palaestina, metebant autem Apostoli, rem paratam aggrediebantur, atque videbant laetam doctrinae propagationem, ecclesias multas

et amplas, non modo in Palaeftina, fed etiam extra Palaeftinam.

39 — 42. Samaritani, non minus quam Iudaei, vt fupra vidimus, auide exfpectabant Meffiam; multi igitur Samaritanorum, permoti narratione mulieris, quae fibi a Iefu vitae fuae facinora etiam occultiffima, aperta effe narrauerat, antequam ex vrbe exirent, Iefum Meffiam effe credebant; hoc enim fenfu verbum πιστεύειν accipiendum effe, v. 29. docet. μαρτυρούσης, ὅτι κ. τ. λ. oratio directa pro indirecta. μεῖναι παρ' αὐτοῖς, *vt apud ipfos deuerteret*, nempe vberius ab eo inftitui cupiebant; μένειν *deuertere*, vt ap. Matth. 10, 11. vbi v. not. καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας, *per biduum ibi commoratus eft*: ἔμεινεν *commoratus eft*, v. ad Matth. 10, 6. Ioh. 1, 39. — 41. Iam audito Iefu, multo plures eius inftitutione eo redacti funt, vt eum Meffiam haberent. Recte laudarunt interpretes ad h. l. animum promtum et liberalem Samaritanorum, in recipienda Chrifti doctrina, inprimis fi compareтur cum Iudaeorum pertinacia. Nil memoratur h. l. de miraculis apud Samaritanos factis, fola Chrifti inftitutione adducti effe perhibentur, vt eum Meffiam effe crederent. λαλιὰ eft h. l. *fermo*, *narratio*, id. qd. μαρτυρία, vt v. 39. Sir. 42, 11. Polyb. 1, 32. 6. et in verf. Alex. Iob. 33, 1. Eccl. 3, 18. 7. 15. quibus in locis in textu Hebraico extat vocabulum דבר. Vocabulum ὁ Χριστὸς v. 42. extr. quod plures codd. Patrr. et verff. omittunt, grammaticorum additamentum fapit, vt v. 43. lectio καὶ ἀπῆλθεν.

43 — 46. Rediit Iefus in Galilaeam, vid. 4, 3. add. not. ad Matth. 4, 12. Galilaea erat Iefu patria, ibi enim educatus fuerat, v. ad Matth. 13, 54. iam vero fequitur v. 44. *ipfe enim dixerat nullum prophetam in patria fua auctoritate valere*. Quaeritur, quomodo haec cohaereant. Plerique v. 43. extr. hanc fententiam fupplendam effe ftatuunt: *praeterito Nazaretho, nam ipfe dixerat* etc. et πατρὶς

v. 44. non de regione, fed de *vrbe patria* intelligunt, de qua huius vocabuli notione vid. *Kypkius* ad h. l. et not. ad Matth. l. c. Ita vero perquam obfcure auctor mentem fuam expreffiffet, neque his ambagibus opus eft, dummodo γὰρ vertatur, *quamquam*, quo eodem fignificatu particula כי adhibita extat 2 Sam. 2, 7. Ier. 4, 30. de qua particulae γὰρ vi ac poteftate conf. *Noldius* in Concordd. Particc. p. 371. et *Devarius* de Particc. Grr. p. 91. ed. *Reusm.* Verborum igitur cohaerentia et mens fcriptoris haec eft: rediit in Galilaeam, quamquam dixerat, prophetam in patria fua contemni; rediit eo praeter omnem fpem et exfpectationem, nempe praeuidebat, Galilaeos ipfum nunc lubentius et benignius excepturos effe, quam olim coll. v. 45. ἐμαρτύρησεν, *profeffus erat*, pertinet huc locus Luc. 4, 24. vbi Iefus legitur haec dixiffe Nazarethanis ipfum repudiantibus, add. Matth. 13, 57. vbi v. not. Alii ἐμαρτύρησεν fine omni idonea ratione interpretantur: *dicere folebat.* — 45. ἐδέξαντο αὐτὸν, *beneuole et honorifice eum exceperunt*, habebant enim eum pro legato diuino, quippe quod viderant omnia infignia facta ab eo Hierofolymis fefto Pafchatos edita, v. 2, 2, 23. εἰς τὴν ἑορτὴν e legis praefcripto Deut. 16, 16. Exod. 34, 23. 24. vid. not. ad Luc. 2, 41.

47. Cum fama percrebuiffet, Iefum e Iudaea rediiffe, atque fe Canam contuliffe, properabat ad eum βασιλικὸς quidam, qui ibi commorabatur, eumque rogabat, vt proficifceretur Capharnaumum, et filio ibi aegrotanti valetudinem priftinam reftitueret. Iohannem h. l. eandem cum Matthaeo 8, 5. et Luca c. 7. enarrare hiftoriam, *Semlerus* ftatuit; quod quomodo ftatuere potuerit, non facile perfpicitur, cum e contextuum circumftantiis, omnique orationis ferie, fatis luculenter appareat referri diuerfam h. l. hiftoriam ab ea quae Matth. et Luc. ll. cc. relata legitur. Initio huius verfus ἀπὸ τοῦ κοινοῦ fuppleri debet ἐκεῖ vel ὅπου. Quo fignificatu autem vocabulum βασιλικὸς ac-

cipiendum fit, disfentiunt inter fe interpretes. Chryfoftomus duplicem interpretationem affert, vel erat τοῦ γένους τοῦ βασιλικοῦ, *e gente regia ortus*, vel ἀξίωμά τι ἀρχῆς ἕτερον οὕτω καλούμενον εἶχε, *alia principatus dignitate praeditus erat, quae ita vocabatur* i. ob quam ita vocabatur, nempe βασιλικός. Scilicet βασιλικὸς omnino notare poteft, *e gente regia* (Herodis Antipae) *oriundum*, ita vt fubintelligatur ἀνήρ, v. *Kypkius* ad h. l. talem hominem, agnatum quendam Herodis, praeter alios, innui cenfet *L. Bofius* Exercitt. S. p. 61. contra vero *Kypkius* ad h. l. obferuat, fi regiae fuiffet ftirpis et dignitatis homo, haud dubie fcriptorem nomen eius adiecturum fuiffe, quare omnino *virum nobilem, in dignitate aliqua conftitutum*, intelligendum effe putat, de qua nominis fignificatione vid. locos ab eo e Plutarcho, Maximo Tyrio, et Luciano allatos. Etiam *Krebfius* ad h. l. monuit, Iofephum, qui in explicanda dictione fcriptorum N. T. inprimis audiendus fit, nunquam vocabulo βασιλικὸς, fed aliis nominibus vti ad defignandos e gente regia ortos. Poteft vero etiam ad hanc vocem fuppleri στρατιώτης, vt adeo indicetur *miles* f. potius *praefectus militum* coll. v. 51. *vel* vt nonnulli volunt Caefaris, (fed Romanos in Galilaea praefidia habuiffe, argumentis hiftoricis demonftrari nequit, vt notauimus ad Matth. 8, 5. p. 249) *vel* Herodis Antipae. Nomen βασιλικὸς de militibus a Iofepho adhiberi, pluribus locis e Iofepho defumtis (vbi tamen contextus fat clare docet, de militibus effe cogitandum) comprobauit ad h. l. *Krebfius*. Cum vero in omni hac hiftoria nihil occurrat, quod de milite fiue militum praefecto nos cogitare iubeat: affentior interpretibus iis, qui vocabulum ὑπηρέτης fubaudiendum effe cenfent, quae ellipfis perquam frequens et vfitata eft, v. *Wyttenbachius* ad Plutarch. de S. N. V. p. 43. et *L. Bofius* de Ellipf. fub v. ὑπηρέτης, vt adeo innuatur *minifter regis*, homo, qui in minifterio et famulitio Herodis Antipae effet; erat quidem Herodes tantum tetrarcha, interdum tamen etiam βασιλεὺς vocatur, vid. not. ad Matth.

2, 22. Ita quoque vocem βασιλικὸς intellexit Syrus interpres, vertit enim eam ܥܒܕ ܡܠܟܐ δοῦλος βασιλικός. Sic etiam Iosephus B. I. 7, 5. 2. aulicos, quos Parthorum rex ad Titum ablegauerat, vocauit βασιλικοὺς, et Ant. 15, 8. 4. Herodis ministros, quos antea appellauerat ὑπηρέτας, dixit βασιλικούς. Etiam ap. Liu. eodem sensu nomen *regius* occurrit. Plane autem spernenda est *Michaelis* sententia, qui βασιλικὸς nomen proprium viri fuisse statuit. Est enim haec coniectura legibus linguae contraria, cum v. 49. articulus praepositus legatur, nec v. 47. Euangelista scripserit ἦν τις ὀνόματι βασιλικὸς, sed ἦν τις βασιλικός. Caeterum hominem illum Iudaeum fuisse, recte colligitur ex increpatione v. 48. memorata. ἤμελλε ἀποθνήσκειν, *morti proximus erat*, vt Luc. 7, 2.

48. Sicharitae Iesum Messiam esse credebant, quamquam nulla inter eos miracula patrauerat, credebant διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ 41 sq. Galilaeorum plurimi eum neutiquam pro legato diuino habuerant, sed docentem repudiauerant v. 44. postquam autem spectatores fuerant miraculorum, quae Hierosolymis patrauerat, maiorem de eo opinionem concipere coeperant v. 45. Ex horum numero erat etiam regius ille, qui Iesu auxilium implorabat, et fortassis auxilium eius implorans, ipse professus erat, se miraculorum a Iesu Hierosolymis patratorum fuisse spectatorem, adeoque eum pro legato diuino habere, qui, si velit, filium sanare possit. Haec dixisse et professum esse regium, Euangelista quidem non disertis verbis memorauit, sed satis constat, Iohannem saepius summam tantum colloquiorum a Iesu cum aliis institutorum retulisse, vid. not. ad c. 3. Iesus igitur praesentibus Galilaeis pluribus, non illi tantum regio, sed et his dicebat: ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε, *nisi varii generis insignia facta vidissetis*, mihi non *fidem haberetis*, me non legatuum diuinum agnosceretis. Volebat Iesus miraculis adiuuare fiduciam in veritate quae de auctoritate et

dignitate ſua annuntiauerat reponendam, quae iam per ipſius ſermones excitari poſſet ac deberet, hominibusque viam et aditum parare ad illam de diuina cauſſae ſuae et doctrinae auctoritate perſuaſionem, quae ex ipſa huius doctrinae efficacia ſaluberrima, quo diutius eam homo experiatur, eo certior prodeat et efflorefcat; nolebat autem a ſolis miraculis omnem de dignitate ſua et auctoritate perſuaſionem pendere, hinc vituperabat Galilaeos, quod ſolummodo propter miracula ipſi fidem haberent, eum legatum diuinum agnoſcerent, v. *Schottus* de conſilio quo Ieſus miracula edidit ex ipſius ſermonibus recte cognoſcendo, Viteb. 1810. P. 2. p. 38 ſq. *Storrius* in Opuſcc. T. 3. p. 85 ſq. *Flattus* in *Magazin für chriſtliche Moral und Dogmatik* St. 4. p. 203 ſ. St. 3. p. 21 ſqq. Alii, vt *Raphelius* Obſſ. Herodo. p. 683. *Moldenhauerus, Michaelis, Schulzius, Storrius* l. c. exiſtimant, Ieſum ea, quae h. l. leguntur, dixiſſe, quod credidiſſet homo ille, eum quidem praeſentem ſanare poſſe aegrotos, non vero abſentem, vertunt: niſi miracula oculis veſtris videritis, non creditis, me miracula poſſe patrare. Ita vero mirum ſubit, qui factum ſit, vt nihilominus, audita hac reprehenſione, regius ille denuo rogare potuerit Ieſum, vt Capharnaumum ſe conferret, filiumque ſanaret.

50. 51. Ad illam Ieſu vocem, quam modo explicuimus, regius conſcientia conuictus nil reſpondebat, ſed rogabat Ieſum, vt abitum maturaret. Ille vero πορεύου, inquit, ὁ υἱός σου ζῇ, *reuertere domum*, non opus eſt, vt tecum eam, *filius tuus conualuit*; cum enim nondum ille mortuus eſſet, coll. v. 49. 52. cum praeterea parum ſolatii praebuiſſet Ieſus homini, ſi nihil aliud dixiſſet, quam filium viuere: planiſſimum eſt ζῇν h. l. et v. 51. ſignificare, *bene valere*, quo ſenſu etiam Hebr. חיה legitur Ioſ. 5, 8. Ieſ. 38, 1. quod οἱ ό Ioſ. l. c. et Hoſ. 6, 2. expreſſerunt verbo ὑγιαίνειν cf. etiam *Druſius* et *Schoettgenius* in Hor. Hebr. ad h. l. τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν pro ὃν εἶπεν, vt in

nonnullis codd. ex interpretamento legitur, vid. not. ad Marc. 7, 13.

52 — 54. Vt intelligeret pater, an filius eodem tempore conualuisset, quo Iesus hoc ipsi annuntiasset, ἐπύθετο παρ' αὐτῶν τὴν ὥραν ἐν ᾗ κομψότερον ἔσχε] *sciscitabatur ab iis*, a seruis, *quanam hora melius se habere coepisset*: κομψότερον Theophylactus interpretatus est βελτίον καὶ εὐρωστότερον. Hesychius: βελτιώτερον, ἐλαφρότερον, et apud Arrian. Epictet. 3, 10. sibi inuicem opponuntur formulae κομψῶς ἔχειν atque κακῶς ἔχειν, verba ibi sunt: ὅταν ὁ ἰατρὸς εἰσέρχηται, μὴ φοβεῖσθαι τί εἴπῃ· μηδ' ἂν εἴπῃ, κομψῶς ἔχεις, ὑπερχαίρειν· μηδ' ἂν εἴπῃ, κακῶς ἔχεις, ἀθυμεῖν, *quando medicus ingreditur, non verendum, quid dicturus sit; neque si dixerit*, belle habes (Cic. epp. ad fam. 16, 15.) *supra modum laetandum; neque si dixerit, male habes, desperandum*. Pro χθὲς *heri*, codd. Alexandrinae et Constantinopolitanae recensionis praestantissimi habent ἐχθὲς, quae lectio, cum haec aduerbii forma insolentior sit, praeferenda videtur; χθὲς est forma aduerbii Attica, in libris N. T. et vers. Alexandrina frequenter occurrens. Moeris: χθὲς — ἀττικῶς, ἐχθὲς — ἑλληνικῶς v. ibi *Piersonus* p. 402. Etymol. M. ἐχθὲς καὶ χθές. Οἱ Ἀττικοὶ χθὲς, οἱ δὲ κοινοὶ ἐχθές. Hesych. χθὲς, ἐχθές. Sed nec Attici altera forma ἐχθὲς, qua caeteri Graeci vsi sunt, plane abstinuerunt, vid. Aristoph. Plut. v. 883. 1047. et interpp. ad Thom. Mag. p. 913 sq. ὥραν ἑβδόμην ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετὸς] *hora septima a febri liberatus est*. Hora septima, quae nobis est hora prima a meridie. — 53. ἐπίστευσεν αὐτὸς καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη, *vna cum sua familia Iesu fidem habuit*, eum legatum diuinum, Messiam habuit, eiusque doctrinam amplexus est. — 54. τοῦτο πάλιν δεύτερον σημεῖον κ. τ. λ. notat Euangelista hoc fuisse secundum miraculum a Iesu Canae editum, atque respicit his verbis ad ea quae scripserat supra 2, 11. πάλιν cum sequatur δεύτερον redundat. Etymol. M. πάλιν σημαίνει —

τὸ ἐκ δευτέρου. Solent Hebraei (v. Ief. 51, 6. etc.) aeque ac Graeci et Latini fcriptores haud raro voces idem valentes coniungere, ita, vt alterutrum redundet, vid. *Fifcherus.* ad Plat. Phaed. 27, 11. *Reufmanus* ad Deuar. p. 78. Quare me non confentientem habent, qui πάλιν h. l. cum participio ἐλθὼν coniungendum effe praecipiunt.

CAPVT V.

1. μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων] *poftea inftante fefto Iudaeorum*, profectus eft Iefus Hierofolymam. μετὰ ταῦτα fc. πράγματα, vt 2, 12. μετὰ τοῦτο fcl. πρᾶγμα. Hebr. אַחַר הַדְּבָרִים Gen. 22, 1. *poftea.* In conftituendo autem die fefto, de quo h. l. fermo fit, in diuerfiffimas partes interpretes cum veteres tum recentiores abierunt. A) Ac plurimi quidem de *fefto Pafchatos* cogitarunt, vid. *Lampium*, *Rufium*, *Koecherum* ad h. l. *Pauli Kommentar* Th. 1. p. 737 fs. (ed. 1.) eiusdem *Zufätze* p. 305 fs. et ad hanc fententiam fuam confirmandam his potiffimum argumentis vfi funt: 1) Vocabulum ἑορτὴ etiam abfolute pofitum *Pafcha* denotat, vt Matth. 26, 5. Ioh. 12, 12. et Iohannes eo rectius hoc vocabulo Pafcha defignare potuit, cum paulo ante 4, 45. Pafcha (coll. 2, 23.) vocarit τὴν ἑορτήν. Neque opponi poteft, illis in locis, quos laudavimus, articulum vocabulo ἑορτὴ appofitum reperiri, h. l. autem illud fine articulo legi. Addunt quidem eum etiam h. l. codices nonnulli recenfionis Alexandrinae et Conftantinopolitanae, vid. *Griesbachius*, fed praeualet auctoritas plurium codicum, qui eum omittunt, et facile addi potuit a grammaticis, qui hoc ipfo additamento fignificare vellent, de fefto Pafchali h. l. effe fermonem. Sed Pafcha etiam aliis in locis fine articulo ἑορτὴ vocatur, vid. Matth. 27, 15. Marc. 15, 6. Luc. 23, 17. 2) Fauet huic fententiae inprimis locus 4, 35. quae enim ibi leguntur, dixit Iefus menfe Decembri, nam quatuor menfibus elapfis,

mense Aprili messis hordeacea initium capiebat, offerebantur Deo primitiae hordei festo Paschali; vid. ibi notata. 3) Si de alio festo, non de festo Paschali, nostro loco cogitandum esset, nomen festi haud dubie adiecisset Iohannes, cum alias id fecerit, vt 7, 2. ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ σκηνοπηγία, add. 10, 22. et h. l. inprimis necessarium eiusmodi additamentum fuisset, cum paulo ante 4, 45. Pascha simpliciter τὴν ἑορτὴν dixerit. 4) Obiecerunt alii, si festum h. l. memoratum, Paschale festum fuisset, cum 6, 4. iterum Pascha appropinquasse dicatur, res integro anno gestas, vno c. 5. comprehendisset Iohannes, hoc vero parum probabile esse Iam etsi ad huius argumenti leuitatem demonstrandam nolimus cum aliis eo prouocare, quod Iohannes supplementa historiae Euangelicae conscribere voluerit, (vid. quae contra hanc sententiam disputata sunt in Prolegg. §. 5.) nec adeo opus habuerit, commemorare omnia illa notabilia hoc anno in Galilaea gesta, quae reliqui Euangelistae retulerunt; hoc tamen certum est, Iohannem aeque ac Euangelistas reliquos, non omnes res a Iesu gestas, omnia eius itinera, literis consignare et recensere voluisse, sed tantum scribere voluisse ἀπομνημονεύματα, vid. *Eichhornii Einleit.* Th. 1. p. 643. — B) Alii h. l. festum *Purim* intelligendum esse censuerunt, v. quos laudauit *Lampius* T. 2. p. 5. cf. et *Hugii Einleit. in das N. T.* Th. 2. p. 157. quod in XIV et XV mensis Adar, qui nostro Martio respondet, incidebat, atque adeo vno mense Pascha praecedebat. Contra vero monuerunt alii, festum Purim peragi potuisse in pagis et oppidis, v. Esth. 9, 18. 19. 28. sed h. l. esse sermonem de festo Hierosolymis e legis praescripto celebrando, ter autem quotannis omnes mares coram Deo apparere debuisse, festo Paschatos, Pentecostes, et Tabernaculorum, v. Exod. 23, 14 ss. 34, 18. 22. s. Deut. 16, 16. sed inter Decembrem, quo mense Iesus ea dixerit, quae Ioh. 4, 35. leguntur, et Aprilem, nullum reperiri festum a Deo institutum, quod ad iter Hierosolymam suscipiendum

occafionem fuppeditauerit; intelligi ergo h. l. debere feftum Pafchale, non vero feftum Purim. Protulerunt et alia ad hanc fententiam refellendam, fupra iam fub lit. A. notata. C) Rurfus alii de *Encaeniis* cogitandum effe putarunt, quo nomine infigniebatur feftum octo dierum, quod incidebat in diem XXV m. Cisleu, noftrum XV m. Dec. atque a Iuda Maccabaeo in memoriam templi a fordibus Antiochi Epiphanis repurgati inftitutum erat. His ita ftatuentibus oppofuerunt alii, potuiffe etiam Encaenia domi tite peragi, nec eorum gratia Hierofolymam proficifci neceffe fuiffe; ea quidem Chriftum Hierofolymis egiffe ex Ioh. 10, 22. conftare, neque tamen ibi vt h. l. legi, eum ad feftum celebrandum Hierofolymam fe contuliffe, vid. *Rufii* Harm. T. 2. p. 670. Praeterea monuerunt v. 2 fqq. fermonem effe de thermis, κατὰ καιρὸν, calidis menfibus virtutem fanatricem probantibus, neque adeo vel propterea de Encaeniis menfe Decembri celebratis cogitari poffe. vid. et fupra A. 3. D) Alii porro (v. quos laudauit *Lampius* T. 2. p. 3.) feftum h. l. memoratum, accipiendum effe opinati funt de *fefto Pentecoftes*, quod finita meffi peragebatur et in diem a Pafchate quinquagefimum incidebat i. in medium Iunium ex noftra anni ratione. Inprimis hanc fententiam exornauit *Bengelius* in Ordine Tempor. p. 241. 252 fqq. neque tamen haec fententia certis et idoneis argumentis nititur, vt praeter alios inprimis docuit *Paulus* in *Kommentar* Th. 1. p. 738 fqq. ed. 1. Etenim Pentecofte nusquam abfolute et κατ' ἐξοχὴν vocatur ἑορτὴ, vt contra *Bengelium* monuit *Paulus* l. c. Neque facit ad *Bengelii* fententiam confirmandam argumentum hoc: fi non effet h. l. fermo de fefto Pentecoftes, fequeretur Iefum hoc feftum non celebraffe Hierofolymis, cum tamen feftum Pentecoftes e legis praefcripto Hierofolymis celebrandum effet. Nam ex filentio Euangeliftarum nihil colligi poteft, cum, vt fatis conftat, non hiftoriam, fed ἀπομνημονεύματα fcripferint. Obftat etiam eorum fententiae, qui Pentecoften intelligunt, locus Ioh. 4, 35. quatuor enim illi

menſes vsque ad meſſem locum non inueniunt intra Paſchatos et Pentecoſtes feſtum vnius eiusdemque anni, nec conueniunt cum tempore meſſis, quae quippe in Iudaea ſtatim poſt Paſcha inchoata, et in feſto Pentecoſtes fuerit finita. Praeterea *Paulus* monuit, ea quae c. 2, 23. — 5, 1. commemorantur, non euenire potuiſſe intra tam breue ſpatium XLV vel L dierum, intra Paſcha primum et feſtum Pentecoſtes. E) Alii denique ſermonem eſſe ſtatuerunt de *feſto tabernaculorum*, quod proxime poſt Paſcha Ioh. 2, 13. deſcriptum primo miniſterii Chriſti anno ſecutum ſit, v. *Lampius* T. 2. p. 4. et *Koecherus* ad h. l. vnde et in cod. 131. e gloſſemate additum legitur ἡ σκηνοπηγία. Obſeruarunt huius ſententiae defenſores, hoc feſtum, quod inde a die XIV menſis Tisri, qui noſtro Octobri reſpondet, per ſeptem dies celebrabatur, et in quo Deo praecipue pro vindemia gratiae agi debebant, fuiſſe e feſtis ſolennibus; in ſcriptis Rabbinorum κατ' ἐξοχὴν appellari חג, et ſimpliciter ἑορτὴ Ioh. 7, 10. 11, 14. 37, atque hoc feſtum etiam Ieſum Hieroſolymis celebraſſe ex Ioh. 7, 2 ſqq. apparere. Qui hanc ſententiam impugnarunt, his rationibus vſi ſunt: Rabbini feſtum tabernaculorum tum demum חג vocant, cum e contexta oratione ſatis dilucide patet, de hoc feſto agi, v. *Lampius* ad h. l. vocatur quidem hoc feſtum Ioh. l. c. ſimpliciter ἡ ἑορτὴ, ſed iam v. 2. nominatim fuerat expreſſum, et v. 8. additum legitur ταύτην, cumque ibi v. 2. quo perſpiceretur, quodnam feſtum intelligendum eſſet, notatum ſit: ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ σκηνοπηγία, haud dubie ſatius fuiſſet, ſi h. l. de feſto tabernaculorum cogitandum eſſet, tam in hoc priori loco, quam poſteriori, hanc explicationem adiicere. Aduerſatur praeterea etiam huic ſententiae locus Ioh. 4, 35. — Praecipuum et ſatis graue argumentum, vt hactenus vidimus, ii qui de feſto Paſchali h. l. cogitandum eſſe cenſent, e loco Ioh. 4, 35. petere ſolent. Sed interpretes, qui hoc feſtum noſtro loco intelligendum eſſe negant, verba illa prouerbium inter Iudaeos

vſitatum fuiſſe exiſtimant, (vid. tamen ibi notata,) adeoque contendunt, neutiquam ex illo loco certo conſtitui poſſe, quonam anni tempore Ieſus verba illa protulerit, et quodnam feſtum h. l. intelligi debeat, cum vero ſermo ſit h. l. de feſto, cuius celebrandi cauſſa Hieroſolymam aſcendere ſolerent ac deberent Iudaei mares Ex. 23, 17. coll. Luc. 2, 41.: plerique horum interpretum praecipiunt, commode intelligi poſſe feſtum Pentecoſtes vel tabernaculorum. Neque nos quidem eorum ſententiam, qui de feſto Paſchali cogitant, omni exceptione maiorem habemus, eam tamen perquam probabilem eſſe opinamur; hac vero ſententia admiſſa, a Iohanne memorata ſunt tria ſaltem, vel quatuor Paſchata, quae Ieſus doctor Hieroſolymis celebrauit, nempe primum 2, 13. ſecundum 5, 1. tertium 6, 4. (vbi v. not.) quartum 13, 1. vt adeo Ieſus munere doctoris per tres annos cum dimidio functus ſit. Cf. *Eichhornii Einleit.* Th. 1. p. 645. *Koerneri* Diſſ. quot Chriſtus poſt baptismum celebrarit Paſchata, Lipſ. 1779. 4. *Marſhii Anmerkk. und Zuſätze zu Michaelis Einleit.* Th. 2. p. 46 ſqq.

2. ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις — πέντε στοὰς ἔχουσα] *eſt autem Hieroſolymis iuxta portam ouiariam lauacrum, Hebraice Bethesda dictum, quinque porticibus inſtructum.* Pro ἐστὶ Syr. vtr. Arr. Perſſ. Arm. et Nonn. habent ἦν. (Theophyl. et Cyrill. monente *Matthaeio* habent ἐστί.) Hanc lectionis varietatem originem ſuam debere cum iis, qui arbitrarentur Iohannem Euangelium ſuum poſt euerſam Hieroſolymam literis conſignaſſe, tum iis, qui non illius, ſed ſuae aetatis rationem haberent, quis eſt qui dubitet? Nihil ergo mutandum. Cum vero perquam probabile ſit, Iohannem ſcripſiſſe poſt excidium Hieroſolymorum, vid. Prolegg. §. 6. vel dicendum eſt, Iohannem qui non fuerit euerſionis Hieroſolymorum teſtis ocularis, et a patria, cum Euangelium conſcriberet, remotus viueret, non omnia plane diruta putauiſſe, adeoque ita locutum eſſe, ac ſi

porta illa adhuc ftaret, v. *Eichhornii Einleit.* Th. 2. p. 257. vel ftatuendum eft, ἐςὶ pofitum effe pro ἦν, quae enallage temporum Iohanni admodum frequens et vfitata eft, v. 1, 15. 29. 44. 46. 5, 14. 32. 9, 13. 8, 58. 1 Ioh. 4, 17. ἐπὶ vt Hebr. על notat, *ad, iuxta*, id. qd. παρὰ, v. *Fifcheri* Animaduu. ad *Wellerum* Vol. 3. P. 2. p. 229 fq. Verba autem ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα varie in libris antiquis leguntur, et ab interpretibus diuerfo modo explicantur. Nempe in nonnullis libris legitur Ἱερσσ. ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ, vt adeo κολυμβ. in dandi cafu pofitum fit, fic ed. Slau. mf. et ed. προβατικὴ κολυμβήθρα, in nominandi cafu, omiffo ἐπὶ τῇ, 61. in m. 116. Mt. 19. Aeth. Arr. Slau. ed. recent. Vulg. ed. for. tol. Euf. Ath. Chryf. (etiam in Mt. 6. codd.) Theod. Mopfu. Ammonius in Catena. Theophyl. Hier. Beda. Scholia ap. Mt. ἐςι ἐν Ἱερσσ. κολυμβήθρα, omiffo ἐπὶ τῇ προβατικῇ Syr. Perff. omiffo etiam κολυμβήθρα Cyr. Ingeniofa eft *Schulzii* in *Anmerkk.* ad h. l. coniectura, auctores verff. Syr. Perff. legiffe Ἱερσσ. προβατικὴ κολυμβήθρα, eos autem nomen προβατικὴ temere, non pro Graeco, verum pro Chaldaico vocabulo פְּרוֹבַטְיָא h. e. *balneae*, vid. *Buxtorfii* Lex. Chald. p. 1796. habuiffe, atque adeo cum προβατικὴ et κολυμβήθρα vocabula eiusdem fignificatus effe putarent, ita vt pofterius explicationis cauffa additum effet, verba προβατικὴ κολυμβήθρα fimpliciter expreffiffe *locus ablutionis, lavacrum.* — Codices fere omnes vulgarem lectionem Ἱερ. ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα tuentur; nihilominus tamen haud pauci interpretes hanc lectionem follicitarunt, et vel omiffo ἐπὶ τῇ legendum effe praeceperunt προβατικὴ κολυμβήθρα nominandi cafu, vel in Datiuo προβατικῇ κολυμβήθρᾳ. Hanc pofteriorem lectionem praeter alios defendit quoque *Hammondus*, qui fine idonea ratione et durius fubintelligi vult vocabulum οἰκία, בית, quod contineatur in fequenti *Bethesda*, vertit: *aedificatum erat ad pifcinam ouiariam aedificium, quod quinque porticus habebat, Bethesda dictum.* Praeferendam putat hanc lectio-

nem etiam *Olearius*, cum στοαὶ non commode lacui tribui possint, et incongruum sit Βηθεσδὰ ad κολυμβήθραν *piscinam* referre, atque aquas vocare בית, *domum*. Adstipulatur *Oleario Paulus*, eoque praeeunte verba ἔστι δὲ referenda statuit ad ἡ ἐπιλεγομένη κ. τ. λ. *es ist zu Ierusalem an dem Schaafteiche, die hebräisch so genannte Bethesda (Wohlthätigkeitswohnung), welche fünf bedeckte Gänge hat.* Sed vt iam ab aliis obseruatum est, languet oratio, si verba ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ non referuntur ad κολυμβήθρα, quod proxime praecessit, quodque omnino respiciunt; praeterea Hebraei nomen בית de quouis *receptaculo* et *loco* adhibere soliti sunt, vnde etiam Luc. 19, 29. pro Graeca voce ἐλαιῶν *olearum* Syra versio habet בית זיתא *locus olearum* s. *oliuetum*, commode igitur lauacrum dici potuit בית, nec absonum est ad lauacrum referri στοὰς, porticus numero quinque ad lauacrum exstructas. Interpretes autem illi qui vocabula προβατικὴ κολυμβήθρα coniungenda putarunt, varias protulerunt coniecturas, cur *piscina* illa dicta fuerit *ouiaria*. Nonnulli opinati sunt oues, antequam immolarentur, in lacu isto lotas fuisse; ex aliorum sententia viscera et ossa mactatarum ouium ibi a ministris templi abluebantur et purgabantur. Sed probari nequit, hostias ante earum mactationem vel hic vel alicubi lotas fuisse, intestina autem mactatarum, in templo, non extra templum abluenda et purganda erant, v. *Lightfootus* Horr. Hebrr. et Talmudd. ad h. l. et *Witsius* in Miscell. Sacrr. T. 2. p. 250. neque vnice et praecipue oues, πρόβατα in templo offerebantur et mactabantur; nullibi praeterea etiam illa *piscina ouiaria* memoratur. Inhaerendum ergo omnino est lectioni vulgatae, et cum vox προβατικῇ per ellipsin dicta sit, aptissime intelligetur vocabulum πύλῃ *ad portam ouiariam*. Etenim hoc vocabulum haud raro solet omitti, vt in Σκαιαὶ ap. Hom. Il. γ', 263 τῷ δὲ διὰ Σκαιῶν πεδίονδ' ἔχον ὠκέας ἵππους. Philostrat. Icon. 1, 27. ὡς τὰ ἐνύπνια διὰ τῆς ἀληθοῦς ἀνάγων scl. πύλης. De ellipsi vocabuli *porta* ap. Latinos

vid. Mifcell. Obff. Vol. 8. p. 67. *Porta* autem *ouiaria* i. porta per quam oues paftum ducebantur, vel, vt alii volunt, oues immolandae ad templum deducebantur, diferte memoratur Neh. 3. 1. vbi Alexandrini interpretes שער הצאן reddiderunt: τὴν πύλην τὴν προβατικὴν add. ib. v. 32. 12 39. Accurate tamen fitus huius pifcinae definiri nequit. Plures erant olim Hierofolymis pifcinae, v. Iofeph. B. I. 5, 3, 2. 4, 2. et hodienum ibi reperiuntur, vid. *Pococke* Th. 2. p. 16. verf. vernac. Memorat Iofephus B. I. 6, 12. etiam pifcinam ad feptentrionem templi fitam, hodieque oftenditur pifcina Bethesda, exficcata tamen, ad feptentrionem templi, contigua areae templi et portae Stephani, vid. *Paulus* ad h. l. et *Maundrellii Reifebefchreibung*, in *Pauli Sammlung der merkwürdigften Reifen* Th. 1. fed defunt argumenta idonea, quibus comprobetur, hanc pifcinam eandem effe, cuius h. l. Iohannem mentionem fecit. κολυμβήθρα] a κολυμβᾷν *natare*, non tantum notat *pifcinam* ftricte fic dictam, pifcibus alendis gignendisque, fed quamcunque *aquarum colluuiem*, quemuis *lacum*, quoduis *aquarum receptaculum* h. l. vt v. 7. *balneum*, *lauacrum*, in verfione Alexandrina hoc nomine exprimitur Hebr. בְּרֵכָה, v. Neh. 2, 14. Suidas: κολυμβήθρα· ὁ κόλυμβος· ὁ κόλυμβος δὲ ὁ τοῦ λουτροῦ, vid. ibi *Küfterus*. Nonnulli κολυμβήθρα explicuerunt, aedificium fuper thermas f. aquas medicatas exftructum, vbi homines fe lauant. Sed haec vocabuli notio aliunde probari nequit, repudiat eam etiam v. 7. vid. *Schulzius* ad h. l. ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ] Ἑβραϊστὶ h. l. dialecto Syro-chaldaica, illa aetate Hierofolymis recepta. Pro Βηθεσδὰ in nonnullis libris vittofe legitur Βηθσαϊδὰ, in aliis Βηθζαθὰ f. Βηζαθὰ, in aliis quibusdam *Betzeta*, v. *Griesbachius* et *Schulzius* ad h. l. Lectio vulgaris, quae plurium et praeftantiffimorum codicum auctoritate nititur, retinenda eft. Sed de huius vocis compofitione disfidenț inter fe interpretes, v. *Wolfius* et *Koecherus* ad h. l. Haud pauci nimirum eam compofitam effe ftatuunt ex בית *domus*, *locus* et Syr.

אשׁדא *effuſio,* vt adeo ſignificetur *domus* ſ. *locus effuſionis* l. *defluuii*, atque exiſtimant, hoc nomen piſcinam fuiſſe adeptam, quod ſanguis victimarum, aut aquae, quibus ſacerdotes victimas abluerent, e templo per canales in hanc piſcinam manarint. Cum vero haec vocabuli interpretatio nitatur coniecturis perquam incertis: praeferenda eſt haud dubie longe probabilior atque ſimplicior ratio eorum, qui Βηθεσδὰ compoſitum eſſe cenſent ex בית et Syr. חסדא *benignitas, gratia.* Litera ח in Graeco nomine omittitur, vti et in aliis fieri ſolet Matth. 1, 4. Ναασσὼν pro Ναχσὼν Luc. 3, 37. Μαθουσάλα pro Μαθουσάλαχ, v. *Glaſſius* Phil. S. p. 718. ed. *Dath.* Dictus ergo eſt lacus ille Βηθεσδὰ *locus benignitatis, gratiae*, ob reſtitutam ibi aegrotorum Dei beneficio valetudinem. Atque ita etiam Syrus interpres et Arabs nomen Βηθεσδὰ intellexerunt. Ex omni narratione patet, aquam illam piſcinae vim medicandi aegrotis habuiſſe. Vnde autem hanc medicam vim habuerit, quaeſitum eſt ab interpretibus. *Lampius*, *Witſius*, *Wolfius*, alii, aegrotis per miraculum valetudinem reſtitutam fuiſſe ſtatuerunt. Rectius alii ad naturae vires rem omnem reuocarunt, diuerſa tamen ratione explicuerunt. Scilicet iam inter antiquiores interpretes, teſte Theophylacto, fuerunt, qui putarent, ablutione inteſtinorum ſacrificalium virtutem quandam diuinam accepiſſe piſcinae illius aquam. Verba Theophylacti ſunt: εἶχον δὲ οἱ πολλοὶ ὑπόληψιν, ὅτι καὶ ἀπὸ μόνου τοῦ πλύνεσθαι τὰ ἐντόσθια τῶν ἱερείων, δύναμίν τινα λαμβάνει θειοτέραν τὸ ὕδωρ. Ex recentioribus interpretibus hanc ſententiam primus, quantum equidem ſcio, defendit et exornauit *Hammondus*; ad cuius partes deinde acceſſerunt alii, ita, vt in nonnullis tantum ab eo disſentirent. Contendit nimirum aquam vim accepiſſe medicam a ſanguine victimarum, earumque lotis in hac piſcina viſceribus, inprimis autem tantam curandi vim hanc piſcinam eo tempore habere potuiſſe, quo multa victimarum millia vno die interficerentur, et aquam ſuo ſanguine ac viſceribus tingerent, vt in feſtis, praeci-

pue Paſchate, v. Ioſeph B. I. 6, 9. 2. Per ἄγγελον intelligit miniſtrum, a ſacerdotibus tempore opportuno miſſum ad turbandam aquam: qui cum eſſet nuntius praemiſſus, veluti ad aegros monendos, vt ſe ſequerentur, dici potuerit ἄγγελος, hoc eſt nuntius. — Inepta ſunt et omni idonea ratione deſtituta, quae *Hammondus* de miniſtro ſacerdotum aquam turbante protulit, explicanda ſunt potius quae h. l. de genio coeleſti commemorata leguntur, ex Iudaeorum cogitandi et loquendi conſuetudine vid. ad v. 4. not. Quare et hanc *Hammondi* ſententiam (cui vel ipſum nomen ἄγγελος ſine vlteriori explicatione, omiſſo etiam articulo poſitum refragatur) nonnullis quidem probatam, v. *Heumanus* ad h. l. plures impugnarunt, v. *Witſius* l. c. et quos laudauit *Wolfius* ad h. l. Falſa quoque ſunt et ab Hebraeorum inſtitutis aliena, quae *Hammondus* de victimarum viſceribus iu piſcina ablutis diſputauit; nam, vt ſupra iam monuimus, inteſtina victimarum in templo, non extra templum purgabantur et abluebantur. Hinc alii opinati ſunt, ſanguinem victimarum e templo per canales in hanc piſcinam fuiſſe deriuatum. Omnino negari nequit, ſanguinem pecudum recens mactatarum vim medicam aquae tribuere potuiſſe, v. *Richterus* Diſſ. de balneo animali, in eiusd. Disſertationibus IV. medicis, in vſum theologorum et philologorum ſeorſim editis, Gotting. 1775. et *Michaelis* ad h. l. ſed definiri nequit, vtrum piſcina illa extra vrbem ad portam ouiariam, an in vrbe, in vicinia templi ſita fuerit, neque probari poteſt ſanguinem victimarum in eam per canales fuiſſe deriuatum. Longe probabilior eſt *Bartholini* in libro de Paralyticis N. T. Lipſ. 1685. ed. 3. *Meadii* in Medica ſacra, *Heumani*, aliorumque plurium interpretum ſententia, qui aquas illas vim naturalem ſanandi morbos habuiſſe, easque thermas fuiſſe ſtatuunt. Erant enim etiam circa Tiberiadem et Emmauntem thermae ſalutares, vt docuerunt *Lightfootus* Horr. Hebrr. p. 133 ſs. 702. *Relandus* in Palaeſtina p. 301. ſolent aegrotis v. 3. memoratis aquae medicatae ſanitatem reſtituere, v. *Bartholinus* p. 89. Plin. H. N. 31, 2. et quae

de commotione aquae v. 4. 7. leguntur, thermis conueniunt. *Bartholinus* p. 78.: *turbatur aqua thermarum subterraneo calore ebulliens, et luti virtutes per totam aquae superficiem tribuens.* *Meadius* l. c. p. 49. *Censeo, piscinae huius aquam vim medicatam a coeno in fundo suo haerente acquisiuisse, quod salibus metallicis, ex sulphure forsan, alumine, aut nitro, grauidum erat. Haec autem, cum aqua caussa aliqua naturali, calore forsan subterraneo, aut imbribus, turbaretur, sursum eleuata ei miscebantur, illis profutura, qui antequam subsedissent particulae metallicae in piscinam descenderent.* Statis temporibus, κατὰ καιρὸν, vt v. 4. legitur, aqua vim suam exserebat. Est et hoc, vt *Bartholinus* pluribus exemplis docuit, multarum thermarum, vt statis temporibus singularem quandam vim exerceant, et virtutem sanatricem probent. Nec obstant huic sententiae quae v. 4. (si locus genuinus) de genio coelesti aquam commouente leguntur. Solebant enim Iudaei omnia, quorum caussae eos laterent, ipsas etiam naturae effectiones, referre ad auctores inuisibiles, ad spiritus, quorum ministerio Deus ad exsequenda sua mandata vteretur, v. ad Matth. 1, 20. Obss. nostr. ex libris Apocryph. ad Act. 12, 23. Caeterum in Iosephi quidem libris nulla mentio facta est balnearum h. l. descriptarum; hoc tamen Iosephi silentium nos non adducere potest, vt de veritate narrationis ipsius dubitemus; Iosephus enim et alias res silentio praeteriit, quarum tamen veritas neutiquam in dubium vocari potest, v. ad Matth. 2, 16. et *Wolfius* in Curis ad v. 6. πέντε σοὰς ἔχουσα] *quinque porticibus instructa*: σοαὶ *porticus*, loca superius tecta, sed ad latus aperta, columnisque interstincta, ad lauacrum Bethesdae. Suidas: σοά· τὸ ταμεῖον, διὰ τὸ περίμηκες εἶναι.

3. ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων] *in iis decumbere solebat magna multitudo aegrotorum.* Vocabulum generalius ἀσθενούντων, quod de aegrotis quibuscunque vsurpatur, accuratius definitur additis vocabu-

lis: *τυφλοὶ coeci*, *oculorum vitio laborantes*; *χωλοὶ claudi*, *pedibus debiles*; *ξηροὶ tabefcentes*. Nomen autem ξηρός proprie adhibetur de plantis et arboribus, quae humore vitali deftitutae exarefcuut et emoriuntur; hinc ξηροὶ dicuntur ii, quorum corporis membrum aliquod tabefcit, vel tabidum eft, ita, vt nil vertatur in fuccum et fanguinem, fed fucco et nutrimento omni careat, v. *Schleufnerus* h. v. Sed hac ipfa voce vtuntur quoque medicorum filii ad febrim exficcantem defignandam, v. *Stephanus* in Thef. Gr. vt adeo ξηροὶ etiam h. l. intelligi poffit de phthifi, tabe laborantibus.

4. ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν — ᾧ δείποτε κατείχετο νοσήματι] Monent, qui locum genuinum effe putant, Euangeliftam enarraffe h. l. opinionem vulgi, eum partes hiftorici egiffe, non autem iudicium fuum appofuiffe. Pro ἄγγελος in nonnullis libris legitur ἄγγελος Θεοῦ, in aliis Κυρίου, quae additamenta a grammaticis profecta funt. κατὰ καιρὸν, *ftatis temporibus*, certo anni tempore non femel, fed faepius. ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ pofitum eft pro εἰς τὴν κολυμβήθραν. Terminatio paffiua ἐταράσσετο, quam CG. 36. 40. 63. al. exhibent, nata eft ex fequente τὸ, librariorum incuria. ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος] *qui primus poft aquarum motum fe immerfiffet*. Fontis medicati vis tum maxime fe exferebat, cum ebulliret aqua. Non fubito, fed poft aliquot tempus, repetito balnei vfu, aegroti conualuiffe videntur, neque enim v. 4. verbis ὑγιὴς ἐγένετο additum legitur εὐθέως aut παραχρῆμα. Inualuerat autem opinio praeiudicata haec, aquae commotae virtutem fanatricem experiri tantummodo eum, qui primus cum ebullire cepiffet, lacum ingreffus effet. Haud dubie plures e quinque porticibus, quoties aqua turbaretur, eodem fere temporis momento, fe in eam iniiciebant, ita, vt non accurate discerni poffet, quinam primus in balneum defcendiffet. Qui vero aquarum vfu valetudinem recipiebat, fanitatis recuperationem inde deriuabat, quod primus poft illum aquarum

motum sese immersisset coll. 7. v. *Langius* et *Paulus* ad h. l. Quomodo haec praeiudicata opinio orta sit, definire nequit; fortassis valetudinarii nonnulli, cum nondum detecta esset aquae salubritas medica, ea ebulliente lauerant; et qui primus lacum ingressus erat, se recreatum, viribusque auctum senserat, reliqui, non propterea quod serius in lacum descenderant, sed aliis de caussis, hanc salubritatem aquae non perceperant. ὑγιὴς ἐγένετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι] *conualescebat, quocunque tandem morbo laborasset.* Male *Hammondus, Bartholinus, Heumanus*, haec verba referenda esse putant ad tria tantum morborum genera v. 8. memorata. Communis erat opinio huius, balnei vsum morbum quemcunque depellere, et haec opinio praecon-cepta nitebatur illa altera, nonnisi eum, qui primus se aquae iniecisset, cum ea ebullire coepisset, vim medicam illius percipere. Qui ergo aquarum vsu sanitatem non recuperarat, is huius rei caussam putabat esse hanc, quod non primus fuisset, qui aquae sese immersisset. Caeterum ad verba: κατείχετο νοσήματι, annotarunt interpretes, distinguere medicos inter ἔχεσθαι νόσῳ atque κατέχεσθαι, eosque per priorem formulam morbos incipientes et quasi instabiles, per posteriorem contumaces et chronicos indicare, vid. *Wolfius* et *Koecherus* ad h. l. Iam vero expositis singulis huius loci verbis, restat, vt de authentia illius, a multis impugnata, a multis vero etiam defensa, nonnulla disputemus. Est autem omnino hic locus interpolationis nomine valde suspectus. Etenim 1) verba v. 3. ἐκδεχομένων — κατείχετο νοσήματι v. 4. non leguntur in BC* 157. cod. reg. 2441. Copt. et Nonnus in Metaphr. ne verbulo quidem rem omnem de aqua per angelum mota attigit, quam rem singularem poeta non praeteriisset, si locum in suo cod. reperisset. Verba v. 3. ἐκδεχομένων — κίνησιν absunt a cod. A. L. 18. Versus 4. ἄγγελος — νοσήματι deest in cod. D. 33. Arm. cod. cant. brix. harl. * reg. lat. 2282 * et Parif. in colleg. Ludouic. (Augustinum quoque hunc versum non legisse *Wetstenius* notat, sed ha-

buit huius loci rationem ad Pſ. 71. p. 763. add. ad Pſ. 54. et 103. 1) Porro aſteriſcis notant, adeoque pro additamento declarant codd. S. 21. 24. 36. 145. 161. 166. 230. regius 3423. ap. Wetſten. 3424. ap. Kuſter. obelo, dubitationis ſigno regius 2242. Origenes in Comment. in Ioh. a v. 1. ſtatim ad v. 5. transit. Habent hunc locum Tertullian. (de Baptismo c. 3. adu. Iudd. c. 13,) Chryſoſt. Cyrill. Euthym. Theophyl. Scholia ap. Matthaeium, Syr. Vulg. Sax. cdd. It. al. Diuerſarum ergo recenſionum codd. antiquiſſimi et praeſtantiſſimi hunc locum omittunt. 2) Si verba, quae v. 3. extr. et v. 4. leguntur, a Iohanne profecta ſunt, nulla idonea ratio omiſſionis eorundem afferri poteſt. Neque enim priorum ſeculorum chriſtianos, miraculorum cupidos, offendere poterat narratio, angelum de coelo veniſſe et aquam commouiſſe, neque vero etiam caſu in tot codicibus verba illa omitti potuerunt. Nam improbabilis eſt eorum coniectura, qui oculos, et manus librariorum nimis feſtinantes a voce ἐκδεχομένων, quae v. 3. extat, aberraſſe ſtatuunt, ad voces primas commatis quinti ἦν δὲ, cum hae voces non admodum ſint affines primis participii ἐκδεχομένων ſyllabis, v. *Haſaeus* in Biblioth. Brem. Cl. 2. p. 1043. 3) Facile vero oſtendi poteſt, quomodo hoc additamentum in codd. irrepere potuerit. Nempe quae v. 3. extr. et v. 4. leguntur, addita ſunt ab iis, qui lectoribus explicare vellent, quae v. 7. enarrata reperiuntur, de aqua commota, de aegroto, qui ſanitatem non recuperaſſet, quod alius ante eum in aquam deſcendiſſet. Sedulam rei explicationem prodit etiam verbum ἐλούετο, quod v. 4. pro κατέβαινε in A. 42. ap. Mill. Aeth. Syr. p. legitur, quae lectio cum alii grammatico inepta videretur ἐλούετο in cod. K. mutabat in ἔλουε τὸν ἐν τῇ κολ. *lauabat* angelus *eum qui in piſcina eſſet.* Narrationem autem omnem ſucceſſu temporis particulatim in textum veniſſe, inde apparet, quod verba ὁ οὖν πρῶτος — νοσήματι in Aeth. verſ. non leguntur, in Syr. vero pr. (in qua verba ἄγγελος — ὕδωρ aſteriſcis ſignata ſunt) illa verba obelo notata ſunt, ab eo forte, cui

incredibile videretur, a quocunque morbo balnei vſu ſanatos fuiſſe homines. In verſ. Arm. poſt ὑγιὴς ἐγένετο additum legitur: *non habiturus ſignum morbi.* 4) Omnis narratio v. 4. ſapit ingenium Iudaicum. Inſignia et ſingularia beneficia Iudaei referre ſolebant ad genios bonos, mala contra, morbos grauiores, ad genios malos. Cum Iohannes nusquam morbos deriuarit a geniis malis, nil retulerit de daemoniacis, parum probabile eſt, eum h. l. ſuperſtitioſam vulgi opinionem, nulla addita monitione, memoraſſe. — Debet ergo haud dubie hoc omne additamentum, ἐκδεχομένων — νοσήματι, originem ſuam iis, qui quae v. 7. leguntur explicare vellent, et rectiſſime *Millius* (Prolegg. §. 433. add. praefat. *Küſteri* p. 5.), *Semlerus* in Paraphr. ad h. l. *Michaelis* in *Anmerkk.* ad h. l. et *Orientál. Biblioth.* Th. 2. p. 16. *Griesbachius* et *Paulus*, hanc ſuperſtitioſam v. 7. explicationem, tanquam ſpuriam, nec a Iohanne adiectam reiecerunt. Valde tamen arridet *Pauli* ſententia, v. 4. notatam reperiri opinionem, quam Chriſti aetate Iudaeorum vulgus foueret, et traditionem huius additamenti fontem fuiſſe.

5. ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ] *erat ibi homo per triginta et octo annos morbo vexatus.* Poſt ἐκεῖ, quod referri debet ad ἦν, interpungendum eſt, neque ἐκεῖ coniungendum cum verbis τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη, quaſi tot annos fruſtra ad lacum homo ille recuperandae valetudinis cauſſa iacuerit, vt temere nonnulli, praeeuntibus Chryſoſtomo et Theophylacto, ſtatuunt. Sed vt aliis in locis deſignatur tempus, quo hic vel ille decubuerat, a Chriſto ſanitati aut vitae reſtitutus, v. Luc. 13, 11. 8, 43. Ioh. 11, 39. ita h. l. notatur quot annos homo ille morbo laborauerat. Confirmant hanc interpretationem verba v. 6. ὅτι ἤδη πολὺν χρόνον ἔχει vbi v. not. ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ poſitum eſt pro ἀσθενῶς ἔχων l. ἀσθενῶν, vt ap. Eurip. Suppl. v. 164. ἐν αἰσχύναις ἔχω *erubeſco*: Xen. Cyr. 6, 1. 20. ἐν αἰσχύνῃ ἔχειν,

pudore confundi. Exempla hanc in rem alia v. ap. *Glassium* Phil. S. p. 368. *Dath.* Pro τριάκοντα ὀκτώ, cum *Griesbachio*, adstipulantibus pluribus et optimis diuersarum familiarum codd. legendum est τριάκοντα καὶ ὀκτώ. Quonam morbo homo ille laborauerit, constitui nequit, cum ἀσθένεια sit vocabulum generalius, nec e contextu certa indicia peti possint. Plerique veterum explanatorum hominem paralysi laborasse suspicati sunt, v. *Bartholinus* l. c. et *Lampius* ad h. l. Euangelistam verbis τριάκοντα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἔχων significare voluisse, hominem illum XXXVIII. annos habuisse, *Paulus*, cum nonnullis enarratoribus, v. *Lampius* ad v. 6. statuit. Sed si hoc significare voluisset scriptor, verba ἐν ἀσθενείᾳ coniunxisset cum vocabulo ἄνθρωπος, et scripsisset: ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐν τῇ ἀσθενείᾳ, τριάκοντα καὶ ὀκτὼ ἔτη ἔχων, neque tamen hoc, vt *Tittmanus* ad h. l. bene monuit, recte et linguae legibus conuenienter dictum fuisset; nam Graeci non dicunt εἶναι ἐν ἀσθενείᾳ, sed ἔχειν ἐν ἀσθενείᾳ, quod dictum est pro ἔχειν ἀσθενῶς. Aduersantur etiam huic interpretationi verba v. 6. γνοὺς ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, quae satis euidenter docent, hominem diu morbo loborasse, quodsi praeterea, vt *Paulus* sumit, Iohannes declarare voluisset, hominem aetate florentem fuisse, numerum potius rotundum, annum aetatis XL posuisset. Idem V. D. praeeunte *Woolstono* Disc. 3 on the Miracles p. 33 sq. (v. *Lilienthalii gute Sache der göttlichen Offenbarung* Th. 10. p. 655.) fingit, aegrotum illum fuisse mendicum, eum leui quodam malo laborasse, sed grauiorem morbum simulasse, quo largiorem stipem cogeret; Iesum eum abire iussisse, eique aliorum beneficentia abuti interdixisse; simulatorem ergo cum vidisset, se non amplius personam grauiter aegrotantis agere posse, ipsum cupiuisse a leui illo malo, quo laboraret, liberari, adeoque breui sanitatem recuperasse. Sed nihil in omni narratione Euangelistae reperitur, quo haec coniectura confirmari possit, imo vanitatem illius aperte demonstrant, et quae v. 6. leguntur, Iesum cognouisse de-

cumbentem iam dudum aegrotasse; et admonitio Iesu v. 14. noli posthac peccare, ne tibi grauius malum accidat; et locus 7, 23. vbi v. not. Vrget quidem *Paulus*, quo suam sententiam comprobet, v. 15. legi, hominem illum prodidisse Iesum Iudaeorum primoribus, sed vid. ibi notata; praeterea non memorari h. l. hominem, recuperata valetudine, laetitia fuisse perfusum, gratias Iesu egisse, laudesque ipsius praedicasse. Hoc vero non factum esse, e silentio scriptoris colligi nequit, vid. et Luc. 9, 17. coll. Ioh. 6, 14. Matth. 17, 18.

6—8. καὶ γνοὺς ὅτι πολὺν χρόνον ἔχει] *cum sciret eum a multo tempore aegrotasse:* attulit haec Euangelista, vt significaret, Iesum misericordia commotum, homini restituisse valetudinem pristinam. Ad verbum ἔχει subintelligi debet ἐν ἀσθενείᾳ, quod vocabulum v. 5. praecessit, ibique cum verbo ἔχω copulandum est. θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι; *visne conualescere?* *Lightfootus*, *Semlerus*, *Rosenmüllerus*, cogitando adiiciendum esse autumant: *licet sit sabbatum;* sed in responsione aegroti nulla prorsus sabbati mentio facta est, vt apposite contra monuit *Schulzius* ad h. l. *Paulus* verba interpretatur: tu mihi videris sanus fieri nolle, dudum sanitatem recuperasses, si voluisses. Hic vero sensus verbis Christi non inest, sed intruditur. In vita communi eos, qui hoc vel illud optant, quod iis per nos contingere potest, iisdem fere verbis solemus alloqui, quo attentionem eorum excitemus, eorum desiderium fortius acuamus, eadem de caussa Iesus hominem illum verbis θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι allocutus esse videtur. — 7 Aegrotus qui ignoraret, quisnam Iesus esset, haud dubie opinabatur, eum medicamenta sibi praebere vel commendare velle, quorum vsu sanitatem recuperare posset, cum vero vnice ab aquis illis medicatis valetudinis restitutionem exspectaret: querebatur, se habere neminem, qui cum commoueretur aqua, ipsum in balneum demitteret, atque ita non modo declarabat se omnem spem fiduciam-

que unice in balneo posuisse, sed simul etiam tacite innuebat, se pro magno beneficio habiturum esse, si Iesu ope in balneum descendere posset. κύριε, vid. ad Matth. 8, 2. βάλλῃ με, me immittat, vid. ad Marc. 7, 33. ἐν ᾧ scl. χρόνῳ, v. L. Bosius de Ellips. h. v. et Wetstenius ad h. l. interea dum ego venio. καταβαίνει id. qd. κατέβη. — 8. ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει] tolle lectum tuum et abi. De voc. κράββατος vid. not. ad Marc. 2, 4. 11. vbi Iesus ad paralyticum: ἔγειραι καὶ ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου, pro quibus vltimis verbis ib. v. 9. legitur περιπάτει, et sic hoc quoque loco περιπατεῖν notat abire, quo significatu etiam Hebr. הלך poni solet, et περιπατεῖν extat in versione Alexandrina Iudd. 21, 24. subueniebat praeterea rectae intelligentiae verbi nutus et gestus Iesu. Male ac perperam Michaelis verbo περιπατεῖν notionem obambulandi tribuit. Iesus ergo iussisset hominem sublato lecto ad lacum obambulare; sed quem in finem? vt praesentes viderent eum sanatum? sed videbant abeuntem. cf. omnino quae scite contra monuit Schulzius in Anmerkk. ad h. l.

9—13. Notatio, quae v. 9. legitur, fuisse diem sabbati, ob ea quae sequuntur, adiecta est. — 10. ἔλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι] Iudaei qui loquentes inducuntur, non fuerant rei gestae spectatores, alias enim non opus habuissent e sanato quaerere, coll. v. 12. quis esset ille, a quo iussus fuisset lectum auferre? sed intelligendi sunt primores populi, synedri (οἱ Ἰουδαῖοι. cf. v. 16. 18. 7, 13. 9, 22. 1, 19.), homini sanato, domum ituro, lectumque baiulanti occurrentes. Hi ergo eum admonebant, die sabbati non licere grabbatum asportare. Hoc die opus facere illicitum erat, vid. Exod. 20. Ier. 17, 22. Neh. 13, 15. Iudaeorum autem magistri legem de abstinendo a labore die sabbati superstitiose nimis extendebant, v. ad Matth. 12, 2 ss. 6, 11. ita, vt, etsi non omnes (Maimonides in

Hilcoth Schabbat c. 19, 17. *puluinar et puluillum, si mollia fuerint et parua, instar vestium, etiam sabbato more vestium capiti imposita exportari possunt)*, multi tamen eorum etiam prohiberent, res minutissimi ponderis sabbato portare. Iesus vero, qui caeteroquin neutiquam de impugnanda sabbati sanctitate cogitabat, has Iudaicorum magistrorum traditiones et subtilitates contemnebat, eorumque superstitionem anilem virtuti verae contrariam, et verbis et factis improbabat, vid. Matth. l. c. Luc. 6, 9-13, 14 ss. 14, 5. infra v. 16 sq. — 11. ἀπεκρίθη αὐτοῖς· ὁ ποιήσας με ὑγιῆ κ. τ. λ.] Iudaeorum magistri statuebant, iussu prophetae violari posse sabbatum, exemplo eorum, qui iubente Iosua Hierichuntem oppugnassent. Sanhedrin fol. 90, 1. *dixit R. Abhu, dixisse Iohannem: omnino si tibi dixerit propheta, transgredere verba legis, audi illum, excepta idololatria* etc. cf. et not. ad Matth. 12, 3. 6. hoc Iudaeorum placitum haud dubie homo ille respiciebat, ad illudque prouocabat verbis ὁ ποιήσας με ὑγιῆ κ. τ. λ. Iesum habebat prophetam, sicut et alii ab eo sanati, et beneficiis affecti, eum prophetam esse iudicabant, v. Luc. 7, 16. Matth. 21, 11. etc. — Quaerentibus synedris, quisnam eum die sabbati lectulum asportare iussisset? satisfacere non poterat sanatus, quoniam Iesus, vt v. 13. legitur ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ, *sese subduxerat, cum ibi magna populi turba esset.* Secesserat, ne multitudini nouarum rerum cupidae occasionem ad seditionem mouendam praeberet, v. 6, 15. Verbum ἐκνεύειν s. ἐκνέειν proprie notat: *emergere, enatare*, Hesychius: ἐκνεύσας, ἐκκολυμβήσας. Eurip. Hippol. v. 823. Deinde vt Latinorum *emergere* et *enatare* significat *euadere*, poniturque de iis, qui instanti periculo liberantur, ex malis emergunt Eurip. Hippol. 469. εἰς δὲ τὴν τύχην Πεσοῦσ' ὅσην σὺ πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκεῖς; *in tam praesens periculum adducta, quo pacto euasuram te putas?* add. v. 823. Iphig. Taur. 1186. vbi v. *Barnesius* et *Valckenarius* ad Hippolyt. p. 219. 252. Diod. Sic. p. 675. C. ed. *Rhod.* ὁ δὲ ἕτερος

βοαχὺ παρεγκλίνας, τὴν ἐπιΦερομένην πληγὴν ἐξένευσε, alter vero exigua corporis declinatione intentatum sibi ictum euitauit. Petron. Satyr. c. 47. *Habebam in domo, qui mihi pedem opponeret, hac illac, tamen (genio illius gratia) Enataui.* Terent. Andr. 4, 3. 31. *Dehinc facile ex illis sese emersurum malis.* Denique adhibetur etiam ita, vt denotet *a via deflectere, secedere, abire, se subducere* vt h. l. Iudd. 18, 26. *ἐξένευσε καὶ ἀνέστρεψε εἰς τὸν οἶκον, secedebat et reuertebatur domum*, vbi in textu Hebraico legitur verbum פנה. Ioseph. Ant. 7, 4. 2. *ὁ Δαυΐδης ἐκνεύσας εἴς τι χωρίον, cum in agrum quendam secessisset.* Schol. ad Thucyd. 2, 95. *ἐξένευσαν, ἐξεκολύμβησαν, ἐξέκλιναν τῆς προκειμένης ὁδοῦ.* vid. *Wetstenius, Elsnerus, Kypkius, Krebsius, Loesnerus, Wolfius* ad h. l. et *Victorius* Varr. Lectt. L. 3. c. 10.

14. 15. *μετὰ ταῦτα* postea, aliquot dies post. *μηκέτι ἁμάρτανε κ. τ. λ.* cum Iesus sciret, hominem illum sibi morbum, quo eum liberarat, sua culpa contraxisse, eum admonebat, vt sibi caueret a peccatis antea commissis, ne grauius ipsi malum accideret, ne in grauiorem morbum eundemque insanabilem incideret. — 15. *Tum ille abiit Iudaeis nuntiatum, Iesum*, cuius nomen ex adstantibus in templo didicerat, *fuisse, qui ipsum sanasset.* Quo animo, quaue intentione synedris indicauerit homo ille Iesum sanitatem sibi restituisse, dissentiunt interpretes. Eum hominem fuisse ingratum et perfidum, atque Iesum, qui indignationem ipsius admonitione illa v. 14. in se conuertisset, primoribus Iudaeorum prodidisse, quos sciret Iesu maxime infensos esse, et apud illos accusasse, tanquam eum, cuius iussu violasset sabbatum, *Langius, Paulus*, aliique statuunt. Sed illa ipsa hominis responsio synedris, cum lectulum asportaret, data v. 11. haud obscure docet, eum Iesum habuisse prophetam, adeoque iussis ipsius die sabbati paruisse coll. v. 9. Rectius igitur alii statuunt, hominem neutiquam malo animo ad synedros illos retulisse,

se a Iesu fuisse sanatum. Qui vero hanc sententiam amplectuntur, ii vel arbitrantur, sanatum gaudio plenum ob inuentum sanationis auctorem, et vt eum grato animo celebraret, ad synedros accessisse, vel, eum opinatum esse synedros curiositate ductos ipsum interrogasse, et lubenter prophetam esse visuros, fortassis etiam hominem credidisse, nonnullos e synedris Iesu auxilium implorare velle.

16. καὶ διὰ τοῦτο ἐδίωκον τὸν Ἰησοῦν οἱ Ἰουδαῖοι κ. τ. λ.] *quare Iesu litem intendebant synedri, atque neci eius studebant.* Breuiter Iohannes rem omnem exposuit. Synedri illi, cum comperissent, Iesum homini, die sabbati, valetudinem pristinam restituisse, auctoritate sua efficiebant, vt Iesus in ius vocaretur, cum violatae religionis sabbati accusabant, atque id agebant, vt auctoritate iudicii eum opprimerent. Neque tamen reliqui iudicii assessores, metu populi, Iesum, quem multi prophetam, multi Messiam esse crederent, qui adeo et ipsis Iudaeorum decretis sabbati leges migrare posset, ob insigne factum, die sabbati editum, sententiis suis condemnare audebant. διώκειν haud raro est verbum forense atque significat *accusare, litem intendere*, vt Matth. 5, 11. vbi v. not. add. Plat. Euthyphr. c. 4. Anonymus Atticista ap. *Villoison.* Anecdd. Grr. p. 84. T. 2. ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν, κατηγορεῖται ὁ δεῖνα κλοπῆς, φεύγει ὁ δεῖνα κλοπῆς λέγουσιν· ὅθεν καὶ ὁ κατήγορος διώκων λέγεται· ὁ δὲ κατηγορούμενος, φεύγων. cf. et Phauorinus v. διωχθείς. Verba quae sequuntur καὶ ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι in plurimis et optimis codd. Copt. Arm. Vulg. It. (exc. brix.) aliisque libris non leguntur, irrepserunt e v. 18. in hunc locum, adeoque recte ea *Millius*, *Bengelius*, *Semlerus*, *Morus*, *Griesbachius* ex ordine eiicienda censuerunt; neque huic sententiae obstat formula μᾶλλον ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι v. 18. posita, ea enim accuratius constituitur notio verbi διώκειν, illud nimirum significare non simpliciter *accusare*, sed *capitis accusare.*

ὅτι ταῦτα ἐποίει ἐν σαββάτῳ] *quod die sabbati talia facere ausus esset*; quod die sabbati homini sanitatem restituisset coll. v. 15. 7, 21 sqq. illicitum enim putabant Pharisaei die sacro aegrotos sanare, si nullum adesset vitae periculum, vid. Luc. 6, 7. 11. 13, 14. ad Matth. 12, 10.

17. ἀπεκρίνατο, *ad criminationes eorum respondebat*: nam ἀποκρίνεσθαι etiam de iis adhibetur, qui in iudicium vocati respondent, ita vt sit, *se defendere*, vt Matth. 27, 12. 26, 62. vnde et Phauorinus ἀποκρίνεσθαι interpretatus est per ἀπολογῆσαι. ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι] *Pater meus ad hunc vsque diem operatur, itaque et ego operor.* ἕως ἄρτι, vt 1 Cor. 15, 6. Ioh. 16, 24. Solebant Iudaeorum magistri, vt euincerent die sabbati ab omni omnino opere abstinendum esse, eo prouocare, quod Deus ipse absoluta coeli terraeque creatione, die septimo ab omni opere feriatus esse in literis sacris perhibeatur, vid. Gen. 2, 1. 2. Exod. 20, 8 — 11. 31, 12 — 17. Iesus igitur, vt eorum superstitionem impugnaret, et suum factum defenderet, se Dei exemplum imitari profitebatur, et ostendebat, Deum, etsi ab illo creationis opere septimo die quasi quieuerit, neutiquam tamen ab illo inde tempore otiosum fuisse, imo quouis die operari hominibus benefacientem, atque inde colligebat ipsum decere Dei patris exemplum sequi. πατήρ μου, Deus, qui me amat, quocum intime coniunctus sum, cuius voluntas mihi est perspectissima, qui me misit, me Messiam destinauit; hoc sensu Iesus Deum patrem suum nominabat, coll. v. 19. 33. 10, 36. ἐργάζεται ei non est sabbatum, quies, etiam die sabbati pro salute hominum operatur, hominibus beneficia tribuit. κἀγὼ ἐργάζομαι simili modo mihi non est sabbatum, quies, ego quoque die sabbati pro salute hominum operor, et auxilio benefico hominibus succurro. Verbum generalius ἐργάζεσθαι, ad facta Christi insignia referri debere, exinde patet, quoniam respondet Iesus primoribus populi, ipsum reprehendentibus, quod

die ſabbati aegrotum ſanaſſet. conf. et 6, 30. 10, 25. Aliter hunc locum interpretati ſunt *Bahrdtius*, qui vertit: *bis dieſen Augenblick hat mein Vater durch mich und mit mir gewirkt*, et *Weberus* in Diſſ. de conſilio, quod Ieſus ſe in miraculis ſuis ſpectaſſe ipſe profeſſus eſt, Viteb. 1802. 4., qui verba ὁ πατήρ μου κ. τ. λ. dicta putat pro: ἃ ἐγὼ ἕως ἄρτι ἐργάζομαι, ὁ πατήρ μου ἐργάζεται, miracula, quae huc vsque patraui, Deus per me edidit, a Deo me tanquam ipſius legatum adiuuante profecta ſunt; quodſi ergo hominis ſanatio profecta eſt non a me, ſed a Deo; non me accuſare licet, Deus vobis accuſandus eſt, cuius voluntati equidem reſiſtere non poſſum. Sed vt bene *Schottus* monuit in Diſſ. de conſilio, quo Ieſus miracula ediderit, ex ipſius ſermonibus recte cognoſcendo, Lipſ. 1809 4. P. 1. p. 44. vulgaris interpretandi ratio, quam et nos ſecuti ſumus, ipſius verborum ſtructurae grammaticae ratione habita, ſimplicitate natiua commendatur, et aptiſſima eſt iis, quae v. 19. leguntur, ἃ γὰρ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ, et v. 21. add. not. ad v. 36.

18. Reſponſio Ieſu non placabat ipſius aduerſarios, ſed eos in iram et rabiem agebat, ita, vt multo magis necem ei intentarent. Culpabant eum iam non tantum, quod ſabbati religionem violaſſet, ſed etiam, quod Deum patrem ſuum appellaſſet, parem ſe Deo ferens. Nempe verba Ieſu: pater meus ad hunc vsque diem operatur, itaque et ego operor, hunc in modum ſibi interpretabantur: ego eodem iure operor, quo Deus operatur, ſicuti Deus die ſabbati operatur, ita et ego propria auctoritate (coll. v. 19.) leges ſabbati migrare poſſum; ipſum autem Meſſiam nihil ſuo arbitratu facturum, ſed in omnibus Dei voluntatem exſecuturum eſſe ſtatuebant Iudaei, v. *Maii* Theol. Iud. p 130. hinc illi Ieſu aduerſarii coniiciebant, eum, ne quidem eo ſenſu ſe Dei appellaſſe filium, quo a Iudaeis Meſſias Dei filius nuncuparetur ſed alio longe ſublimiori et plane ſingulari ſenſu ſe Dei filium dixiſſe, eius-

modi nimirum fibi auctoritatem ac poteftatem tribuentem, quae diuinae prorfus aequiparanda fit.

19. 20. Ad criminationem Iudaeorum Iefus ita refpondebat, vt vberius et accuratius explanaret, quae antea v. 17. enuntiauerat. Docebat, tantum abeffe, vt numini fupremo omni ex parte fe parem ferret, vt profiteretur, fe non propria auctoritate agere, fed omnem fuam agendi et operandi rationem ad nutum voluntatemque patris componere, fe exemplum Dei pro falute hominum operantis imitari, neque adeo impietatis effe accufandum. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν κ. τ. λ.] *mihi credite, non decere filium, fuo arbitratu aliquid facere, quod patrem peragentem non viderit, quaecunque enim ille agit, ea fimiliter filius peragit.* 20. *Etenim pater filium amat, eique omnia oftendit, quae ipfe facit; quin maiora his ei opera oftendet, adeo, vt in admirationem rapiamini.* Nonnulli interpretes verbo ποιεῖν vim et poteftatem verbi διδάσκειν et vocabulo ἔργα notionem *doctrinae et inftitutionis* tribuendam effe cenfent. Qui hanc rationem fequuntur, verbis Chrifti hanc fententiam expreffam effe putant: *non deceret legatum diuinum fuo ingenio et arbitrio obfecutum iniuffu patris aliquid docere* (οὐ δύναται ὁ υἱὸς διδάσκειν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, ὃ οὐκ ἐδιδάχθη ὑπὸ τοῦ θεοῦ), *nifi patrem ita docentem cognouerit, a patre ea de re edoctus fuerit* (ἐὰν μή τι βλέπει τὸν πατέρα ποιοῦντα). *Pater filium amat, eique innotefcere iubet, quae ipfe docet feu doceri vult* (vt adeo αὐτὸς referatur ad patrem, et πάντα fit id. qd. πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ, h. e. πᾶσαν σοφίαν [Θεοῦ, alii ἃ αὐτὸς ποιεῖ ad filium referunt, *quae filius docet*, διδάσκει) *quin et copiofius eum edocendum curabit, vt vos miraturi fitis.* vid. *Briefe üb. d. Euang. Ioh. von verfchiedenen Verfaffern*, in *Eichhornii Allg. Biblioth. d. bibl. Literat.* B. 7. p. 982 fs. Docte et accurate hanc coactam et vfui loquendi contrariam interpretationem refutarunt *Storrius* Opufc. T. 3. p. 141 et *Schottus* in Disf. de locis quibusdam Euang. Ioh. Lipf. 1808. 4. p. 14 fs. et in

Disſ. de conſilio, quo Ieſus miracula ediderit etc. P. 1. p. 45 ſq. v. et infra v. 36. Monuit nimirum *Schottus*, non poſſe demonſtrari, vſum loquendi permittere, vt verbo ποιεῖν per ſe ſpectato vis verbi διδάσκειν, et ſubſtantiuo ἔργα notio doctrinae et inſtitutionis ſubiiciatur, nec poſſe hanc in rem prouocari ad locum 14, 10. 11. vid. ibi notata. Praeterea in antecedentibus nihil occurrere, quod interpretem iubeat adeo duram atque contortam interpretationem amplecti, cum v. 16 — 19 non de doctrina Chriſti, ſed de facto, de ſanatione die ſabbati peracta ſermo ſit, cuius facti defenſionem poſtularant Iudaei. Nec denique ea, quae v. 21. ſequuntur, huic interpretationi fauere; ibi enim Ieſum explicare, quaenam ſint ἔργα μείζονα v. 20. commemorata, atque diſputare de opere et negotio duplici, quod Deus ipſi demandauerit, mortuos in vitam reuocandi et iudicii de hominibus inſtituendi. Scilicet Ieſus omnino profitetur, omnem ſuam agendi rationem eſſe compoſitam ad exemplum et voluntatem Dei. Nihil, inquit, facere poſſum proprio arbitratu, οὐ δύναται ὁ υἱὸς ἀφ' ἑαυτοῦ ποιεῖν οὐδέν. Hanc ſententiam, infra v. 30. repetitam, verbis quae ſequuntur copioſius illuſtrat et exornat. Omnis autem oratio et argumentatio popularis eſt, neque adeo ſingula verba nimis premenda ſunt. Comparatio nimirum deducta eſt a filio bene morato, qui patrem probum agentem attente obſeruat, neque quicquam perficit, niſi hoc patris voluntati, ex eiusdem factis conſpicuae probe accommodatum eſſe nouerit. Ita, inquit Ieſus, meum eſt, exemplum Dei patris intueri, et factis atque operibus meis imitari. οὐ δύναται, *non poteſt*, i. e. non decet, foret incongruum, non poteſt ſui officii memor filius etc. οὐ πρέπει τὸν υἱὸν ποιεῖν κ. τ. λ. *Grotius*: „alieniſſimum eſt ab illo, nunquam id ipſi in mentem veniet.“ Formula οὐ δύναται etiam aliis in locis potentiam moralem deſignat, vt 1 Ioh. 3, 9. 12, 39. Alii, vt *Heinſius*, τὸ δύναται redundare putarunt, de qua forma loquendi vid. ad Marc. 6, 5. ſed frigida ſic et orationi contextae

minus conueniens sententia procedit. Alii *οὐ δύναται* exprimendum statuerunt, *non vult*, v. *Lampius* ad h. l. et not. ad Marc. l. c. *ὁ υἱὸς* ego, quem pater amat, cui cum Deo intima intercedit familiaritas, Messias. *ἀφ' ἑαυτοῦ suo arbitratu, propria auctoritate*, iniussu patris, et contra patris voluntatem, vid. Ioh. 6, 38. *ἐν τῷ ὀνόματι ἰδίῳ.* infra v. 43. add. 7, 18. 15, 4. 16, 13. 12, 49. *ἐὰν μὴ*, vt alias *εἰ μὴ*, nonnulli positum putant pro *ἀλλὰ*, *sed*, (vid. Gal. 2, 16. Matth. 12, 4. Luc. 4, 26. vbi v. not. et *Glassii* Philol. S. p. 428 sq.) et subintelligunt verbum *ποιεῖ*, cuius interpretationis necessitatem non perspicio. *βλέπειν* h. l. est *scire*, atque de plena et accurata cognitione, de perfectissima scientia intelligi debet, vt 3, 11. 32. *ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ* non a voluntate patris, eiusque exemplo et agendi ratione discedo, imo Dei exemplum pro salute hominum operantis sequor et imitor. Nonnus: *ταῦτα (ἔργα) Θεὸν γενέτην μιμούμενος υἱὸς ἀνύσσει haec Deum parentem imitans filius perficit.* — 20. Huius cognitionis plenae et accuratae, quam Iesus sibi tribuit, diuinae voluntatis originem, ex amore, quo Deus ipsum complectatur paterno, repetit. *καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ, ἃ αὐτὸς ποιεῖ*] omnium quae Deus ipse facit, doctor est etiam filio, i. e. omnia quae peragit pater, cum dilecto filio communicat, vt nil filium lateat, eique viam et rationem ostendit atque facultatem concedit similia peragendi. Comparatio his in verbis desumta est a patre probo et honesto, qui filium bene moratum amat, qui quae ipse peragit, filio innotescere patitur, eique viam et rationem ostendit et facultatem concedit similia perficiendi. Quae de humano patre valent, ea Iesus perfectissimo sensu ad se et Deum transfert. Sensus ergo verborum: *οὐ δύναται — ἃ αὐτὸς ποιεῖ* omnino hic est: intima inter me et patrem intercedit familiaritas, voluntatis, consiliorum et factorum patris conscius, nihil omnino proprio arbitratu facio; nec aliter agere possum, quam pater agit, eum imitor, adeoque eiusmodi sanationes miraculosas, easdemque etiam die sabbati, patris

voluntati et exemplo conuenienter perago. Verbum *δει-κνύειν* non tantum fignificat *oftendere alicui aliquid, edocere aliquem*, v. ad Matth. 16, 21. fed etiam impulfum indicat, et largitionem facultatis perficiendi aliquid quod oftenfum eft, vt Hebraica verba הורה et הראה de iis dicuntur, *qui aliquid exhibent, et auctores rei funt*, v. Pf. 30, 5. 71, 20. 45, 1. atque hoc fenfu etiam h. l. *δεικνύειν* pofitum effe, fatis perfpicue patet ex oppofito *ἀφ' ἑαυτοῦ ποιεῖν*, aliisque locis, veluti Ioh. 14, 10. 8, 28. 12, 49 fq. *καὶ μείζονα τούτων — θαυμάζητε*] et auctor ei erit maiorum operum, quae cum admiratione fpectabitis, grauiora his fanationibus et factis infignibus, (*τούτων*, fc. *ἔργων*) eo auctore opera peragam, opera, e quibus cognofcetis, fummum et per-fectiffimum confenfum inter meam et Dei agendi rationem locum habere.

21. Commemorat Iefus hanc in rem opera, quae Iu-daei Meffiae tribuere folebant, mortuorum in vitam reuo-cationem, et iudicium de hominibus inftituendum, vid. not. ad Matth. 25, 31. p. 696 fs. infra v. 27. Ioh. 11, 25, atque profitetur fe haec opera perficiendi poteftatem a Deo accepiffe. Quae autem h. l. de mortuis a Chrifto refufci-tandis leguntur, ea haud pauci recentiorum interpretum de refufcitatione quadam morali, i. e. de emendatione homi-num per Chriftum inftituenda intellexerunt, vt *Oederus* Obff. Sacr. P. 2. p. 38 fs. *Eckermanus* in *theol. Beyträgen Th. 5. St. 2.* p. 64 fs. et in *Erklärung aller dunklen Stellen d. N. T. Th. 2.* ad h. l. Anonymus in *Eichhornii Allgem. Biblioth. d. bibl. Literat. Th.* 7. p. 982 fqq. *Schufterus* in *Eichhornii Bibl. Th.* 10. p. 772 fs. *Ammonius* Opufcc. Theoll. p. 93 fq. *Paulus* ad h. l. alii. Argumenta, ab his interpretibus ad hanc fententiam comprobandam prola-ta, potiffimum haec funt: 1) „Vocabulum *νεκροὶ* ufurpari folet de hominibus, qui vitiis fceleribusque indulgent, vt Eph. 5, 14. Rom. 6, 4. 13." Negari nequit, vocabulum *νεκροὶ* interdum hoc fenfu adhibitum legi, nunquam tamen

eiusmodi formula qualis illa eſt v. 28. οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, de hominibus occurrit, ſenſu morali mortuis, neque omnino apparet, quomodo in hac Chriſti oratione, non poetica, non prophetica, voces οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, ἀνάστασις ζωῆς, ἀνάστασις κρίσεως tropice adhiberi potuerint, ita, vt auditoribus clara eſſet atque perſpicua allegoria. Allegoriarum autem ea eſſe debet ratio, vt non prorſus a communi dicendi genere recedant, ſed facile etiam perſpiciatur, quid ſit, quod aliis aliunde petitis verbis et imaginibus dicatur. Locus Rom. 6, 4., ad quem plures prouocant, eſt plane ἀπροσδιόνυσος. Nam vt intelligenter monuit *Schottus* in Diſſ. de conſilio etc. p. 53. cum chriſtiani *per lauacrum ſacrum* veluti ſepulcro dicantur reconditi, facile patet vocabula *mortis* atque *moriendi* l. l. minime ita adhiberi, vt eos innuant, qui vitiis atque erroribus grauiſſimis ſint obnoxii, animi ſomno ſopiti, ſed ad homines transferri illis erroribus atque vitiis eo ipſo, quod lauacrum ſacrum ſubeant, et religionem Chriſti amplectantur, quaſi morientes, i. e. renuntiantes. 2) „Reſpexit Ieſus v. 28. 29. per reſurrectionis imaginem hominum emendationem adumbrans, loca Ieſ. 26, 19. ἀναστήσονται οἱ νεκροί, καὶ ἐγερθήσονται οἱ ἐν τοῖς μνημείοις. Ezech. 37, 12. ἐγὼ ἀνοίγω τὰ μνήματα ὑμῶν, καὶ ἀνάξω ὑμᾶς ἐκ τῶν μνημάτων ἡμῶν· inprimisque menti ipſius obuerſatus eſt locus Dan. 12, 2. καὶ πολλοὶ τῶν καθευδόντων ἐν γῆς χώματι ἐγερθήσονται, οὗτοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, καὶ οὗτοι εἰς ὀνειδισμὸν καὶ εἰς αἰσχύνην αἰώνιον,“ Sed verba magnopere differunt. Ieſ. et Ezech. ll. cc. ſermo eſt de reſtitutione ciuitatis Iudaeorum collapſae, non de reſurrectione morali. v. *Roſenmülleri* Scholia. De loco Danielis diuerſae ſunt interpretum ſententiae. Alii de reſtitutione ciuitatis et exulum oraculum illud interpretantur, v. *Stäudlinii Beyträge zur Erläuterung der Propheten* p. 303 ſ. alii de reſtitutione famae et nominis Iudaeorum defunctorum tempore Antiochi IV. regis Syriae et Maccabaeorum locum illum intelligunt, v. *Grimmii Exegetiſche Aufſätze zur Auf-*

klärung schwieriger Stellen P. 1. p. 186. alii eum de temporibus Messianis et resurrectione mortuorum physica explanant, vid. *Bertholdti* liber: *Daniel neu übersetzt und erklärt* Th. 2. p. 791 ss. nullus autem interpretum ibi de resurrectione morali cogitandum esse statuit. Nec de ea vllo pacto locus ille agit. Statuendum ergo esset, Iesum locum Dan. in suam rem transtulisse; sed vehementer velim mihi idoneas rationes dari, quibus evincatur, Iudaeos Christi aetate illo Danielis loco ita vsos esse, vt eum transferrent ad moralem hominum emendationem, v. et *Hammeri* Diss. mortuorum in vitam reuocatio sermonibus Christi ope historicae interpretationis vindicata. Lips. 1794. 4. p. 24. 3) „Vsus temporis praesentis in verbis *ζωοποιεῖ, ἐγείρει* v. 21. *ἔχει* — *ἔρχεται* v. 24. comprobat interpretationem de resurrectione morali." Verum enimuero nil Iohanni frequentius enallage temporum, vsus praesentis loco futuri, et hanc ipsam loquendi rationem h. l. admittendam esse, docent v. 25. 28. 29. 4) „Cum Iesus dixerit, se *quoscunque voluerit*, *οὓς θέλει*, in vitam esse revocaturum, haec ipsa verba innuunt, non posse h. l. cogitari de resurrectione corporum, cum ex aliis Christi Apostolorumque effatis notum sit, resuscitationem physicam non aliquam partem hominum mortuorum, sed homines omnes vita defunctos esse spectaturam. Verba igitur *οὓς θέλει* explicanda sunt *quos amat*, *quibus bene cupit*, (חפץ v. Matth. 27. 43.) sectatores sibi amicos *vita morali donat*, et v. 28. *πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις*, *multi s. plures moraliter mortui*, vitiis indulgentes." Quam contorta sit haec horum verborum interpretatio, non opus est, vt pluribus demonstremus. Tenendum autem omnino est, vt iam verissime monuerunt *Michaelis* ad h. l. et *Schottus* l. c. p. 50. non dici *οὓς θέλει νεκροὺς ἐγείρει*, sed *οὓς θέλει ζωοποιεῖ*. Scilicet distinguuntur h. l. *ἐγείρειν* et *ζωοποιεῖν*, ita, vt posterius sit: *felicitatem largiri*, *felicem reddere*, vt Gal. 3, 21. 2 Cor. 3, 6. Etiam infra v. 29. resurrectio *omnium mortuorum τὸ ἐκπορεύεσθαι* scl. *ἐκ τῶν μνημείων* coll. v.

28. diftinguitur a conditione duplici refurrectionem fecutura, altera piorum τῆς ζωῆς, altera impiorum τῆς κρίσεως. Iam vero dum Iefus (vtor verbis *Schotti* l. c.) fuam efficaciam, diuinae, fua opera, diuinis comparat, verbis addendis: οὕτω καὶ ὁ υἱὸς κ. τ. λ. fermone vtitur breuiori, ita, vt nonnifi poteftatem fibi traditam (v. 26. 30. cuius vfu Deum patrem imitetur) homines refuscitatos, quos voluerit (i. e. quos iudicauerit dignos), vita beata donandi, diferte commemoret, alteram vero ipfius prouinciam (cuius adminiftratio illud ζωοποιεῖν tempore praecedat neceffe eft) mortuos in vitam reuocandi, quam v. 25. 26. 28. aperte fibi vindicant, nunc quidem praetereat. — Confirmatur haec interpretatio inprimis etiam eo, quod ftatim v. feq. ἡ κρίσις commemoratur. Verba igitur huius v. ita vertenda funt: *Sicuti pater mortuos refuscitare et vita beata donare poteft* (verba enim faepiuscule ita ponuntur, vt *facultatem, poteftatem* indicent, vid. ad Matth. 7, 22. et *Storrii* Obff. ad Analog. et Syntax. Hebr. p. 15. 405. 422.), *ita et filius quoscunque voluerit* (quos dignos iudicauerit, alii explicant: quoscunque nullo nationum discrimine habito) *vita beata donandi poteftatem habet, donare poteft* (v. 26. ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ); alii vertunt: *donabit*, vt praefens ζωοποιεῖ vim habeat futuri. 5) „Verba v. 25. καὶ νῦν ἐστι fatis aperte declarant, effe fermonem de refurrectione morali, dicitur enim, *iam nunc adeffe* tempus, quo mortui vocem Dei filii audiant, eaque audita, in vitam redeant," *Semlerus, Hezelius*, alii, opinati funt, Iefum loquentem de refurrectione phyfica, dum vteretur verbis, καὶ νῦν ἐστι, infuper etiam de morali quadam animorum refurrectione, iam nunc incipiente cogitaffe. Quae tamen interpretatio arguta magis quam vera eft. Sunt potius haec verba cum plurimis interpretibus referenda ad exempla mortuorum a Iefu in vitam reuocatorum, quae ab Euangeliftis commemorantur, filiae Iairi etc. Bene *Schottus* l. c. p. 51.; verba καὶ νῦν ἐστι funt interpofita, adducta quippe per ipfam commemorationem vniuerfae

mortuorum omnium refurrectionis olim futurae, cuius initium ac veluti fymbolum illa hominum, quos Iefus, dum in terra verfabatur, vitae reftituebat, refuscitatione continebatur. 6) *Paulus* in *Philologifch-critifch- und hiftorifchen Kommentar* ad v. 25., quo probet ibi fermonem effe de emendatione hominum, et de hominibus fenfu morali mortuis, vocabulum φωνή v. 25. idem effe opinatur, quod λόγος v. 24. et ἀκούεσθαι τῆς φωνῆς idem valere, quod v. 24. ἀκούειν τὸν λόγον et πιστεύειν, *fidem atque obfequium doctrinae Chrifti habere.* Idem tamen V. D., quae v. 28. 29. leguntur, de refurrectione proprie fic dicta interpretatur, fed a vulgari hac interpretatione in eo recedit, quod genitiuum αὐτοῦ in verbis ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ ad fubiectum Patris e v. 26. repetendum (τοῦ πατρός), neque, vt vulgo fieri folet, ad fubiectum Chrifti (τοῦ υἱοῦ ἀνθρώπου) v. 27. referendum putat, adeoque futuram mortuorum refuscitationem, non Chrifto, fed Deo Patri auctori vindicandam ftatuit. Quam quidem interpretationem iure meritoque *Schottus* l. c. duram et audacem, neque iuftae interpretis conftantiae accommodatam dixit. Nam v. 24. argumento et confilio differt ab iis, quae v. 25. leguntur. Etenim v. 24. verba facit Iefus de felicitate vera atque perpetua cultoribus fuis hoc nomine dignis parata, verfu autem 25. de refurrectione *omnibus* exfpectanda. Deinde v. 28. repetita funt ea, quae v. 25. leguntur; verba v. 28. ὅτι ἔρχεται — τῆς φωνῆς αὐτοῦ refpondent verbis v. 25. ὅτι ἔρχεται ὥρα — τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, hoc tantum discrimine, vt qui fupra v. 25. nominati funt οἱ νεκροί, infra v. 28. dicantur πάντες ἐν τοῖς μνημείοις, vnde planiffimum eft, vtrumque verfum agere de refurrectione phyfica, et de omnibus omnino mortuis, five Chrifti doctrinam admiferint, et vita factisque expreflerint, fiue eam repudiarint. — Caeterum accedunt etiam rationes aliae, quae vulgarem huius loci v. 21 fqq. de refurrectione phyfica interpretationem commendent. Nempe cum formula ἐγείρειν νεκρούς *mortuos in vitam reuocare*, de patre adhibita pro-

prie accipiatur, non aliter ea capi poteſt de filio poſita, cum ille ἔργα τοῦ πατρὸς facere dicatur. Deinde Ieſus, qui ſe Meſſiam deſcribit, ἔργοις hactenus ab ipſo editis opponit ἔργα μείζονα, grauiora, et diuerſa ab operibus hactenus editis, eaque futura nuntiat; voluit ergo intelligi futura euenta, in oculos incurrentia, Meſſiae propria. Tribuebant autem Iudaei Meſſiae reſuſcitationem mortuorum atque iudicium de hominibus inſtituendum, v. ad Matth. 25, 31. De his igitur Meſſiae operibus futuris h. l. ſermo eſt, non autem de reſurrectione morali, quam quomodo *futuram* nuntiare potuerit, non facile perſpicitur. Etenim reſuscitabantur homines, ſenſu morali mortui, et nouam inchoabant vitam, inde ab eo tempore, quo Ieſus doctoris munus ſuſceperat. Reſpondent quidem, qui h. l. de reſurrectione morali cogitant: Ieſum non tam de iis verba facere, qui *viuam* ipſius vocem ſecuti nouam vitam inchoarent, quam de doctrina ſua ab Apoſtolis olim latius propaganda, et de felici ſucceſſu, quo ea mentes hominum immutatura eſſet. Verum in ſequentibus v. 25. ſqq. nil reperitur, quod doceat perſpicue, de hoc inſigni euentu h. l. v. 20 ſ. eſſe ſermonem, imo quae v. 28 ſ. leguntur, nonniſi contorte atque coacte de reſurrectione morali explicari poſſunt. Etenim, vt iam ſupra notauimus, formula v. 28. οἱ ἐν μνημείοις nusquam de hominibus ſenſu morali mortuis occurrit. Praeterea duplex v. 29. reſurrectio futura memoratur, ἀνάστασις ζωῆς piorum, qui felicitatem conſequentur, et ἀνάστασις κρίσεως improborum, qui infelices euadent, poenas luent. Iam vero ſi νεκροὶ ſunt homines nondum emendati, et ζωὴ atque ἀνάστασις eſt emendatio cum reſurrectione et noua vita comparata, vt nonnulli volunt, plane non intelligitur, quomodo omnino de hominibus improbis neque emendatis commode et recte ἀνάστασις quaedam praedicari potuerit. Quae hactenus diſputauimus, ſat luculenter docere quemque poſſe arbitramur, e legibus interpretationis grammaticae et hiſtoricae hunc locum de reſurrectione mortuorum fu-

tura, proprie fic dicta explicandum effe, cf. et *Storrii* Opufcc. T. 3. p. 148 f. atque *Flattus* Symbolar. ad illuftranda grauiora quaedam I. C. dicta in Eu. Iohanneo P. 1. p. 22 fq.

22. Alio exemplo illuftrat Iefus, quae v. 20. dixerat. οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κρίνει οὐδένα, ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ] *neque pater* (immediate; fequitur enim ἀλλὰ τὴν κρίσιν κ. τ. λ.) *de quoquam* in vitam reuocato *iudicium inftituet, fed hoc omne hominis iudicandi negotium commifit filio.* Eft h. l. fermo de iudicio illo folenni, refurrectionem mortuorum fecuturo, atque negotium iudicii huius olim exercendi, Iefu Meffiae, tanquam Dei vicario, vt h. l. ita aliis quoque in locis librorum N. T. tribuitur, v. ad Matth. 25, 31 fs. add. Act. 17, 31. Nonnulli tamen interpretes, vt *Paulus, Eckermanus, Ammonius, Oertelius*, aliique iam fupra ad v. 21. notati, negarunt, Iefum h. l. de illo iudicio extremo verba feciffe, imo potius quae in hoc fermone, de iudicio a Chrifto exercendo commemorata leguntur, explicanda effe ftatuerunt, de poteftate Chrifti, cum his in terris viueret, fecundum nouae religionis placita de eo iudicandi, vtrum quis regno Meffiano, eiusque bonorum dignus an indignus effet. Cum vero Iefus in hoc fermone de refurrectione mortuorum proprie fic dicta, verba fecerit, id quod argumentis certis atque idoneis demonftraffe nobis videmur; per fe intelligitur, in hoc eodem fermone ea quae Chriftus de κρίσει protulit, explicari debere de iudicio a Iefu Meffia olim inftituendo. Hanc interpretationem omnis orationis feries flagitat. Particula γὰρ fimpliciter h. l. vt faepius orationem connectit, non cauffam reddit. Verbum autem κρίνει ita pofitum eft; vt praefens vim futuri κρινεῖ obtineat.

23. 24. *Vt omnes filium pariter colant atque patrem. Qui filium non colit, is neque patrem colit, qui illum mifit.*

De quonam cultu fermo fit, planiffime docent verba: τὸν λόγον ἀκούειν et πιςεύειν τῷ πέμψαντι, quae v. 24. leguntur. Itaque *colere filium* eft admittere Iefu Meffiae, legati atque interpretis Dei, doctrinam, quam Dei nomine et iuffu commendat, obfequium praeftare filio, coll. v 29. 8, 47. vbi v. not. add. 7, 16, 12, 44. ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιςεύων τῷ πέμψαντί με κ. τ. λ.] *Ekermanus*, *Paulus*, alii haec verba interpretantur: qui doctrinam meam amplectitur, et ei, qui me mifit, fidem habet, eo ipfo falutem perennem nancifcetur, neque ipfi iudicium fubeundum extat, quafi dubium poffit videri, an felicitate futura dignus fit; imo e ftatu mortis, (e conditione mifera et infelici, in qua vtpote nondum emendatus, verfabatur) transiit in aliam eamque feliciorem vitae conditionem, i. e. iam obtinuit, poffidere coepit, veram animi felicitatem perpetuo duraturam. Sed vt iam paulo ante obferuauimus, cogitandum eft in hac orationis ferie de iudicio extremo folenni, cum dixerit Iefus quoque de refurrectione mortuorum futura; neque κρίσις femper ponitur de *iudicio* fenfu latiori, fed perquam frequenter etiam de *condemnatione*, *poena* vfurpatur, ita, vt fit id. qd. κατάκρισις, vid. ad 3, 17. 12, 46. Matth. 7, 1. atque ita h. l. accipi debet hoc vocabulum, nam ei opponitur ζωὴ αἰώνιος, et infra v. 29. fibi inuicem opponuntur formulae ἀνάςασις ζωῆς et ἀνάςασις κρίσεως. Formula igitur εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, quam neque fcriptoribus exteris inufitatam effe docuerunt *Raphelius* Obff. Herodott. et *Wetftenius* ad h. l. notat: *non condemnabitur*, *non punietur*, ἔρχεται enim pofitum eft pro ἐλεύσεται. Iam vero fenfus verborum ita conftitui debet: qui meam doctrinam admittit, fidemque habet ei (patri), qui me mifit, felicitatem confequetur perennem, nec afficietur poenis grauibus, quibus fupremo iudicio homines improbi afficientur, fed a morte ad alteram, eamque beatam vitam, poft mortem exfpectandam transibit. Praeteritum μεταβέβηκεν vim futuri obtinet, vt Ioh. 1, 15. 1 Ioh. 3, 14.

25 — 27. *Mihi credite, tempus esse futurum, iamque adesse, quo mortui vocem filii Dei audiant* (efficientiam eius experiantur), *eamque audientes vitam recipiant:* vid. not. ad v. 21. not. 5. 5. ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ in eo est vis viuifica, pollet vi vitam conferendi, est vitae fons et auctor. οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, ita et filium voluit in semetipso habere vitae fontem, vim viuificam. — 27. καὶ ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ — ἐςὶ] *eique concessit potestatem iudicii exercendi, quoniam est filius hominis*, i. Messias. Formulam κρίσιν ποιεῖν etiam in libris optimae notae scriptorum Graecorum occurrere, exemplis pluribus comprobarunt *Wetstenius*, *Raphelius* Obss. Xenoph. et *Kypkius* ad h. l. Verba autem vltima ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςὶ Syrus interpres, Chrysostomus, Theophylactus atque Euthymius Zigabenus, cum verbis, quae initio v. 28. leguntur, connectunt, vt haec sententia procedat: nolite mirari, eum, cui tanta concessa sit potestas, esse filium hominis, hominem, nam idem homo est etiam Dei filius, quod apparebit ex mortuorum resuscitatione et iudicio eam secuturo. Ex recentioribus interpretibus hanc verba connectendi rationem secuti sunt *Schulzius* in *Anmerkk.* et *Paulus* ad h. l. ea tamen durior est, atque a stili Iohannei simplicitate aliena; si hanc sententiam exprimere voluisset Iohannes, quam verbis ipsius interpretes illi substituunt, scripsisset potius: μὴ θαυμάζετε τοῦτο ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςί. Recte igitur plerique interpretes, praeeuntibus Origene, Nonno in Paraphrasi, Augustino, aliisque, vulgarem interpunctionem retinuerunt; neque tamen in explicandis verbis ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐςὶ eandem viam ingressi sunt. Nonnulli, quibus υἱὸς ἀνθρώπου idem est quod ἄνθρωπος, atque adeo mera hominis descriptio, particulam ὅτι vel expresserunt *quamuis*, quamuis sit homo, (de qua particulae potestate vid. nos ad Luc. 11, 48.) sic *Noldius* Concordd. Particc. s. v. כי n. 15. *Keuchenius* in Annotatt. et *Boltenius* ad h. l. vel *quatenus*, quatenus est homo, vt ὅτι sit id. qd. καθότι (qui significatus tamen insolentior

est), sic *Beza*, *Eras. Schmidius*, *Glassius* Phil. S. *Michaelis*: vel *nam*, quia est homo, sic *Scholtenius* in libello: de appellatione τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, qua se Iesus Messiam professus est, Trai. ad Rhen. 1809. 8. p. 18. (qui praeeunte *Wetstenio* verba explanat: quia est humanae naturae socius, qui adeo humane cum hominibus acturus sit Hebr. 2, 5 ſ. 4, 15 sq. 5, 1. 2.) et *Flattus* in Symbolis ad illustr. loca grauiora Eu. Ioh. P. 1. p. 24. qui hac voce υἱὸς ἀνθρώπου *homo* (Hebr. 2, 6.) respexisse putat Iesum reprehensionem Iudaeorum v. 18. querentium ὅτι πατέρα ἴδιον ἔλεγε ἑαυτόν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ, coll. 10, 18. Alii, vt *Grotius*, *Lampius*, *Morus*, *Rosenmüllerus* etc. verba ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶ interpretantur; *nam Messias est*, et haec interpretatio omnes veritatis numeros et partes habere mihi videtur. Commutatur enim haec formula υἱὸς ἀνθρώπου cum vocabulo υἱὸς quod praecessit, et Christus haec verba adiecit, vt iis rationem redderet, cur pater filio homines iudicandi potestatem tradiderit, pertinere nimirum hoc opus atque negotium ad Messiae prouinciam. De significatu υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου vid. not. ad Matth. 8, 10. Monuerunt quidem, *Erasmus*, *Heumanus*, alii, deesse h. l. articulum, qui constanter in libris N. T. adiiciatur, cum voce υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου Messias significetur. At enimuero Iohannes in vsu articuli haud raro negligentior est. Sic Θεὸς de Deo summo legitur 3, 2. 19, 7. sic supra v. 25. οἱ ἀκούσαντες non hoc inuoluit, quosdam non esse audituros Christi vocem, ita enim Christus sibi ipse repugnasset, cum auctore Iohanne v. 28. dixerit, *omnes* suam vocem esse audituros: sic quoque υἱὸς Θεοῦ, Messias, sine articulo legitur Matth. 14, 33. 27, 43. Luc. 1, 35.

28. 29. Cum synedri indignationem suam (θαυμάζειν *indignari*, v. ad Marc. 6, 6.) voce et gestibus proderent, quod Iesus tantam potestatem sibi vindicaret; iam ante dicta v. 25. repetens ita pergebat: μὴ θαυμάζετε τοῦτο κ. τ. λ., *nolite eo offendi, quod dixerim, tempus esse*

venturum (ἔρχεται pro ἐλεύσεται), *quo omnes in ſepulcris verſantes, eius voce audita prodeant, qui recte fecerint, ad felicitatem, qui male fecerint, ad ſupplicia.* πάντες, probi et improbi, ſine diſcrimine omnes. ἀνάστασις ζωῆς 2 Macc. 7, 14. ἀνάστασις εἰς ζωὴν reſurrectio, quam ſequitur felicitas. κρίσις id. qd. κατάκρισις *condemnatio, poena.*

30. καθὼς ἀκούω, κρίνω κ. τ. λ.] *Schottus* in Diſſ. de conſilio etc. p. 57 ſq. verbum κρίνειν h. l. non eo ſenſu poſitum putat, quo antea legebatur, de iudicio ſolenni, per Ieſum olim exercendo, ſed explicat, *decernere, ſtatuere,* atque Ieſum reſpexiſſe putat inprimis ad illud iudicium, quod ſupra v. 19. tulerat, ſuoque facto declarauerat, Iudaeorum multis coeca ſuperſtitione ductis improbatum, de licentia hominem aegrotum ſabbato ſanandi. Ita vero paulo obſcurius Chriſtus mentem ſuam expreſſiſſet, et accuratior orationis cohaerentia exiſtit, ſi verbum κρίνειν eo ſenſu retinetur, quo Ieſus hactenus eo vſus erat, vt adeo et hoc in verſu cogitandum ſit de iudicio futuro ſolenni. Scilicet cohaerentia haec eſt: nolite eo offendi, quod dixerim venturum eſſe tempus, quo etc. coll. v. 28. 29. nihil mihi arrogo, quod paulo ante v. 19. profeſſus ſum, me nihil proprio arbitratu, iniuſſu patris facere poſſe, ſed omnia eo auctore me facere et eſſe facturum v. 20. id etiam hac in re valet. καθὼς ἀκούω, κρίνω, *a patre edoctus iudicabo,* ſententiam feram auctore et doctore patre, vt mihi praeſcripſit, ἐκπορεύσονται οἱ τὰ ἀγαθὰ κ. τ. λ. v. 29. Verbum ἀκούω, cum, vt *Boltenius* obſeruauit, adhibeatur etiam de interrogatione iudicis, v. 2 Sam. 15, 3. ibique τοὺς ὁ, *Paulus*, qui de iudicio Chriſti terreſtri cogitat, v. ad v. 22. explicat, *je nachdem ich höre, nach genauer Erkundigung,* ſed vt *Flattus* l. c. monuit, obſtant huic interpretationi verba, quae proxime praeceſſerunt: οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδὲν, et quae v. extr. leguntur; neque omnino, vt ſupra vidimus, de illo iudicio Chriſti terreno ſermo eſt. καὶ ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ δικαία ἐστιν, *quare iudicium meum iuſtum erit,* καὶ *quare,*

itaque, v. ad Marc. 3, 22. Matth. 15, 14. ὅτι οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν κ. τ. λ.] *nam non tam meae, quam potius patris qui me misit voluntati obsequi studeo*; illustrantur verba quae praecesserunt: καθὼς ἀκούω, κρίνω, et κρίσις δικαία. πατρὸς, quod plurimi codd. et verss. omittunt, a grammaticis adiectum fuisse videtur.

31. 32. Opponere potuissent Iesu, (fortassis et ei opposuerant,) ipsius aduersarii, ea quae de auctoritate, legatione sua diuina atque operibus a se auctore Deo peragendis hactenus dixisset, ideo esse suspecta, quod nemo in sua caussa prodire possit testis, qua locutione prouerbiali etiam alio tempore, in simili caussa, contra eum vsi sunt Pharisaei, v. 8, 13. Vt ergo huic obiectioni occurreret, ita pergebat: ἐὰν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἡ μαρτυρία μου οὐκ ἔστιν ἀληθής] *si ipse solus de me testimonium proferrem, non certae fidei testimonium meum esset*, recte mihi obiicere possetis, quod in vita communi dici solet (vid. *Wetstenius* ad h. l.): nemo in re sua idoneus testis est. ἐγὼ scil. μόνος ego ipse, solus, sequitur enim v. 32. ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν, coll. 8, 16. ἀληθής, *certus*, *fide dignus*, πιστός, Hebr. נאמן et נכון Gen. 41, 32. Iob. 42, 7. 8. Docet iam v. 32 ss. sibi non deesse testes alios, et documenta veritatis eorum, quae dixisset, luculentissima. ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν — περὶ ἐμοῦ] *alius est qui de me testetur*, *cuius testimonium scio fide dignissimum esse.* Non statim accuratius declarat, quinam sit ille testis, concedens aduersariis iratis, vt ipsi paululum meditando coniecturis indulgeant, atque ita fiant animo tranquilliores. Quae est scita obseruatio *Schotti* in Diss. de consilio etc. P. 1. p. 59. Nonnulli cum veterum tum recentiorum interpretum (Chrysostomus, Theophylactus, *Erasmus*, *Grotius*, alii), per τὸν ἄλλον intelligendum esse putarunt Iohannem Baptistam, cuius testimonium v. 33 — 35. afferatur. Sed intelligi debet *Deus pater*, ipse enim Christus profitetur, se neque vllius hominis neque Iohannis testi-

monio opus habere v. 34. et tefti illi, quem fe habere ait, fummam, omni humana maiorem auctoritatem tribuit v. 36 ac diferte Deum Patrem commemorat v. 37. legitur etiam h. l. *μαρτυρεῖ*, de Iohanne vero v. 33. *μεμαρτύρηκε*.

33. 34. *ὑμεῖς ἀπεστάλκατε πρὸς Ἰωάννην, καὶ μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ*] *vos mififtis ad Iohannem, et ille vera teftatus eft;* vosmetipfi audiuiftis teftem, qui fatis luculentum de me teftimonium perhibuit. Miferant fynedri legationem ad Iohannem, vid. Ioh. 1, 19 fqq. atque vel ex his verbis colligi poteft, Iefum hanc orationem habuiffe coram fynedris. *μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ*, *de vero teftimonium edere, ita dicere vt res eft, veritati conuenienter,* באמת Ief. 10, 20. Pf. 145, 18. vt *μαρτυρεῖν τῇ ἀληθείᾳ τινός*, *de alterius integritate et probitate*; *τῇ ἀγάπῃ τινὸς μαρτυρεῖν*, *de alterius beneficentia teftari*, v. 3 Ioh. v. 3. 6. — 34. *ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου — σωθῆτε*] non haec dixi tanquam cupidus honoris, quem humana laudatio praebet. *Non capto hominis vllius*, neque adeo Iohannis a vobis repudiati *teftimonium*, *fed haec dixi*, teftimonii Iohannei mentionem feci, *vt vos feruemini*. *οὐ μαρτυρίαν λαμβάνω παρὰ ἀνθρώπου*, non aucupor commendationem humanam, *δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνω* infra v. 41. *ἵνα σωθῆτε* veftra cauffa, vt penfitetis teftimonium eius, quem olim vosmetipfi magni feciftis, cuius auctoritatem olim agnouiftis, vt refipifcatis et eo magis promti paratique reddamini ad meam dignitatem agnofcendam, mihi fidem habendam, quo veram falutem confequamini.

35. *ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος κ. τ. λ.*] *erat ille lucerna ardens atque lucens, cuius tamen luce vos per breue tempus delectati eftis.* Reprehendit Iefus Iudaeorum leuitatem et inconftantiam, qui initio auctoritatem Iohannis agnouiffent, eum tamquam prophetam, melioris feculi praenuntium venerati effent, eius doctrinam laude et

admiratione dignam iudicassent; postea vero tanquam doctorem morumque censorem nimis seuerum reiecissent, cum intellexissent, eum ab ipsorum consiliis studiisque prauis alienum esse, neque nunc auctoritatem Christi, cuius testimonium publicum Iohannes edidisset, agnoscere vellent. λύχνος καιόμενος καὶ φαίνων, *doctor praeclarus*, doctrina salutari hominum animos collustrans. Frequens est in literis sacris comparatio doctoris cum luce et lucerna, vid. ad 1, 4. De Elia legitur ap. Sirac. 48, 1. ἀνέστη Ἠλίας ὁ προφήτης ὡς πῦρ, καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ ὡς λαμπὰς ἐκαίετο, *apparuit Elias propheta tanquam ignis, et doctrina ipsius tanquam fax ardebat.* Christus ipse hoc sensu nominatur ὁ λυχνὸς Apoc. 21, 23. et τὸ φῶς Ioh. 1, 8. cf. etiam Rom. 2, 19. Ioh. 8, 12. 12, 46. not. ad Matth. 5, 15. ἠθελήσατε ἀγαλλιασθῆναι] *delectati estis*; verbum enim θέλειν h. l. vt saepius, redundat, v. 2 Tim. 3, 12. Philo de Abrah. p. 350. οὐ πολὺς πόνος τοῖς θέλουσι κατὰ τοὺς κειμένους νόμους ζῆν, *non est opus magno labore ad exigendam vitam iuxta legum regulam.* Eurip. Orest. v. 921. Ὅς εἶπ' Ὀρέστην παῖδα τὸν Ἀγαμέμνονος Στεφανοῦν, ὃς ἠθέλησε τιμωρεῖν πατρὶ, *Qui censuit Orestem filium Agamemnonis Coronandum, quod vltus sit patrem.* Ouid. Heroidd. ep. 21. v. 139. *Si tibi coniugium volui promittere nostrum, Exige polliciti debita iura tori.* cf. *Gatackerus* ad Marc. Antonin. 10, 8. p. 293. *Wesselingius* ad Herodo. 7, 49. *Palairetus* ad Matth. 20, 25. ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ, *eius doctrina*, v. 1, 4. πρὸς ὥραν, *per tempus aliquod, per breue tempus*, vt 2 Cor. 7, 8. Gal. 2, 5. 1 Thess. 2, 15. Philem. 15. Hebr. כרגע Ps. 73, 19.

36. Caussam affert Iesus, cur ipse Iohannis commendatione et testimonio non opus habeat. Transit nimirum ad testimonium illud longe grauius, quod supra v. 32. intellexerat, a Deo patre exhibitum; et hanc in rem prouocat ad opera, quae ipsi pater perficienda demandarit, quibus vim testimonii tribuit, et ad oracula V. T.

v. 37 — 39. ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου — ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκε] *mihi est grauius illo Iohanneo testimonium, opera, quae me pater peragere iussit, illa ipsa, inquam, opera, quae perago, satis testantur, me esse a patre missum.* μείζω τοῦ Ἰωάννου positum est pro μείζω τῆς (scl. μαρτυρίας) τοῦ Ἰωάννου, de qua articuli ellipsi v. *Glassius* in Philol. S. p. 136. et *Beza* ad h. l. Sed de sensu vocabuli ἔργα, etiam h. l. (v. supra ad v. 20.) diversae sunt interpretum sententiae. Nempe nonnulli per τὰ ἔργα h. l. et Ioh. 10, 25. 37. 38. 14, 10. 11. 12. 15, 24. intelligunt, *totam Christi agendi rationem*, bonam, honestam, eam animi indolem declarantem, quae esse debeat vero Dei legato, nulla ratione habita miraculosae eiusdem factorum indolis (aduersantur huic sententiae praeter alia, h. l. verba: τὰ γὰρ ἔργα ἃ ἔδωκέ μοι ὁ πατὴρ ἵνα τελειώσω αὐτὰ, quae ex vsu loquendi solenni ad certa quaedam negotia et opera referri debent, vid. et ad 14, 10.); alii *negotium* Christo a patre demandatum, *doctrinam diuinam tradendi et mortem hominum salutis caussa subeundi*, v. *Morus* in Diss. de testimonio Dei Patris, de Filio suo ad Ioh. 5, 31 ss. in Opuscc. Theologg. p. 259 ss. (cf. quae contra eum disputauit Anonymus in *Flatti Magazin für christl. Dogm. und Moral* St. 1. p. 99 ss.); alii, *institutionem* et *exemplum* Christi, docendi negotium, sapientiam et obsequium erga patrem, doctrinae praestantiam, pietatem in Deum, vitae sanctitatem; v. *Nietzschii* Diss. quantum Christus tribuerit miraculis? Viteb. 1796. (cf. quae contra monuit *Storrius* in *Flatti Magazin* St. 2. p. 80 sq. v. et ad 14, 10. not.); alii *solam docendi prouinciam* Christo demandatam, v. *Briefe über das Evang. Ioh.*, in *Eichhornii Allgem. Biblioth.* B. 7. p. 982 ss. *Eckermani theol. Beyträge* B. 5. St. 2. p. 76 ss. (vid. not. supra ad v. 20. ad 14, 10.); alii *miracula*, facta insignia a Christo edita, v. *Storrius* l. c. et eiusd. *Lehrbuch der christl. Dogm. mit Anmerkk. von C. C. Flatt* ed. pr. pag. 133 ss. edit. sec. p. 139 sqq. alii denique *opera et negotia Messiana Christo a*

Deo demandata, ita vt iis doctrina, mors voluntaria, miracula, et omnia alia fimul facta et opera a Meffia proprie patranda comprehendantur, vid. *Schotti* Diff. de confilio etc. P. 1. p. 31 fqq. *Stark* Commentar. in Eu. Ioh. capp. 13 — 17. Ienae 1814. 8. Exc. 1. p. 8. Mihi cum *Storrio*, *Flatto*, aliisque, h. l. de factis Chrifti infignibus cogitandum videtur. Vocabulum enim ἔργα adhiberi folet de miraculis, vid. Matth. 11, 5. coll. Luc. 7, 14. 18. Ioh. 9, 4. 5. verbum ἐργάζεσθαι commutatur cum formula σημεῖον ποιεῖν Ioh. 6, 30. ad fua infignia facta etiam alias Iefus prouocauit, vid. Ioh. 14, 10 fs. 20, 25. 41. 15, 24. 7, 21. 23. Matth. 11, 20. Meffiam infignia facta editurum effe, exfpectabant Iudaei, vid. 7, 31. not. ad Matth. 11, 5. Ioh. 4, 48. praeterea h. l. praeceffit narratio de fanatione hominis aegroti v. 1 — 16. quae huic orationi Iefu occafionem dedit, et refpectu huius fanationis Iefus opera fua cum patris operibus compararat. cf. omnino *Storrius* et *Flattus* l. l. et not. ad 10, 25. αὐτὰ τὰ ἔργα repetitio emphatica, etiam fcriptoribus exteris vfitata, v. *Wolfius* in Curis ad h. l. δίδωμι, *mando*, *iniungo* 7, 22. 17, 4. צִוָּה Efr. 9, 11.

37. 38. καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ] *et ille ipfe qui me mifit pater, de me teftatus eft.* Haud pauci interpretes, cum veteres, tum recentiores, v. *Wolfius* in Curis, *Koecherus* in Analectis, *Boltenius*, *Paulus* ad h. l. haec verba referunt ad Ioh. 1, 33. et Chrifti baptismum refpici putant. Verum in hoc omni loco nihil occurrit, quod nos de illo baptismo cogitare iubeat, imo orationis feries luculenter docet, effe h. l. fermonem de prophetarum oraculis Meffiam fpectantibus, coll. v. 39. vbi diferte additur fcriptura contineri teftimonium de filio. Quare nec poffum adftipulari *Grotio*, qui verba huius verfus priora cum antecedentibus coniungenda putat, ita, vt καὶ fignificet, *itaque*, *ergo*, et μεμαρτύρηκε vim praefentis obtineat, hoc fenfu: Itaque pa-

ter omnino de me teſtatur operibus illis. Cohaerentia autem verborum haec eſt: *ipſe pater de me teſtatus eſt*, ſat clarum et perſpicuum eſt eius teſtimonium, *quamquam vocem eius nunquam audiuiſtis, neque figuram vidiſtis*, quamquam vobis non forma viſibili apparuit, et viua voce hoc de me teſtimonium perhibuit. *At vos non tenetis eius declarationem*, hoc eo ipſo declaratis, *quod ei quem ille miſit fidem non habetis.* Hactenus non diſertis verbis declararat Ieſus, quodnam teſtimonium patris v. 37. intelligendum ſit, vt auditorum attentionem acueret, iam vero illud declaraturus, v. 39. adiiciebat haec: *vos indagare ſoletis libros ſacros, quod putatis per eos vos futuram felicitatem conſecuturos eſſe, atqui illae ipſae de me ſtimonium perhibent, neque tamen vos ad me acceditis.* τὸν λόγον οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν, quae de me docuit doctrina eius, excidit animis veſtris, non ineſt animis veſtris praeſens, eam non tenetis. οὐ πιστεύετε eum non admittitis, non agnoſcitis.

39. 40. ἐρευνᾶτε permulti interpretes, neutiquam tamen idoneis de cauſſis, imperandi modo accipiunt, et verbum ipſum ἐρευνᾷν explicant, *aliquid cum maxima ἀκριβείᾳ, animi attentione, et magno animi conatu quaerere*, v. quos laudarunt *Wolfius* et *Köcherus* ad h. l. add. *Zachariae bibl. Theologie* Th. 1. p. 109 ſſ. et *Wetſtenius* ad h. l. Sed ἐρευνᾶτε, vt iam Cyrillus vidit, indicandi modo accipiendum eſt, *vos inquiritis, ſcrutamini*, v. *Raphelius* Obſſ. Herodott. et *Lampius* ad h. l. Hunc enim modum orationis ſeries flagitat, cum v. 40. ſequatur καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν κ. τ. λ. cum infra v. 45. Ieſus concedat Moſen ab iis magni fieri, ſed fruſtra legi; atque in praecedentibus etiam indicatiui legantur. Caeterum verbum ἐρευνᾷν, vt *Krebſius* atque *Loeſnerus* pluribus exemplis ad h. l. comprobarunt, *quamcunque inquiſitionem*, ſiue *remiſſiorem, paratam* et *facilem*, ſiue *accuratiorem, operoſam* et *impeditam* denotat; vnde et ſcriptores exteri, cum de accurata et diligenti perſcrutatione ſermo eſt, eandem haud raro alia

addita voce exprimere folent, vt ἀκριβέςερον ἐρευνᾶν Philo Opif. M. p. 14. C. μετὰ πάσης ἀκριβείας ἐρευνᾶν de Sacr. Ab. et Cain. p. 144. E. ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν] quoniam putatis eas vobis viam monſtrare et aperire ad felicitatem perennem. καὶ ἐκεῖναί εἰσιν κ. τ. λ. atqui illae me Meſſiam commendant, docent me eſſe eum per quem felicitatem perennem conſequi poſſitis. — 40. Cauſſam affert, cur Iudaeis tot eiusdem rei documenta fruſtra ob oculos verſentur, eos deſtitui ait ſincero propoſito et ſtudio integro ad Chriſtum accedendi. *Nihilominus tamen* (ſic καὶ 6, 36. Ioſeph. Ant. 2, 6. 11. v. ad Matth. 6, 26.) *ad me accedere*, me meamque doctrinam admittere (6, 35. pro ἐλθεῖν πρός με legitur πιςεύειν εἰς ἐμὲ, add. infra v. 44.) *non vultis, quo felicitatem veram conſequamini.*

41 — 44. Non ſunt haec a me ambitioſius dicta, non conqueror de negata veſtra approbatione, quod laudes et plauſus hominum capto, ſalutem veſtram quaero, coll. v. 34. Sunt autem haec v. 41. verba in parentheſi dicta, et v. 42. cum v. 40. ita cohaeret: ſed probe vos noui, cauſſa, cur ad me accedere atque felices fieri nolitis, haec eſt, vos deſtituti eſtis amore Dei vero et caſto, in ore tantum pietatem habetis. δόξα *laus, gloria* Luc. 2, 14. δόξαν λαμβάνειν, *laudes captare, laudari velle* id. qd. δόξαν ζητεῖν infra v. 44. et 1 Theſſ. 2, 6. ſimilis formula μαρτυρίαν λαμβάνειν ſupra v. 34. ἀγάπη τοῦ Θεοῦ id. qd. ἡ πρὸς τὸν Θεὸν erga Deum. 43 ſq. Senſus: vos pietate in Deum ſincera eſſe deſtitutos, eo ipſo probatis, quod me, qui iuſſu et auctoritate patris doctor et Meſſias prodii, admittere non vultis v. 43. et quod poſthabita Dei approbatione, vnice hoc agitis, vt alter alteri probetur, v. 44. ἐλήλυθα, v. ad 1, 9. οὐ λαμβάνετε me, meamque doctrinam repudiatis, (vid. ad 1, 11. 12. ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ſi alius doctor propria auctoritate, ſuo arbitratu et auſu, non iuſſu et auctoritate Dei prodiret,

falſus doctor, δόξαν παρὰ ἀνθρώπων λαμβάνων, hunc vos probaretis et admitteretis. πῶς δύνασθε ὑμεῖς κ. τ. λ.] *quonam tandem modo vos me meamque doctrinam admittere poteſtis, cum mutuas a vobis inuicem laudes captetis*, cum hominibus potius, quam Deo probari contendatis, ex hominum fauore pendeatis, in eo vnice elaboretis, vt alter alterius ſermone vanos audiat honores (Horat. Epp. 2, 2. 87.).

45 — 47. μὴ δοκεῖτε ὅτι ἐγὼ κατηγορήσω ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα] *nolite putare me vos apud patrem accuſaturum eſſe*; nolite arbitrari, animum meum ex veſtro metientes, me vobis, etſi me contemnatis ac repudietis, inimicum, et miſeriae veſtrae cupidum eſſe, hanc nec opto, nec molior, ſalutem potius veſtram cupio v. 34. 40. non ego rem ad Deum accuſator deferam. Vtitur ſermone vitae communis ἔστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν, Μωσῆς, εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε, *eſt qui vos accuſet Moſes, in quo fiduciam collocatis.* Moſis doctrina erit cauſſa et occaſio perniciei veſtrae. Debarim rabba ſect. 1. fol. 248. 2. *Dixit R. Acha, filius R. Chanina: decretum erat, vt obiurgationes Iſraelitis dicerentur per os Bileami, benedictiones vero ex ore Moſis. Verum ſi obiurgationes per Bileamum fierent, Iſraelitae dicerent: inimicus noſter eſt, qui nos obiurgauit; et ſi benedictiones per Moſen fierent, gentiles dicerent: amicus ipſorum eſt, qui iis benedixit. Dixit ergo Deus, increpet ipſos Moſes amicus ipſorum; et benedicat ipſis Bileamus, inimicus ipſorum, vt benedictiones et maledictiones in oculis Iſraelitarum pateant. Alii dicunt, id ideo factum eſſe, vt ſi quis alius ipſos increpare velit, Iſraelitae dicere queant, ille qui nos increpauit Moſes eſt, de quo legitur Num. 16, 15. ne aſinum quidem ab illis accepi: propterea ipſi conuenit, vt Iſraelitas increpet.* Μωσῆς *ſcripta, doctrina Moſis*, coll. v. 47. ἠλπίκατε vim praeſentis habet, vt 1 Tim. 4, 10. 5, 5. 1 Cor. 15, 19. al. cuius ſcripta et doctrinam putatis vobis viam ad ſalutem monſtrare, coll. v. 39. *Paulus* opinatur

respici h. l. Iudaeorum opinionem, Mosen Messiae temporibus in vitam rediturum et Messiae in regno instituendo opem esse laturum, vid. nos ad Matth. 17. 1 — 9. p. 485. Sed huic opinioni contraria sunt verba v. 46. εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί: et v. 45. non tam de Mose ipso, quam potius de doctrina, de scriptis eius sermo est. — 46. ἐπιστεύετε ἂν ἐμοὶ, περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν] *mihi fidem haberetis*, me meamque doctrinam admitteretis, *nam de me scripsit*, scripta eius me commendant. Deut. 18, 15. quem vt alios locos de Messia interpretabantur, vid. Ioh. 1, 45. Luc. 24, 26. Disputat ex concessis. — 47. εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου κ. τ. λ.] si Mosis scriptis fidem denegatis, cuius auctoritas apud nos summa est, cuius scripta magno in pretio habetis, si adeo inconsiderati in effatis illius expendendis estis, profecto non mirandum est, vos mihi fidem denegare, et me meamque doctrinam repudiare.

CAPVT VI.

1 — 3. Vid. Matth. 14, 13. Marc. 6, 45. Luc. 9, 11. ibique notata. μετὰ ταῦτα ἀπῆλθεν κ. τ. λ.] *postea*, nempe audita Iohannis nece, vid. ad Matth. l. c. *traiecit Iesus lacum Tiberiadis Galilaeensem* s. mare Galilaeae, quod etiam Tiberiadis dicitur. Sed hoc ipsum additamentum τῆς Τιβεριάδος offensioni fuit interpretibus, cum mare illud alias simpliciter dicatur vel θάλασσα τῆς Γαλιλαίας, vt Matth. 4, 18. vel τῆς Τιβεριάδος, vt Ioh. 21, 1. *Boltenius* igitur et *Paulus* ad τῆς Τιβεριάδος subintelligunt ἐκ coll. v. 23. et putant Iesum Tiberiade navem conscendisse, sed vid. ad Matth. 14, 13. Fortassis tamen τῆς Τιβεριάδος a grammaticis e v. 23. et 21, 1. adscriptum est; quam coniecturam probabilem reddunt glossemata alia quae verbis τῆς Τιβεριάδος in nonnullis

codd. praepofita reperiuntur. Habent enim καὶ τῆς Τιβεριάδος (καὶ gloffematis index, vid. ad Marc. 6, 51.) Mt. V. q. Goth. brix. *quod eft: Tiberiadis*, Vulg. colb. for. Mm. εἰς τὰ μέρη D. 77. (ex emend. tefte Trefch.) Mt. f. Syr. p. mf. cant. veron. Chryf. etiam in Mt. 6. codd. Tiberias erat oppidum Galilaeae, ad latus occidentale lacus Genefaret fitum, qui hanc ipfam ob cauffam lacus Tiberiadis dici folebat, conditum et ita dictum ab Herode tetrarcha, in honorem et memoriam Tiberii Caefaris, vid. Iofeph. Ant. 18, 3. 3. *Relandi* Palaeftina p. 259 fqq. *Cellarii* Geogr. Ant. 3, 13. p. 417. Plin. N. H. 5, 15. Stephanus Byzantinus: Τιβεριάς· πόλις τῆς Ἰουδαίας πρὸς τῇ Γεννησαρίτιδι λίμνῃ. — 2. Contulerat fefe Iefus in litore lacus orientali in folitudinem, vicinam oppido cui Bethfaidae nomen erat, v. Matth. l. c. (duo erant huius nominis oppida, vid. ad Marc. 6, 45.) *cumque fecuta eft magna populi multitudo*, ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων, *quoniam videbant infignia ipfius facta in aegrotis edita.* Secuti ergo funt Iefum homines illi, vt partim effent porro infignium ipfius factorum fpectatores, partim et ipfi quoque Chrifti auxilium experirentur, vid. Matth. 14, 14. Luc. l. c. — 3. ἀνῆλθε δὲ εἰς τὸ ὄρος κ. τ. λ.] *confcenderat autem Iefus montem, ibique cum difcipulis confederat.* In narratione infignis facti a Iefu tunc temporis editi, quae h. l. legitur, Iohannes περιστάσεις nonnullas omifit, e reliquorum Euangeliftarum commentariis fupplendas. Nempe Iefus in monte aduenientem multitudinem populi confpicatus, (quae Marc. 6, 33. leguntur populum praecurriffe Iefum et difcipulos, προῆλθον αὐτοὺς gloffema redolent v. ibi not.) inde defcendebat (infra v. 15. ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος, add. Matth. 14, 23.), aegrotos fanabat, populumque edocebat, vid. Luc. 9, 11. cumque dies inclinaret Luc. 9, 12. illud infigne factum edebat, quod h. l. memoratur.

4. ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα, ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων] Qui contendunt Iesum doctorem duo tantum Paschata Hierosolymis celebrasse, v. ad 5, 1. cum huic ipsorum sententiae verba huius versus aduersentur, *vel* haec ipsa verba tanquam spuria et aduenticia ex ordine eiicienda praecipiunt, cum in omni hoc capite neque de festo Paschatos, neque de alio sermo sit, nec appareat caussa, ob quam Iohannes h. l. festi tunc instantis mentionem fecerit, nec eiectis his verbis lacuna existat; sic praeter alios statuit *Pearce* in Commentary with notes on the four Evangelists and the Acts of the Apostles. Lond. 1777. ad h. l., qui 5, 1. de festo Pentecostes cogitat; *vel* saltem vocabulum πάσχα pro glossemate habendum, et 5, 1. non festum Paschatos sed aliud festum Iudaeorum intelligendum esse censent, sic *Vossius* in Diss. gemina: vna de I. C. genealogia; altera de annis quibus natus, baptizatus, mortuus I. C. Amstelod. 1643. *Mann* in True years of the birth and death of Christ p. 161. et *Pristley* in Observations on the Harmony of the Evangelists p. 43. vid. *Marsh Anmerkk. u. Zusätze zu Michaelis Einleit. in d. N. T. a. d. Englisch. von Rosenmüller*, Th. 2. p. 50. At enimuero omnes codd. verss. et patrr. verba huius versus constanter retinent, et Iohannes ea consulto adiecit, vt perspiceretur, qui factum sit, vt tunc temporis tanta hominum multitudo ad Iesum conflueret; refert enim scriptor v. 10. cum reliquis Euangelistis, conuenisse quinque hominum millia. ἐγγὺς ἦν formula Iohanni solennis, dicitur de tempore quod instat, vt 2, 13. 7, 2. 11, 55. al. nusquam de tempore modo praeterlapso, quod *Paulus* h. l. ea indicari opinatur.

5. 6. ἐπάρας οὖν ὁ Ἰησοῦς — αὐτός.] *Iesus igitur cum vidisset magnam accessisse populi multitudinem.* Verba ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς ex Hebraeorum loquendi ratione redundant, vt Luc. 16, 23. Ioh. 4, 35. Gen. 22, 4. וַיִּשָּׂא אֶת־עֵינָיו וַיַּרְא. add. 1 Par. 21, 16. λέγει πρὸς τὸν Φίλιππον κ. τ. λ.] *interrogauit Philippum, vnde emimus panem, vt hi satu-*

rentur? Ita enim verbum φάγωσι interpretandum esse, haud obscure Philippi responsio v. 7. docet. Quare vero Iesus se ad Philippum conuerterit, nec alium discipulum interrogauerit, huius rei variae caussae ab interpretibus afferuntur. Probabilis est *Bengelii*, cui etiam *Rosenmüllerus*, *Paulus*, alii, adstipulantur, coniectura, Philippum rem alimentariam inter discipulos curasse. *Moschius* in *Erklärung d. Sonntagsevangelien* ad h. l. suspicatur, Iesum propterea interrogasse Philippum, quod hic fuerit Bethsaidensis, Ioh. 1, 44. 12, 21. adeoque vtpote regionis peritus, facilius cibos comparare potuerit. Chrysostomus, Theophylactus, alii, opinantur, quod fuerit Philippi fides infirmior, et peculiaris confirmationis indigna. — 6. Iohannes h. l., vt saepius, iudicium suum interponit: τοῦτο δὲ ἔλεγεν πειράζων αὐτὸν, αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἔμελλε ποιεῖν, *hoc autem eius explorandi caussa quaerebat*, an esset potentiae magistri confisurus, *ipse enim sciebat*, *quid facturus esset*. Adiecit haec Euangelista, vt ostenderet, non fluctuasse Iesum, quid ipsi faciendum esset.

7 — 9. *Respondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes vix sufficiunt tot multis, ita, vt quisque eorum vel paululum accipiat:* διακοσίων δηναρίων, vid. ad Matth. 18, 28. Andreas, Simonis Petri frater, Philippo succinebat, *adest*, inquiens, *puer quidam* (ἕν, vid. ad Matth. 8, 18.), *qui quinque panes hordeaceos et duos pisces habet, sed quam parum hoc est in tanta populi multitudine!* παιδάριον est Hebr. נַעַר, quod de prima aetate vsque ad virilem dicitur, v. Ies. 40, 30. add. Gen. 44, 30. vbi Beniamin, qui iam vxorem in matrimonium duxerat, נַעַר nuncupatur, significatur ergo h. l. *adolescens*, *puer adultior*. Hesychius: παιδάρια, τὰ μείζονα, καὶ τὰ ἀρτίως γεγονότα. Sic quoque Tobias, qui tamen iam ea aetate erat, vt posset vxorem in matrimonium ducere, vocatur παιδάριον Tob 6, 2, 10, 13. neque adeo hoc vrgendum est, quod h. l. deminutiuum positum sit, nam apud Graecos nomina deminutiua

saepius vim primitiuorum obtinent, vid. *Fischerus* Proluss. de vitiis Lexx. p. 256. Cum נער 1 Regg. 21, 7. vt Graecorum παῖς *seruum* quoque designet, nonnulli, vt *Lampius, Boltenius*, alii, etiam h. l. sed sine idonea ratione de seruo cogitandum esse putarunt. Pro ὃ ἔχει in multis optimae notae codd. extat ὅς, quae lectio vtpote difficilior praeferenda videtur. Cf. de hac forma loquendi not. ad Matth. 28, 19. Marc. 5, 41. ἄρτους κριθίνους, *panibus hordeaceis* apud veteres, homines plerumque vilioris sortis vtebantur, v. 1 Regg. 7, 1. 16. 18. Ezech. 4, 12. Pesachim fol. 3, 2. *Iochanan dixit: hordeum factum est pulchrum. Dixerunt: nuntia hoc equis et asinis.* Seneca ep. 18. *non enim iucunda res est aqua, et polenta, et frustum hordeacei panis.* Augustus, vt Sueton. V. Aug. c. 24. tradit, *cohortes, si quae cessissent, decimatas hordeo pauit.* Frontinus 4, 1, 37. *legatum cum ignominia dimisit, reliquis ex legionibus hordeum dari iussit.* Liu. 27, 13. *cohortibus, quae signa amiserant, hordeum dari iussit*, v. *Wetstenius*, *Lampius* et *Kypkius* ad h. l. δύο ὀψάρια, *duo pisces*, Matth., Marc. et Lucas explicant δύο ἰχθύες. Nempe ὀψάριον, quod ab ὄψον descendit, dicitur omnis cibus, qui pani adiicitur, inprimis coctus et assatus. Cum vero apud veteres magno in pretio essent pisces, eosque assare moris esset, hinc factum est, vt vocabulis ὄψον et ὀψάριον significarentur quoque *pisces* vt h. l. Hinc etiam interpretes Alexandrini nomen דג, quod alias vertunt ἰχθύς, Num. 11, 22. expresserunt ὄψον. Suidas: ὀψάριον· τὸ ἰχθύδιον. Phauorinus: ὄψον· ἰςέον δὲ καὶ ὡς οἱ ὕςερον ἐπὶ μόνου ἰχθύος τὴν λέξιν ὥρισαν — ὅθεν καὶ ὀψάριον. Auctor Etymol. M. ὄψον σημαίνει τὸ προςφάγιον — καὶ ὀψάριον παρὰ τὸ ὄψον αἱρεσθαι ἐκ τῆς θαλάσσης. Eustath. in Hom. Il. λ'. p. 814. ὄψον ἁπλῶς φασὶν οἱ παλαιοὶ πᾶν τὸ σύναμα σιτίοις ἐσθιόμενον — ἰςέον δὲ καὶ ὡς οἱ ὕςερον ἐπὶ μόνου ἰχθύος τὴν λέξιν ὥρισαν. Terent. Andr. 2, 2. *paululum obsoni — pisciculos minutos.*

10 — 13. Iesus quasi non aduertisset dubitationem a Philippo et Andrea motam, ποιήσατε, inquit, τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν, *curate, ut homines accumbant*. ἀναπίπτειν de accubitu ad coenam Luc. 11, 37. 22, 14. Ioh. 13, 12. 21, 20. Tob. 2, 1. quo eodem modo etiam a scriptoribus exteris adhibetur, v. *Elsnerus* ad Marc. 6, 40. Matth. l. c. habet ἀνακλίνεσθαι, de quo verbo vid. not. ad Matth. 8, 11. ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ, *erat ibi multum graminis*, nam tempus vernum erat, coll. v. 4. οἱ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν (scl. κατὰ) ὡσεὶ πεντακισχίλιοι, *erant circiter quinque millia virorum*, ἄνδρες enim non sunt *homines*, sed potius *viri*, quoniam Matth. 14, 21. additur: χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων, *exceptis feminis et liberis*. διέδωκε τοῖς μαθηταῖς, *tradidit panes distribuendos discipulis*, Matth. 14, 19. κλάσας ἔδωκε. vid. ibi not. εὐχαριστήσας, vid. ad Luc. 9, 16. ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν] *cum saturati essent*, subintell. τῆς τροφῆς, v. *Bosius* de Ellips. sub v. βρῶμα, quae plena formula legitur Aelian. H. V 12, 1. μετὰ δὲ τὸ ἐμπλησθῆναι τροφῆς. De vocabulo κόφινος vid. not. ad Matth. 14, 21.

14. 15. *Homines vero illi, cum vidissent insigne factum, quod Iesus ediderat, dicebant: hic est vere propheta ille venturus in has terras.* ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος ille prophetarum, doctorum diuinaeque voluntatis interpretum omnium maximus, venturus, Messias; hunc enim intelligendum esse docet partim, additum ὁ ἐρχόμενος s. ἐλευσόμενος, qua voce Messias designari solebat Luc. 7, 19. al. partim etiam inde patet, quod eum regem creare volebant v. 15. et Iudaeos Messiam omnium prophetarum maximum, etiam Mose maiorem dixisse e scriptis Rabbinorum probauit ad h. l. *Lampius*. Est autem haec Messiae denominatio ὁ προφήτης deriuanda ex Deut. 18, 15. quem locum plurimi de Messia interpretabantur, vid. ad 1, 21. Cum vero Iesus cognouisset, populum, terrenum Messiam exspectantem, velle ipsum regem creare, ne adeo sedi-

tioni occafionem praeberet, in illo monte, vnde adueniente populi multitudine defcenderat, fe occultauit, et commode oculis hominum fe fubducere poterat, cum iam nox ingrueret, cf. v. 16. Luc. 9, 12. Matth. 14, 15. πάλιν in multis libris male deeft, expunxerunt illud grammatici, quoniam non praeceffit Iefum de monte defcendiffe. ἁρπάζειν αὐτὸν, *vt eum vi abducerent.* Etenim ἁρπάζειν nonnumquam eo quoque fignificatu adhibetur, vt fit: *vi abducere, celeriter aliquem arripere*, vt a Philone de Abr. p. 374. C. τάχιστα τὸν υἱὸν ἐξαρπάσας ἐπιτίθησι τῷ βωμῷ, *celeriter correptum filium arae imponit.* Ita quoque verbo *rapere* vfus eft Tacit. Annal. 1, 26. 27. ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, *vt eum regem crearent:* ποιεῖν, *conftituere, creare,* Apoc. 1, 6. v. *Graeuii* Lectt. Hefiodd. c. 13. *Palairetus* Obff. p. 108.

16 — 19. Conf. notata ad Matth. 14, 22 ff. Marc. 6, 46 fqq. ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο] *orto vefpere difcipuli lacum petebant.* Duae erant Hebraeis vefperae, vid. ad Matth. 8, 14. h. l. de fecunda vefpera ab hora noftra fexta, vsque ad noctis principium, fermo eft, coll. v. 17. ἤρχοντο πέραν κ. τ. λ.] *Capernaumum in altera ripa fitam tendebant:* ἔρχεσθαι haud raro ita ponitur, vt fit *ire, proficifci, tendere*, atque vfurpatur etiam de iis, qui iter tantum ingreffi, non vero emenfi funt, vt Matth. 15, 29. Luc. 15, 20. Gen. 18, 22. ἦλθον εἰς Σόδομα, *ibant verfus Sodoma*, vbi in Hebr. ילך legitur, add. Xen. Cyr. 6, 1. 31. Act. 28, 14. Quare *Heumanus* ad h. l. non negare debebat, verbum ἔρχεσθαι hoc fignificatu occurrere, neque adeo cum eo et *Paulo* de hyfterologia cogitandum eft, vt ftatuatur Euangeliftam primo paucis verbis *aduentum* difcipulorum Capernaumi retuliffe, ac deinde quae in itinere euenerant, expofuiffe. καὶ σκοτία — ὁ Ἰησοῦς] nempe Iefus iufferat eos praecedere in alteram lacus partem, et prope Bethfaidam (oppidum huius nominis, quod ad latus occidentale lacus Genefaret fitum erat, v. ad Marc. 6, 45.)

atque Capernaumum in terram exire Marc. l. c. videntur discipuli nihilominus tamen Iesum exspectasse, hinc σκοτία ἤδη ἐγεγόνει. — 18. διηγείρετο, *fluctuabat, concitabatur*, ita et ἐξεγείρειν legitur Ion. 1, 13., vbi in textu hebraico est סער. Pollux Onomast. 1, 9. κῦμα ἱστάμενον, ἐγειρόμενον, ὑποκινούμενον. — 19. ὡς σταδίους — τριάκοντα, *stadia circiter viginti quinque aut triginta*, v. ad Luc. 24, 13. Matth. 14, 24.

21. ἤθελον λαβεῖν αὐτὸν] Marc. 6, 51. legitur: καὶ ἀνέβη πρὸς αὐτοὺς εἰς τὸ πλοῖον. Matth. 14, 32. ἐμβάντων αὐτῶν εἰς τὸ πλοῖον. Non repugnant sibi Euangelistae. Verba enim ἤθελον λαβεῖν αὐτὸν non significant, *volebant eum recipere*, sed reddi debent: *lubenter, cupide eum recipiebant*, vt adeo ἤθελον sit id. qd. ἐθελήμως, v. *Glassii* Philol. S. p. 726. ed. *Dath.* Aeschyl. Choëph. 791. θέλων ἀμείψει. *Boltenius* θέλειν h. l. redundare putat, vt 5, 35. sed prior ratio ob ea quae praecesserunt, praeferenda est. εὐθέως, *cito, breui, paulo post*, vid. ad Matth. 13, 5. et *Glassius* l. c. p. 376. ἐγένετο id. qd. παρεγένετο, *peruenit*, vt ap. Xen. Cyr. 5, 3. 1. τεταρταῖοι ἐπὶ τοῖς ὁρίοις ἐγένοντο. Anab. 7, 3. 1. ἐγένοντο ἐπὶ τῷ στρατοπέδῳ. add. Theophr. Char. 1, 2. sic infra quoque legitur v. 25, vbi v. *Krebsius*, exempla e Philone depromta *Loesnerus* ad h. l. attulit.

22 — 25. *Postero die turba hominum, quae vt exspectaret* Iesum, quem reuenturum esse sperarat, *substiterat trans lacum* prope Bethsaidam, in deserto, *cum vidisset nullum aliud ibi adfuisse nauigium, praeter vnum illud, quod conscenderant eius discipuli, neque Iesum vna cum suis discipulis nauigium conscendisse, sed hos solos abiisse, (iam vero alia Tiberiade nauigia venissent, ad eum locum, vbi domino preces faciente, coenauerant) cum, inquam, illa hominum turba vidisset, nec Iesum, nec discipulos eius ibi versari, his nauigiis conscensis, Capernaumum traiecit, Iesum quaesitura.* Verbum ἀπῆλθον v. 22. extr. distinctione post αὐτοῦ posita, cum nomine collectiuo ὄχλος construi posse putat *Beza*,

turba populi -- abiit; quae ratio *Casaubono* et *Paulo* arrisit. neque tamen ei versus sequentes fauent. Ipse *Beza* rectissime praefert aliam rationem, quam etiam plurimi interpretum secuti sunt; censet nimirum v. 22. constructionem hiare, eamque postea expleri per epanalepsin. Huius generis loci, vbi constructio similiter hiat, in aliis quoque libris historicis, literisque Paulinis haud rarenter occurrunt. Pro *ἰδὼν* in aliis libris extat εἶδον, in aliis εἶδεν, quae lectiones grammaticis suis originem debent, quorum alii pro *ἰδὼν* rescripserunt εἶδον, cum ὄχλος sit nomen collectiuum, et v. 24. legatur etiam ἐνέβησαν, alii εἶδεν, vt v. 24. legitur. Verba ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ desunt in ABL. aliisque libris pluribus, et glossema sapiunt, quod in textum irrepsit, e quo ea adeo *Griesbachius* eiecit. ἀλλὰ μόνοι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπῆλθον] viderant abeuntes discipulos, Iesus autem ex eorum oculis euanuerat, secesserat in montem, coll. v. 15. ἄλλα δὲ ἦλθε πλοιάρια ἐκ Τιβεριάδος, np. fama itineris Iesu in desertum peruenerat Tiberiada, hinc inde aduenerant illa nauigia. Notatum hoc est a scriptore, vt appareret, vnde multitudo postea Iesum secuta, nauigia habuerit v. 25. — 23. ἔφαγον τὸν ἄρτον εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου] *vbi coenauerant, postquam Iesus precatus erat*; de formula φαγεῖν ἄρτον vid. not. ad Luc. 14, 1. εὐχαρις. τοῦ κυρίου, preces faciebat paterfamilias ante coenam, significatur ergo his verbis, coena quam Iesus instituerat, coenasse multitudinem Iesu beneficio. — 24. ἐνέβησαν καὶ αὐτοὶ εἰς τὰ πλοῖα, multitudo Iesum, cum in solitudinem prope Bethsaidam se contulisset, pedestri itinere secuta fuerat, v. Matth. 14, 13. Marc. 6, 13. non probabile est nauigia, quae aduenerant, tantam multitudinem capere potuisse, sed tantum de aliqua parte illius hominum turbae haec verba intelligenda sunt. καὶ ante αὐτοὶ a multis libris abest et a grammaticis adiectum fuisse videtur, vnde et illud delendum iudicarunt *Griesbachius* atque *Matthaeius*. εἰς Καπερναοὺμ, ibi quaesiuerunt Iesum, quod discipuli hanc vrbem petierant,

v. 17. atque in ea Iesus hactenus commoratus erat, v. ad Matth. 14, 13. — 25. *καὶ εὑρόντες αὐτὸν κ. τ. λ.*] *cumque eum trans lacum reperissent*, plures e turba *interrogabant eum: magister, quando huc aduenisti?* non viderant eum traiicientem, et pedestre iter longius erat. *πέραν τῆς θαλάσσης*, h. e. Capernaumi, noluit scriptor nomen vrbis statim repetere, v. *Eichhornii Einleit. Th.* 2. p. 268. e v. 59. patet, eos Iesum in synagoga Capernaumitica reperisse. *γέγονας*, *aduenisti*, v. supra ad v. 21. lectio nonnullorum codd. *ἐλήλυθας* glossema redolet. Iesum ad hanc illorum interrogationem respondisse, sed Iohannem responsionem ipsius praeteriisse *Paulus* ad h. l. obseruauit. Alii opinantur, Iesum his hominibus, cum eum curiositate tantum ducti interrogassent, nihil respondisse, sed eos statim allocutum esse verbis quae sequuntur.

26. 27. Summa orationis a Iesu in synagoga ad populum habitae, haec est: cupide appetenda est doctrina coelestis, quam ego legatus diuinus trado, operam vestram studiumque non tam impendere debetis commodis ad corpus solum pertinentibus per me comparandis, quam potius acquirendis alimentis perennibus, quae ego largiri possum, Nempe populus maximam partem sequebatur Iesum, non quod cupidus esset doctrinae ipsius, quae tota ad animum et res diuinas spectaret, sed quod commoda terrena appeteret, quod vellet miracula videre, quae externa commoda praeberent. Ita quoque animatos esse sciebat Iesus eos, quorum inopiae in deserto pridie insigni facto consuluerat, quique lacum traiecerant ipsum quaesituri, et iam deprehenderant. Reprehendebat ergo illos ea tantum de caussa ipsum studiose quaerentes, quod auxilio eius panibus comedendis satiati fuissent, et sperarent fore vt ipse noua miracula ederet, quibus externis eorum commodis consuleret; notabat eos, quod destituti essent sensu animi, quem facta insignia ab illis spectata excitare deberent, quod terrestribus bonis et commodis inhiantes, non atten-

derent ad vim et significationem miraculorum suorum sublimiorem, nempe se his factis insignibus a Deo declarari legatum diuinum, instructum potestate atque prouincia hominibus ipsi fidem habentibus, commodis terrenis longe praestantiora bona, commoda perpetuo duratura parandi, animos eorum doctrina coelesti imbuendo. Vt ergo eos a rerum terrenarum studio auocaret, et ad rerum coelestium cogitationem excitaret, his eos alloquebatur verbis: *profecto vos me non tam propterea quaeritis, quod insignia mea facta vidistis, sed quod cibo a me dato satiati estis. Comparate vobis non tam cibum periturum, quam potius ad vitam futuram perdurantem, quem vobis praebebit filius hominis, hunc enim Deus confirmauit.* ζητεῖτέ με, me tanto ardore quaeritis, adeo assidue sequimini. οὐχ — ἀλλὰ, *non tam — quam*, vt v. seq. μὴ — ἀλλὰ, vid. ad Matth. 10, 20. *Glassii* Phil. S. p. 419. *Dath. Palairetus* Obss. p. 235. σημεῖον de cuiusuis rei signo et documento adhibetur, insignia autem Christi facta vocantur σημεῖα, vt alias, ita h. l. quatenus esse debebant documenta legationis ipsius diuinae, dignitatis ipsius Messianae. Sensus ergo est: non tam propterea ad me acceditis, quod vidistis insignia facta, quae si animum aduerteretis, vobis essent legationis meae diuinae documenta, (legitur v. 27 extr. τοῦτον ἐσφράγισεν ὁ Θεός) hunc altiorem eorum sensum, nonnisi terrena commoda appetentes et exspectantes negligitis. σημεῖα autem h. l. commemorata partim referri debent ad auxilium, quod Iesus praestiterat multitudini ciborum inopia laboranti, partim ad illa insignia facta, v. 2. ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων, καὶ ἐχορτάσθητε] *sed quoniam cibum* (pro ἄρτοι v. seq. legitur βρῶσις) *comedistis et saturati estis.* Significatur omnino his verbis: quoniam mea insignia facta vobis commoda externa praebent; sed hac formula ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων vsus est Iesus propterea, quia sermo ipsius inprimis eos spectabat, quos cibis destitutos pridie modo satiauerat, hinc et in sequentibus imaginem a cibo desumsit. — 27. ἐργάζεσθαι τὴν βρῶσιν est com-

parare, *acquirere sibi cibum*, respondet enim verbum ἐργάζεσθαι Hebr. פעל Prou. 21, 6., vbi Theodot. habet: ἐργαζόμενος θησαυροὺς ἐν γλώσσῃ ψευδεῖ, et verbo עשה, quod saepius vim obtinet verbi קנה atque per אקנ a Targumistis exprimitur Gen. 31, 1., vbi οἱ ό habent ποιεῖν. Hesychius et Phauorinus: εἰργάσατο, ἐποίησεν, ἐπράξατο. Graeci quoque eodem significatu hoc verbum vsurparunt, vt Hesiod. Opp. v. 43. ἐργάζεσθαι βίον, vbi v. *Graeuius*, Palaeph. 21, 2. ἐργάζεσθαι βρῶμα *victum sibi comparare*. v. ibi Index *Fischeri* f. v. βρῶμα, *Dresigius* de Verb. Med. p. 282. *Raphelius* Obff. Herodott. p. 177. add. *Elsnerus*, *Clericus* ad h. l. *Fesselius* Aduerf. S. 4. 3. §. 11. ἡ βρῶσις ἡ ἀπολλυμένη significat escam perituram, cibum, qui vsu perit, omninoque commoda terrena, caduca. Talem enim Messiam optabant et exspectabant Iudaei, qui ipsis largiturus esset omnis generis commoda terrena maxima. Itaque sensus est: non tam impendite curam commodis externis comparandis. Opponitur βρῶσις μένουσα εἰς ζωὴν αἰώνιον, cibus, qui animum nutrit, et vsque ad vitam beatam perennemque perdurat, eamque tribuit, coll. v. 33. Praepositio εἰς et terminum, et finem consiliumque designat, vt loco simili 4, 14. ἣν scl. βρῶσιν, quem cibum praebet Messias, filius hominis, quem ego praebeo; intelligitur doctrina coelestis, quam Christus secutus doctorum Iudaicorum loquendi consuetudinem solennem cum cibo et alimentis comparauit, vid. not. ad 4, 10. Ergo ἐργάζεσθαι τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν κ. τ. λ. est studiosum esse doctrinae coelestis, admittere et sequi Christi doctrinam. De vi ac potestate verbi σφραγίζειν vid. not. ad 3, 33. ἐσφράγισε, *comprobauit*, *confirmauit*, referri debet ad σημεῖα. de quibus v. 26. sermo fuerat. Alias aliorum huius verbi interpretationes vid. ap. *Lampium* et *Wolfium* ad h. l.

28. 29. Quae Iesus de admittenda sua doctrina dixerat v. 27., ea ii, qui loquentes h. l. inducuntur, intelli-

gebant de praeceptis nouis et ignotis, a Iesu accipiendis, quae sequi deberent, si vellent felicitatis in regno Messiano exspectandae fieri participes; cumque Pharisaei praecepta legis Mosaicae in grauia et leuia diniderent, et ad grauiora vnice fere referre solerent, quae actiones externas spectarent: procul dubio homines illi praecepta a Iesu accipienda actiones externas spectatura esse credebant, v. ad Matth. 5, 20. 19, 16. hinc cum Iesus etiam vsus esset verbo actionem exprimente, ἐργάζεσθαι, פעל, interrogabant eum, *quid nobis agendum est, vt quae Deo placent, praestemus?* quaenam praecepta tu nos sequi iubes, vt felicitatem perennem nanciscamur? — 29. Iesus vero iis respondebat: *hoc Deo maxime placet, vt fidem habeatis ei, quem ille misit;* me legatum diuinum, Messiam, agnoscatis, meam doctrinam admittatis, eamque sequamini. τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ sunt *opera Deo accepta, quae ei probantur, quae fieri vult,* vt *sacrificia Dei* sunt sacrificia, quae ei placent, quae sibi offerri vult, Ps. 51, 19. Ier. 48, 10. Apoc. 1, 26. ποιῶμεν, vt iam *Grotius* monuit, positum est pro ποιήσομεν. εἰς ὃν pro εἰς ἐκεῖνον ὃν, vt saepe alias. Ab hac interpretatione, quae simplicitate sua sese commendat, nonnulli interpretes recesserunt. Iis nimirum τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ sunt ἔργα ἃ ποιεῖ s. ἐργάζεται ὁ Θεός, *opera, quae a Deo efficiuntur,* intelligunt βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον, atque sensum ita constituunt: quomodo tandem nostris studiis ea comparare nobis possumus, quae Deus solus efficere potest, cibum coelestem nunquam periturum? vt adeo mentem Iesu non intellexerint, sed cogitarint de alimento proprie sic dicto, auctore Iesu ipsis coelitus suppeditando. Iam vero Iesum haec respondisse praecipiunt: hoc intelligo Dei opus, institutum, quod in eo versatur, vt vos ad fidem legato ipsius habendam perducamini. Quae quidem verborum expositio nimis quaesita nec satis apta nobis videtur, et cum ἔργον τοῦ θεοῦ respiciat verba τί ποιῶμεν, patet, ἔργον τοῦ θεοῦ significare factum, opus, quod Deo

placet, et hoc eodem ſenſu accipi debet formula ἔργα τοῦ θεοῦ v. 28.

30. 31. Non eosdem per omne colloquium, quod Ieſus in ſynagoga cum Iudaeis inſtituit, loquentes induci ab Euangeliſta, vel hic ipſe v. 30. ſat luculenter docet. Quos enim Ieſus v. 26. allocutus erat, quique illam, quam v. 18. continet, interrogationem non malo animo ei propoſuerant, non poterant efflagitare ab eo iam temporis miraculum, quo probaret ſe legatum diuinum, Meſſiam eſſe, coll. v. 30. ipſi enim vehementer admirati erant inſigne factum, quod Ieſus in deſerto ediderat, eumque propterea Meſſiam eſſe declararant, ac regem creare voluerant, coll. v. 14. Itaque arbitror loquentes iam induci primores Iudaeorum in ſynagoga praeſentes; qui, cum Ieſus ſe ipſum v. 27. legatum voluntatisque diuinae interpretem dixiſſet, vt Phariſaei et legisperiti, de quibus agunt loci Matth. 12, 38. 16, 1., vbi vid. not. ab eo poſtularint σημεῖον, documentum ipſius legationis diuinae. Infenſum enim interrogantium animum omnis eorum oratio ſatis aperte prodit. Nempe audiuerant de inſigni facto, quod Ieſus pridie in deſerto ediderat, coll. v. 25. 26. commemorarat Ieſus panem coeleſtem in vitam aeternam perennantem v. 27. vt ergo laudibus ipſius obtrectarent, eique inſultarent, ab hac imagine, quam Ieſus adhibuerat, quamque probe intellexerant, occaſionem ſumebant ab eo flagitandi, vt ſicut Moſes ipſorum maioribus panem coeleſtem comedendum praebuiſſet, ita ipſe quoque ad confirmandam ſuam legationem diuinam et dignitatem Meſſianam, ſimilem cibum coeleſtem ſuppeditaret. Manna autem a Moſe in deſerto datum, omnium ipſius miraculorum maximum, v. *Lampius* ad h. l. atque Meſſiam cibum coeleſtem, Manna dici ſolitum, daturum eſſe, Iudaei putabant. *Koheleth R.* 1, 9. *Dixit R. Berachia nomine R. Iſrael: qualis fuit redemtor primus, talis erit redemtor vltimus. Qualis vero ille fuit? Quod fecit Exod.* 4, 20. *idem redemtor vl-*

timus sec. Zach. 9, 9. *Sicut ille fecit descendere Manna secundum Ex.* 16. *ita posterior faciet sec. Ps* 72, 16. conf. *Lightfootus*, *Schoettgenius* et *Wetstenius* ad h. l. Non sine ironia dicebant porro illi primores populi ἵνα ἴδωμεν, vt nosmet ipsi oculis nostris videamus, vtebantur etiam, vt Iesum irriderent, verbo ἐργάζῃ, quo ipse vsus erat. Interrogabant ergo eum: τί οὖν ποιεῖς σὺ σημεῖον κ. τ. λ.] *quodnam documentum insigne edes, vt eo viso nos tibi fidem habeamus? quid ages? Maiores nostri in deserto comederunt Manna, vti scriptum est: de coelo iis Manna comedendum dedit.* Paucis tantum verbis scriptor obiectionem primorum populi attulit. Respiciebant autem locos Exod. 16, 4. Ps. 78. 24. 105, 40. vbi Manna vocatur ἄρτος ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. Nomen μάννα esse Hebr. מן הוא, *quid hoc?* vulgaris est sententia, quam Iosephus confirmat, qui Ant. 3, 1. 10. scribit: καλοῦσι δὲ Ἑβραῖοι τὸ βρῶμα τοῦτο Μάννα· τὸ γὰρ μαν, ἐπερώτησις κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον, τί τοῦτ᾽ ἐστι; ἀνακρίνουσα. Alii tamen in subsidium vocarunt Arabicum מן, *munificentia*, *donum*, et hunc ipsum significatum vocabulo μάννα tribuunt, vid. *Rosenmülleri* Scholia, et *Vateri Kommentar üb. d. Pentateuch*, ad Exod. 16, 15. Est autem Manna, cuius varia sunt genera, humor roscidus, exsudans e corticibus arborum et fruticum. Nobilissimum genus vocatur *Terengabina*, frutex, e quo hoc genus Mannae stillat, nascitur in campis Armeniae, Georgiae, Persiae, in Arabia Petraea et deserta. Orientales opinantur Mannam vt rorem de coelo delabi, quam in rem loca scriptorum Arabicorum attulit *Schnurrerus* in Diss. ad Ps. 78., inserta Commentationibus theologicis a *Velthuseno*, *Rupertio* et me editis Vol. 1. p. 91 sq. conf. omnino *Niebuhrii Beschreibung von Arabien* p. 145 sqq. et quos laudauit *Rosenmüllerus* ad Exod. l. c.

32. 33. *Ad haec Iesus: mihi credite, Moses vobis non dedit panem vere coelestem, sed pater meus vobis praebet panem coelestem verissimum. Panis enim diuinus ille est, qui de coelo*

descendit, et vitam dat hominibus. Sane per me vobis praebetur cibus coeleftis, et quidem illo, quem Mofes praebuit, longe excellentior. Nonnulli ftatuunt, Iefum verbis: οὐ δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ (i. e. οὐράνιον), refellere voluiffe Iudaeorum opinionem de origine Mannae, atque adeo dixiffe, panem, quem Ifraelitarum maiores per Mofen accepiffent, non fuiffe de coelo delapfum, fed naturalem. Quodfi vero hunc fenfum Iohannes exprimere voluiffet, fcribere debuiffet: οὐκ ἐξ οὐρανοῦ δέδωκεν. Iefus, cui longe grauiores errores, qui hominum mores fpectarent, remouendi erant, fequebatur h. l. popularium fuorum loquendi confuetudinem, eorumque innoxiae opinioni fapienter fefe accommodabat, ne iis temere offenfioni effet. τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ nempe, vt fequentia docent, τὸν ἀληθινὸν, *panem vere coeleftem*, fenfu perfectiffimo panem coeleftem nominandum, panem praeftantiffimum, talem vobis, patribus veftris non praebuit Mofes, procurauit ille tantum panem aptum ad corpus fatiandum, ad hanc vitam caducam pertinentem, coll. v. 49. ἀλλ' ὁ πατήρ μου κ. τ. λ., fed pater meus nunc per me vobismet ipfis praebet panem, fenfu perfectiffimo panem coeleftem nominandum, panem praeftantiffimum, ad animum pertinentem, falutem perpetuam largientem, coll. v. 33. 27. Se ipfum Iefus panem vere coeleftem dicit, coll. v. 33. 35. quatenus ipfe de coelo demiffus v. 33. 38. praebeat hominibus animi nutrimenta, h. e. doctrinam diuinam, hominibus faluberrimam v. 35 fqq. coll. v. 27. 4. 14. ἀληθινὸν vid. ad 1, 9. ὁ καταβαίνων pofitum eft pro ὁ καταβὰς, coll. v. 38. 41. 51. κόσμος eft genus humanum, vt 3, 16. et ζωὴ, vt v. 27. notat felicitatem perennem.

34. 35. *Iam ei dicebant: domine, perpetuo da nobis iftum panem.* Non iidem, qui a Iefu documentum legationis ipfius diuinae poftularant v. 30., hoc ab eo petebant, fed alii, imperitiores, homines de plebe, qui ea, quae Iefus de animi nutrimentis et felicitate perenni dixe-

rat, de alimentis corporis et vita terrena capiebant. Similes preces mulieris Samaritanae fupra 4, 15. occurrebant. — 35. Clarius mentem fuam Iefus explanaturus ita pergebat: *ἐγώ εἰμὶ ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς*, *ego fum panis falutaris*, largior vobis pabulum animi faluberrimum, *βρῶσιν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον* v. 27. trado doctrinam praeftantiffimam, vberrimum verae falutis fontem continentem. *ὁ ἐρχόμενος πρός με, οὐ μὴ πεινάσῃ κ. τ. λ.*] *qui ad me venerit, nunquam efuriet, et qui mihi fidem habuerit, nunquam fitiet.* Formula *ὁ ἐρχόμενος πρός με* commutatur cum illa altera *ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ*, atque *venire ad Chriftum* h. l. vt v. 37. 44. 45. eft, Chrifto totum deditum effe, ad eum tota mente fe applicare, doctrinam et difciplinam eius probare et amplecti; *πιςεύειν εἰς αὐτὸν*, agnofcere eum diuinitus exhibitum veluti pabulum animi, agnofcere eum ideo miffum effe, vt nutrimenta animi praeberet hominibus, vt ex eius doctrina vberrimum fructum perciperent, eum agnofcere doctorem diuinitus miffum, eiusque adeo doctrinam admittere. vid. *Morus* Opufcc. T. 2. p. 275. Itaque fenfus eft: qui me doctorem religionis praeftantiffimae agnouerit et fecutus fuerit, is nunquam defiderabit veram vitam et felicitatem, ex mea doctrina vberrimos fructus percipiet, cunctis ipfius defideriis illa fatisfaciet, nulla alia re ad falutem indigebit, vid. not. ad 4, 14. *ἀλλ' εἶπον ὑμῖν ὅτι καὶ ἑωράκατέ με, καὶ οὐ πιςεύετε*] *fed dixi iam vobis, vos quamquam me noftis, mihi tamen fidem non habere*: *εἶπον ὑμῖν* Perfa et Aethiops vertunt: *ego vobis dico. Lampius* et *Paulus* opinantur, refpexiffe Iefum verba antea prolata, a Iohanne omiffa, cum quae h. l. leguntur verba, in praecedentibus non *κατὰ ῥητὸν* occurrant. Alii *εἶπον* referunt ad v. 26., vt *Schottus* in Disf. de confilio, quo Iefus miracula ediderit etc. P. 1. p. 30, qui fenfum loci ita conftituit: vos non vultis experiundo cognofcere, quam efficax et falutaris mea doctrina fit, nam vt iam monui (v. 26.), quamquam me vidiftis infignia facta edentem, ea tamen vos non excitarunt, vt mihi fidem haberetis,

meamque doctrinam admitteretis. Equidem verbum εἶπον explicandum puto, dixi alio tempore, saepius (5, 38. al.) socordiam et pertinaciam vestram reprehendi. Verbum autem ὁρᾷν, quod perquam frequenter de cognitione adhibetur, vt sit *nosse*, *cognoscere*, v. 1, 18. 6, 46. et cum verbo γινώσκειν commutatur, v. 14, 7. *Storrii* Opusc. T. 3. p. 243. referendum esse existimo, vt verbum θεωρεῖν infra v. 40., tam ad insignia Christi facta, coll. v. 26. quam ad ipsius doctrinam, de qua v. 35. sermo fuerat, vt adeo sensus sit: quamquam me meamque agendi rationem nostis, quamquam factorum meorum spectatores, doctrinae meae auditores hactenus fuistis, me tamen non agnoscitis doctorem, legatumque diuinum, Messiam, nec meam doctrinam admittitis. Caeterum particula καὶ priori loco posita reddi debet *quamquam*, vt Luc. 18, 7., vbi v. not. posteriori, *tamen*, vt Apoc. 1, 18. Ioh. 5, 40.

37. 38. Nihilominus tamen sum ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, ζωὴν δίδωμι et δώσω τῷ κόσμῳ, coll. v. 33. haec enim v. 33. verba Iesus respicit, eaque copiosius illustrat. Non incassum laboro et doctoris prouinciam suscepi, non deerunt, qui vobis me spernentibus, meam doctrinam suscepturi sint. πᾶν ὁ δίδωσί μοι ὁ πατὴρ, πρὸς ἐμὲ ἥξει κ. τ. λ.] *omnes, quos mihi pater discipulos dat, ad me venient, neque ego accedentes reiiciam.* πᾶν positum est pro πᾶς, vt πᾶν τὸ φανερούμενον Eph. 5, 13. add. 1 Cor. 1, 27. ὁ δίδωσί μοι ὁ πατὴρ, quem mihi discipulum dat, cuiuscunque sit ille gentis. Phrasis parallela infra v. 44. legitur, quem pater ἑλκύει, quem pater per doctrinam meam, quae et patris doctrina est, coll. v. 45. eo adducit, vt se in meam disciplinam tradat. Omnia, quae faciunt ad promouendam rem christianam, ad Deum auctorem referuntur. πρὸς ἐμὲ ἥξει, is mihi totus deditus erit, meam doctrinam cum assensu amplectetur et probabit, coll. v. 35. καὶ τὸν ἐρχόμενον, et qui meam doctrinam probabit et amplectetur, quisquis ille sit. οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω, eum

non reiiciam, h. e. omnino, eum non infelicem ſed feliciſſimum reddam. Eſt litotes, et de induſtria hac voce vſus eſt Ieſus, quoniam adhibuerat formulam ἐρχόμενον πρός με. Pro οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω infra v. 39. legitur: ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι, μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ et v. 40. ἵνα πᾶς — ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. Caeterum ad verbum ἐκβάλω recte notarunt interpretes, coniunctiuum aoriſti ſaepius adhiberi pro futuri indicatiuo vt h. l. v. *Wolfius* et *Rufus*. — 38. ὅτι καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ — πέμψαντός με] *nam non ideo coelitus deſcendi, vt meae, ſed vt illius, qui me miſit, voluntati ſatisfaciam;* non eſt quod miremini, me dixiſſe, omnes ſine diſcrimine gentis v. 33. doctrinam meam probaturos mihique fidem habituros, per me felices redditum iri v. 37. non proprio arbitratu ago 5, 30. ſed veni, vt conſilium patris exſequerer, opus perficerem a patre demandatum. De poteſtate formulae καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ vid. not. ad 3, 13. 31. ea h. l. non tantum doctrinae Chriſti originem diuinam, ſed ipſius quoque originem coeleſtem indicari, exinde etiam apparere obſeruauit *Paulus* ad h. l. quod non praeſens ſed praeteritum adhibitum ſit.

39. 40. πατρὸς v. 39. deeſt in codd. ABDLT. al. et v. 40. pro πέμψαντός με in CDLT. 1. 127. al. Syr. vtr. Perſ. Ar. Copt. Aeth. Arm. etc. legitur πατρός μου, in aliis πέμψαντός με πατρὸς, haec vero ipſa lectionis varietas ſatis aperte docet, nomen πατρὸς a grammaticis in marginibus codd. fuiſſe adſcriptum, et a librariis in ordinem receptum, adeoque cum *Griesbachio* e textu eiiciendum eſſe. πᾶν ſcl. κατὰ, quod attinet omnes. ἐξ αὐτοῦ ſcl. τι, vt 16, 17. Apoc. 11, 9. vt ex omni eo quod mihi pater dedit v. 37. nihil, neminem eorum perdam, perire patiar, vt nemo per me miſer fiat, ſed omnes obtineant felicitatem perennem; praeceſſit v. 37. οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω, ſequitur oppoſita formula v. 40. ἵνα πᾶς — ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. cf. 3, 17. additum etiam h. l. legitur: ἀλλὰ ἀνα-

στήσω αὐτὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, *sed vt eos extremo illo die resuscitem ad consequendam vitam beatam* (vid. 5, 21. 28.); hanc enim notionem verbo ἀναστήσω inhaerere, ex opposito ἀπολέσω et ex verbis v. 40. ἵνα — ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον satis luculenter apparet. — 40. Pro δὲ *igitur*, s. *inquam*, v. 2 Cor. 10, 2. coll. v. 1. haud pauci libri habent γὰρ, quae tamen lectio a grammaticis profecta est, cum δὲ saepius ponatur pro γὰρ, vid. *Reusmanus* ad Deuar. p. 105. *Vigerus* p. 543. ed. *Herm.* ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν qui filium eiusque agendi rationem nouit, qui factorum ipsius spectator, doctrinae auditor fuit, vid. v. 36. καὶ πιστεύων εἰς αὐτὸν eumque legatum diuinum, Messiam agnouit, eiusque doctrinam admisit. καὶ ἀναστήσω αὐτὸν nempe eum ad vitam beatam prodire iubebo. Pro τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, codd. ADKLS. al. habent ἐν τῇ ἐ. ἡ. quam particulam librarii e v. 39. adiecerunt.

41 — 43. οἱ Ἰουδαῖοι Iudaeorum proceres, iidem de quibus v. 30. sermo erat; mussitabant propterea (περὶ αὐτοῦ), quod dixerat se panem, *qui de coelo descendisset*, coll. v. 42. οὐχ οὗτός ἐστιν κ. τ. λ.] similis obiectio Matth. 13, 55. vbi v. not. λέγει οὗτος· pronomen οὗτος in multis libris deest: scilicet expunxisse illud videntur grammatici, quibus pronominis repetitio superflua videretur. Sed οὗτος vt Lat. *iste* h. l. contemtim adhibitum est, homo iste ignobilis, vt Matth. l. c. vid. *Schleusneri* Lex. h. v. n. 9. — 43. *Iesus igitur ad illos, non est quod inter vos mussitetis.* Facile intelligere Iudaei illi poterant, vt *Paulus* ad h. l. p. 319. obseruauit, Iesum verbis ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ non hoc dicere voluisse, se non esse natum, se corpore praeditum de coelo descendisse, cum ergo de industria et malo animo ipsius verba perperam interpretarentur, indigni erant quos refutaret et doceret. Idem V. D. monuit, ex silentio Euangelistae non colligi posse Iesum concessisse, se vere esse Iosephi filium: ad quaestionem enim propositam, num Iesus de coelo descendisset? nihil attinuisse,

quo ſenſu Ioſephi filius nominaretur; nec Ieſum eo, quod modo extraordinario natus eſſet, probaſſe ac confirmaſſe ſuum de coelo deſcenſum, ſed eo quod ante natiuitatem ſuam, ipſe natura coeleſtis, beatitate ſumma apud Deum gauiſus eſſet v. 62. 17, 5.

44. 45. *Nemo poteſt ad me venire, quem non pater, qui me miſit, alliciat, talem ego extremo tempore* ad felicitatem perennem (v. 39.) *in vitam reuocabo.* Formulam ἐλθεῖν πρός με, *venire ad me*, etiam h. l. vt v. 35. 37. non tam cauſſam et id quod antecedit, quam potius effectum et id quod ſequitur exprimere, adeoque notare, doctrinam Chriſti probare et amplecti, inde patet, quod is demum ad Chriſtum venire poſſe dicitur, qui ſit a Deo edoctus, qui audierit et didicerit v. 45. indicat ergo venire ad Chriſtum, id quod cognitionem ſequitur, ὁ διδακτὸς δύναται ἔρχεσθαι πρὸς αὐτόν. vid. *Morus* Opuſcc. T. 2. p. 276. Verbum ἑλκύειν non tantum ſignificat *vi trahere, rapere*, ſed etiam *allicere, verbis et rationibus, docendo, aliquem in ſuas partes trahere, permouere aliquem vt aliquid faciat*, qua eadem ratione etiam verba משך, ἀναγκάζειν, βιάζεσθαι vſurpari ſolent, vid. Ier. 31, 4. Hoſ. 11, 4. Matth. 14, 22. ibique notata, et *Wetſtenius* ad h. l. Quaenam vis atque poteſtas h. l. verbo ἑλκύειν tribuenda ſit, ipſe contextus docet. Sequitur enim v. 45. καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, πᾶς ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ μαθών. Itaque *trahit, allicit pater* eſt: per doctrinam impertitam eo adducit, vt velit probare et amplecti meam doctrinam diuinam et ſalutiferam. Senſus igitur ita conſtitui debet: non eſt quod muſſitetis, ſane res ita ſe habet, coelitus deſcendi; miſit me pater, vt opus demandatum perficerem, vt homines edocerem, eosque felices redderem, nemo poteſt ad me venire, niſi quem pater alliciat, Deus homines per me edocet, per meam doctrinam in animis eorum probos motus excitat, eosque eo adducit, vt eam amplectantur, et multi eam admittent,

etſi vos male pertinaces eam repudietis, valet de his temporibus, iam ipſo euentu comprobatur v. 45. *quod in vatum libris ſcriptum extat: omnes a Deo edocebuntur; quicunque igitur patrem audiuerit, et didicerit, meam doctrinam admittet.* Verba ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ depromta ſunt ex Ieſ. 54, 13. vbi οἱ ὁ habent: καὶ (θήσω) πάντας τοὺς υἱούς σου διδακτοὺς Θεοῦ. καὶ ἐν πολλῇ εἰρήνῃ τὰ τέκνα σου i. e. feliciſſimi erunt. Alloquitur propheta Hieroſolymam, et verba facit de temporibus exilium ſecuturis. Cum h. l. legatur ἐν τοῖς προφήταις, nonnulli interpretes putarunt reſpexiſſe Ieſum ad plurium prophetarum loca, laudaruntque praeter locum Ieſ. etiam locos ſimiles Ier. 31, 34. Mich. 4, 1 — 4. eum vero verba ipſa h. l. allata Ieſ. l. c. occurrant, alii pluralem per enallagen pro ſingulari poſitum eſſe ſtatuerunt. Sed eſt hic citandi modus ſcriptoribus Hebraicis haud inuſitatus, et ſignificatur hoc oraculum in ea codicis ſacri parte legi, quae *Prophetarum* nomine appellatur. Sic Act. 13. 40. laudatur τὸ εἰρημένον ἐν τοῖς προφήταις, affertur autem ibi oraculum Habac. 1, 5. διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ Hebr. לִמּוּדֵי יְהוָה id. qd. ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δεδιδαγμένοι, vid. *Vorſtius* de Hebraism. N. T. p. 408. ed. *Fiſcher.* et not. ad Matth. 25, 34. Prophetae oraculum Chriſtus in ſe transfert. πᾶς οὖν ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρός, quicunque patrem docentem audiuerit, quem pater per me edocuerit, καὶ μαθὼν et doctrinam meam bene imbiberit, is eam admittet cum aſſenſu amplectetur et probabit, mihique fidem praebebit.

46. Ieſus, ne Iudaeorum proceres, more conſueto, ipſius verba peruerterent, explicationis cauſſa adiiciebat haec: οὐχ ὅτι τὸν πατέρα τις ἑώρακεν κ. τ. λ., *neutiquam haec dixi, quaſi quis patrem poſſit videre praeter eum, qui a Deo miſſus eſt, hic patrem vidit:* ὁρᾶν τὸν πατέρα, in hac orationis ſerie, cum praeceſſerit formula, ἀκούειν παρὰ τοῦ πατρός, notat: immediate a Deo inſtitui, ita, vt pleniſſimam voluntatis conſiliorumque ipſius notitiam conſequaris, vt 1, 18. Senſus

igitur eſt: quae de inſtitutione patris dixi, non ſunt de inſtitutione pleniſſima et immediata intelligenda, haec contigit nonniſi ei qui coelitus deſcendit, qui a patre miſſus eſt, ſiue, qui apud patrem fuit (contigit mihi), is accuratiſſimam Dei eiusque voluntatis cognitionem obtinuit, vtpote patri familiariſſimus et coniunctiſſimus, vid. 1, 18. 5, 20. qui me audit, Deum audit, Deus per me homines edocet. ὁ ὢν παρὰ τοῦ πατρὸς, *qui apud patrem erat*, vt ὢν poſitum ſit pro ἦν, coll. v. 62. 7, 29. 3, 13. quos locos Ioh. 1, 2. 3. 18. reſpexit. Alii vertunt: *ego a patre miſſus*, qui coelitus demiſſus eſt, ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, v. 33. 38. 51. 3, 13. ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με v. 44. οἱ παρά τινος dicuntur familiares, legati, omninoque cum aliquo vllo modo coniuncti, vid. ad Marc. 3, 21. Senſus idem manet.

47 — 50. Ad reliquos praeſentes iam orationem Ieſus dirigit, et poſtquam repetiit ea quae v. 35. dixerat, vbi v. not. v. 49. pergit: οἱ πατέρες ὑμῶν ἔφαγον κ. τ. λ. Manna, quam cibum coeleſtem appellatis, faciebat tantum ad corporis vitam per aliquod tempus continuandam, non poterat veſtros maiores a morte corporis liberare, *καὶ tamen* vt ſupra v. 36. — 49. οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος — καὶ μὴ ἀποθάνῃ] *hic eſt panis, coelitus demiſſus, vnde ſi quis ederit, non morietur*; cibus, quem ego praebeo, eſt longe praeſtantior, quam ille cibus, quem maiores veſtri acceperunt, animi nutrimenta praebeo, intelligitur doctrina diuina vt v. 32. 33. 35. Formula φαγεῖν ἐκ τοῦ ἄρτου, *vti cibo*, quem Deus parauit, vt v. 35. verba πεινᾶν, διψᾶν, improprie accipi debet, notat: vti doctrina, eam audire, diſcere, venire, credere, ἀκούειν, μανθάνειν, ἔρχεσθαι, πιστεύειν v. 35. 45. μὴ ἀποθάνῃ, *non morietur*, felicitatem perennem conſequetur, coll. 39. 40. 47. 5, 24.

51. Compararat Chriſtus ſe cum cibo a Deo hominibus quaſi parato v. 33 ſqq. dixerat, ſe nutrimenta iis praebere, quibus vti deberent, vt conſequerentur felicita-

tem v. 35. 48. per haec nutrimenta intellexerat doctrinam ſuam, et profeſſus erat, ſe per doctrinam ſuggerere cibum animis ipſum audientium. Iam ab alia parte docet, quomodo ipſe ſit et dici poſſit *ἄρτος*, cibus, ac nutrimenta animi praebeat. Repetita nimirum imagine, quae hactenus de doctrina ſua diuina vſus erat; *ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν* (i. e. *ζωοποιῶν*, *ζωὴν διδούς*, *vitam*, *ſalutem afferens*, coll. v. 33. LXX. Pſ. 41. 2. 119, 17. 40.) *ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ — εἰς τὸν αἰῶνα*, addit: *καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω — κόσμου ζωῆς*] *eſt vero etiam panis ille quem dabo*, *corpus meum quod pro ſalute hominum morti tradam.* Transiiſſe Ieſum ad nouam eiusdem imaginis illuſtrationem docent particulae *καὶ — δὲ verum — etiam*, quae alias quoque ſimili modo adhibentur, cf. Act. 3, 24. Ioh. 8, 16. 17. 15, 27. vbi vid. *Elſnerus.* Eo facilius autem ad eam imaginis illuſtrationem quae ſequitur transire potuit, cum *ἄρτος*, לֶחֶם, *cibus*, in lingua Arab. et Syr. لحم et ܒܣܪܐ etiam carnem, בשׂר, *σάρκα* notat. Verba *καὶ ὁ ἄρτος δὲ κ. τ. λ.* *Paulus* hunc in modum explanat: non eatenus tantum, quatenus coelitus ortus ſum (*καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ*), frui me oportet (non tantum mea doctrina, quam e coelis, in quibus antea verſatus ſum, attuli, ſuſcipienda eſt), ſed terreſtris quoque natura et vita mea (*σάρξ*), quam ſaluti hominum et iam nunc conſecro, et adhuc conſecrabo, alimenti inſtar, in vſum conuerti debet; exemplum, quod per omnem vitam agendo patiendoque praebeo, conſiderandum et imitationi proponendum eſt. Sed vt recte obſeruauit C. C. *Flattus* in Symbolar. ad illuſtranda grauiora quaedam Ieſu dicta in Eu. Ioh. P. 1. p. 14 ſs. durius ſic verbum *δώσω* non ad futurum modo, ſed praeſens etiam tempus refertur. Deinde vix Ieſus in ſequenti oratione, repetita vice formulis inuſitatis *φαγεῖν τὴν σάρκα*, *πίνειν τὸ αἷμα*, vſurus fuiſſet, quibus tantopere perturbarentur et offenderentur auditores, vt et ex ſectatoribus multi ab eo deſciſcerent v. 60. ſi nihil aliud quam hoc dicere voluiſſet, e vita mea terreſtri maxima in genus hu-

manum commoda redundant, meam vitam, exemplum meum imitamini. Vti autem potuit illis formulis, et reprehenſione caret haec eius loquendi ratio, ſic necem ſuam tam perſpicue praenuntiare h. l. voluit, vt poſt factum, certe nullus eorum, qui hanc orationem audiuerant, de ſententia illi ſubiicienda dubitare poſſet. Interpretationi a *Paulo* propoſitae, oppoſuit etiam *Flattus* l. c. haec: vniuerſa illa ſeiunctio Ieſu coeleſtis (*καταβαίνοντος ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ*) a Ieſu in his terris viuente (*σαρκικῷ*) *ad vim illius ſalutem hominibus impertiendi*, relata, a ſermonum Ieſu, maxime Iohanneorum indole, penitus abhorret. Qui enim ſe hominem ita cum Deo ſemper coniunctum eſſe (Ioh. 14, 10.) perhibuit, vt nihil omnino ſine numine ſibi nunquam non praeſente agat (8, 28.), quomodo humanam vitam, naturamque, a diuina vi ſibi inſita ſeparare potuit? — Interpretes quoque haud pauci hunc omnem locum inde a v. 51. de ſacra coena explicuerunt. Verum enimuero, vt appoſite iam monuerunt alii, orationis ſeries non permittit, vt verba Chriſti de ſacra coena explicentur, cum oratio ipſa manifeſte figurata ſit, et figura nitatur praecedente commemoratione cibi naturalis; praeterea tunc temporis ſacra coena nondum a Chriſto inſtituta erat, prorſus ergo obſcura et Apoſtolis et reliquis auditoribus haec ipſius oratio fuiſſet; quodſi etiam poſtea, cum Ieſus S. C. inſtituiſſet, eo ipſo clarior haec oratio diſcipulis reddita eſſet, ea tamen obſcura manſiſſet reliquis ipſius nunc temporis auditoribus, parum ergo apta haec Chriſti fuiſſet oratio, nec perſpici poſſet, quonam conſilio haec ille dixiſſet, quae h. l. leguntur. cf. omnino *Lampius* et *Schulzius* in *Anmerkk.* ad h. l. Contorta quoque, neque orationis ſeriei accommodata eſt eorum interpretatio, qui quae v. 51 ſqq. leguntur, de *omni doctrina Chriſti* (cuius pars praecipua, nempe doctrina de morte eius exempli loco propoſita ſit) *percipienda et in vſum conuertenda* intelligi volunt, vt Anonymus in *Eichhornii Allgem. Bibliothek der bibl. Literatur* B. 7. p. 1004 f. atque adeo *φαγεῖν τὴν σάρκα* et *πίνειν τὸ*

αἷμα explicant: *suscipere, admittere doctrinam Christi, ea vti.* Equidem eorum sententiae subscribo, qui statuunt, esse h. l. de ipsa Christi morte cogitandum, et verbis eius hunc sensum inesse: eatenus quoque ego animis vestris cibum et nutrimentum praebebo, quatenus moriar, necem meam in vsum quam maxime salutarem conuertite. Haec verborum interpretatio simplicitate sua sese commendat, atque orationis seriei est conuenientissima. Verba autem faciebat Iesus de morte sibi imminente, vt labefactaret discipulorum reliquorumque auditorum suorum praeconceptas opiniones de regno Messiano terreno, et vt sibi, cum ipse mortem subiisset, in memoriam reuocarent, quae praedixisset. Σὰρξ est id. qd. σῶμα, quo significatu etiam Hebr. בשׂר vsurpari solet, quod interpretes Alexandrini Gen. 17, 11. expresserunt vocabulo σὰρξ, sed Leuit. 15, 2. voc. σῶμα. Sermo autem est h. l. de *corpore*, quatenus morti traditur, et quidem hominum salutis caussa, nam sequitur ἣν ἐγὼ δώσω (scl. εἰς τὸν θάνατον) ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς, ergo σὰρξ s. σῶμα corpus morti traditum, quod sensum attinet, est mors Christi hominibus salutaris, quatenus est animi nutrimentum. Verba ἣν ἐγὼ δώσω in pluribus libris desunt, sed facile omitti potuerunt ob ὁμοιοτέλευτον, iis omissis oratio hiulca redditur, et alias quoque eadem formula in eodem commate, repetita vice legitur, vid. Ioh. 14, 27. etc.

52 — 54. ἐμάχοντο, *litigabant, inter se disceptabant,* Hebr. ריב, v. Gen. 31, 36. Neh. 13, 11. ibique τοὺς ό. Nihil difficultatis et obscuritatis obseruarant Iudaeorum proceres in eo, quod Iesus se suamque doctrinam panem comedendum dixerat; improprie haec intellexerant, comedere doctrinam, sibi explicuerant ea frui, eam admittere. Facile ergo perspicere poterant, ea quae modo dixisset de corpore suo comedendo, etiam improprie esse capienda, de morte ipsius hominibus salutari, comedere corpus morti traditum, significare, morte ipsius frui,

mortem ipfius in vfum falutarem conuertere. Sed cum Iefum contemnerent et repudiarent, neque Meffiam moriturum effe crederent, v. 12, 34. nonnulli, vt eum irriderent, verba eius premebant, ea proprie capiebant et plane abfurda pronuntiabant, alii fenfum quidem iis ineffe affirmabant, fed ea tanquam fatis arroganter dicta reiiciebant. Quare Iefus, qui probe videret, verba fua iis non effe obfcura, ea non vlterius explicabat, fed (vt fupra v. 44) quae dixerat, fortius repetebat. Poft τὴν σάρκα in quibusdam codd. e gloffemate additum legitur ἑαυτοῦ, quod pronomen etiam nonnullae verfiones antiquae exprimunt, fed nulla mutatione opus eft, articulus τὴν docet, de carne, corpore Chrifti fermonem effe. — 53. Vocabulum σὰρξ h. l. vt v. 51. corpus Chrifti morti traditum, omninoque mortem Chrifti ipfam defignat, et hoc eodem fenfu pofitum eft vocabulum αἷμα, quod alias quoque vt Hebr. דמים de morte violenta adhiberi folet, vid. *Vorftius* de Hebraism. N. T. p. 413 fs. et *Pfochenius* de ftilo N. T. p. 193 fs. Itaque quoad fenfum formulae φαγεῖν τὴν σάρκα et πίνειν τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ idem declarant, nempe: morte cruenta, quam Chriftus fubiit, vt nouam religionem folenniter fanciret et ftabiliret, vt remitterentur hominibus peccata, vid. Matth. 26, 28. 20, 28. non offendi, fed fructus mortis ipfius ad fe transferre et percipere, iisque excitari ad amorem in eum, ad imitationem exempli ipfius etc. vid. *Rofenmüllerus* ad h. l. οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς] *non poteftis felicitatem obtinere:* ἐν ἑαυτοῖς redundat, vt Matth. 13, 21. vbi v. not. Eadem fententia v. 54. affirmatiue repetitur. τρώγειν eft id. qd. φαγεῖν, vid. Matth. 24, 38. καὶ ἐγὼ *nempe* ego, vt fupra v. 40.

55. 56. Morte mea cruenta (σὰρξ καὶ αἷμα) praebeo animi nutrimentum veriffimum, e morte mea fructus vberrimi in genus humanum redundant v. 51. ἀληθῶς pofitum eft pro ἀληθής (quod nomen etiam in nonnullis li-

bris e gloſſemate legitur), vt 8, 31. *ἀληθῶς μαθηταί*. — 56. *ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ*] *is mihi coniunctus eſt, et ego illi* h. e. me amat, mea praecepta tenet, ego eum redamo; ei faueo, eum felicem reddo, coll. v. 54. 57. 58. extr. Conf. de vi et poteſtate formularum *in Deo, in Chriſto eſſe, manere*, Iohanni ſolennium, quae omnino notant cum Deo, cum Chriſto coniunctum eſſe, *Morus* Opuſcc. T. 1. p. 269 ſq. *Noeſſelti* Opuſcc. T. 2. p. 34.

57. 58. Iam Chriſtus finem orationi ſuae facturus, ea quae hactenus de doctrina et morte ſua dixerat reſpiciens, vnde et v. 57 ſimpliciter legitur ὁ τρώγων με, generatim affirmat, ſe eſſe cibum a Deo datum, ſe nutrimenta animi ſaluberrima praebere, omnesque qui iis vtantur perpetuo felices fore. *καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ κ. τ. λ.*] *quemadmodum pater, qui me miſit, ſalutem tribuere poteſt, ita et ego, auctore patre, ſalutem tribuere poſſum, quare qui me fruitur, per me felicitatem conſequetur.* Verba καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ poſita ſunt pro: καθὼς ὁ ἀποστείλας με πατὴρ ζῇ. Sed ὁ ζῶν πατὴρ eſt id. qd. ὁ ζωοποιῶν ſalutem tribuens i. e. qui habet vim et poteſtatem ſalutem tribuendi, vt loco ſimili 5, 21. legitur: ὁ πατὴρ ἐγείρει καὶ ζωοποιεῖ· hoc vero ſenſu h. l. verba ὁ ζῶν πατὴρ capienda eſſe, doceat quae ſequuntur verba κἀγὼ ζῶ quae aperte poſita ſunt pro κἀγὼ ζωοποιῶ ſalutem tribuo, habeo poteſtatem ſalutem tribuendi, coll. v. 51. 33. 48. *διὰ τὸν πατέρα, per patrem, auctore patre*, a patre conceſſam. cf. locus ſimilis 5, 26. 21. Praepoſitio ergo διά cauſſam efficientem notat, quem huius praepoſitionis vſum ſine idonea ratione negarunt *Paulus*, alii. Saepius enim hoc modo vſurpatur, vt ap. Diod. Sic. p. 152. B. *Rhod.* δι' Ἥραν ἔσχε κλέος, *per Iunonem nactus eſt gloriam.* Ariſtoph. Plut. v. 470. κἂν μὲν ἀποφήνω, μόνην Ἀγαθῶν ἁπάντων οὖσαν αἰτίαν ἐμὲ Ὑμῖν δι' ἐμέ τε ζῶντας ὑμᾶς, *vbi oſtendero me ſolum eſſe vobis bonorum omnium et vitae auctorem.* Exempla alia hanc in rem plura collegerunt

Albertius, *Münthius* ad h. l. et *Fischerus* Animaduu. ad Weller. Vol. 3. P. 2. p. 166. καὶ ὁ τρώγων με, *quare* (vid. ad Marc. 3, 22.) *qui me edit*, qui nutrimentis animi, quae ego praebeo, qui mea doctrina, et mea morte recte vtitur. ζήσεται δι᾽ ἐμὲ, *per me felicitatem consequetur*; v. 58. extr. legitur ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. Alii, vt *Morus*, *Rosenmüllerus*, locum interpretantur: Sicut pater ipse eſt beatus (Roſenmüllerus addit: et beatificus) et ego beatus ſum (et beatificus) per patrem, ita etiam, qui meam doctrinam amplectitur, beatus erit. *Filius eſt beatus per patrem* explicant: ſunt ei conſilia patris nota, eadem poteſt, quae pater poteſt, excitat mortuos, iudicat omnes et praemia distribuit; eſt eodem honore afficiendus quo pater. *Paulus* ita ſenſum conſtituit: ſicuti ego patris, Dei viui, veri, qui me miſit, mandatis perficiendis *vitam impendo* (ζῶ διὰ τὸν πατέρα propter eum, ex mandato illius), ſic is, qui hoc vitae meae terreſtris exemplum animo impreſſum imitatur, *mihi vitam conſecrabit* (vires in omni bono colendo propagandoque conſumet), ζήσεται δι᾽ ἐμὲ, *mihi viuet*; cui explicationi inprimis hoc obſtare recte monuit *Flattus* Symbolar. ad illuſtr. loca Euang. Ioh. P. 1. p. 18. quod verbo ζῆν apud Iohannem beatitatis notio potiſſimum contineatur. *Flattus* ipſe locum explanat: Sicut pater, qui me miſit, vim beatiſſime viuendi mecum communicat, ſic ego ei, qui me tanquam alimento animi fruitur, ſpiritum vere vitalem (qui mihi ipſi ineſt) impertiar. — 58. Cf. not. ad v. 32 ſq. Vocabulum μάννα, quod plures optimae notae codd. omittunt, gloſſema ſapit.

60 — 62. Habuit Ieſus hanc orationem in ſynagoga; quae proxime ſequuntur, poſt diſceſſum e ſynagoga dicta videntur. μαθηταὶ h. l. non ſunt Apoſtoli, ab his enim ii, quorum verba h. l. memorantur, v. 67. diſcernuntur, ſed alii ſectatores Chriſti, qui hanc eius orationem audiuerant, v. ad Matth. 5, 1. p. 130. 24, 1. p. 649. εἶπον i. e. ἐγόγγυζον, coll. v. 61. σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος — ἀκούειν; vulgo vertunt:

difficilis intellectu est haec oratio, quis eam intelligere (ἀκούειν Marc. 4, 33.) *potest?* Rectius tamen σκληρὸς explicatur: odiosus, auribus ingratus, molestus (v. *Kypkius* ad h. l.), qui offendit (v. 61, τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει;), vt sensus sit: quis talia sine molestia, offensione et indignatione audire, talia ferre et credere potest? Nempe λόγος id. qd. διδαχή referri debet ad ea quae Iesus de morte sua v. 51. 53 sqq. dixerat, quae etiam Iudaeis offensioni fuerant v. 52. Verba quidem Christi τρώγειν τὴν σάρκα, πίνειν τὸ αἷμα, discipuli illi intellexerant, sed vt ipsi Apostoli, quibus quoque Iesus saepius mortem suam praedixit, rem ipsam non perspiciebant, hoc magistri effatum componere non poterant cum praeconceptis opinionibus, quas de Messia fouebant, quem moriturum esse non credebant, vid. ad Matth. 16, 21. 17, 22. 20, 19. Luc. 9, 45. — 61. εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐν ἑαυτῷ — ὅπου ἦν τὸ πρότερον] *Iesus, intelligens, eos propterea indignari; hoccine, inquit, male vos habet? quid ergo si filium hominis (me) eo redeuntem videritis, vbi antea erat?* ἐν ἑαυτῷ ex Hebraismo redundat. V. 62. reticet affectus dicentis apodosin, supplendum est τί ἐρεῖτε; quid dicetis post meam ex his terris in coelum reditionem? num tunc mea porro vos offendet oratio? imo valedicetis tunc opinionibus vestris praeconceptis, quas de Messia fouetis, intelligetis vos in errore esse versatos. Hanc verborum interpretationem historia illorum temporum confirmat. ἐὰν θεωρεῖτε, *vbi cognoueritis*, ipsi videritis, aut ab aliis audiueritis, aliorum certo testimonio cognoueritis. ἀναβαίνοντα scl. εἰς τὸν οὐρανόν, v. 3, 13. 31. vbi v. not. add. *Oertelii Christologie* Th. 2. p. 537 ss. ὅπου ἦν τὸ πρότερον np. πρὸς τὸν Θεὸν 1, 1. 2. 17, 5. respicit τὸ καταβαίνειν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ v. 33. 38. 41. adeoque ἀναβαίνειν vertendum est, *in coelum redire*. ἦν scl. ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ego, natura mea coelestis, ὁ Λόγος. *Rosenmüllerus:* tribuit sibi Christus, quod τῷ Λόγῳ conuenit. Quidni? cum et animam et corpus soleamus seorsim appellare hominis vocabulo?

63. Haud pauci interpretes, cum antiquiores, vid. *Lampius* ad h. l., tum recentiores, vt *Boltenius*, Anonymus in *Eichhornii Allgem. Biblioth.* B. 7. p. 1008. verba huius verfus explicant: fenfus fubtilior (πνεῦμα) verborum meorum tantum iuuat, literalis, proprius (σὰρξ) nihil iuuat, ei non ineft vis vitalis; fermo meus eft allegoricus, fubtiliorem meorum verborum fenfum fpectare debetis, fi ex iis fructus percipere vultis. Sed haec verborum interpretatio vfu loquendi fcriptorum N. T. comprobari nequit. Aliis πνεῦμα eft cibus fpiritualis, pabulum animi, βρῶσις πνευματικὴ, μένουσα εἰς ζωὴν αἰώνιον, doctrina Chrifti, et σὰρξ cibus naturalis, qualis comeftio carnis Chrifti proprie dicta. Senfum ita fere definiunt: Nihil minus dicere volui, quam corpus meum a vobis manducandum effe, vt falute potiamini. Argumentum doctrinae meae tum vniverfae, tum nominatim eius, quam paulo ante propofui, de morte mea in vfum falutarem conuertenda, ita comparatum eft, vt vim animo percipiendam, ideoque vere falutarem contineat. Verum, vt iam ab aliis rectiffime monitum eft, fumitur tantum, neque ex orationis contextu probari poteft, illos Chrifti fectatores verba magiftri, φαγεῖν τὴν σάρκα, πίνειν τὸ αἷμα αὐτοῦ proprie cepiffe, putauiffe eum corpus fuum manducandum praebere voluiffe; imo ex omni eius oratione, poft tot dicta, e quibus pateret ἄρτον effe improprie capiendum, fponte et facile concludere poterant, etiam improprie effe dicta, quae de carne edenda, de fanguine bibendo memoraffet, vt adeo hac monitione non opus fuerit. Neque probare poffum *Pauli* (p. 324. 358.) fententiam, qui verbis Chrifti hunc fenfum fubftituit: quomodo vobis offenfioni effe poteft, quod vos admonuerim, velitis frui nutrimentis animi, quae ego quatenus de coelo defcendi, quatenus fum natura coeleftis, vobis praebeo v. 58. vbi in coelum rediero, tantum per id quod ego fpiritus, natura coeleftis, vobis relinquo, per doctrinam meam, τὰ ῥήματα, vos excitare potero, vt in omni bono colendo propagandoque vires

confumatis; tunc terreftri mea praefentia, vita mea terrena non amplius frui poteritis, doctrina a me, fpiritu qui de coelo defcendit, vobis tradita, eft τὸ πνευματικὸν, in animis veftris vim fuam vitalem exferet ζωὴ i. e. ζωοποιοῦν. At enimuero, vt alia, quae huic interpretationi obftant, mittamus, vid. v. 51. non legitur h. l. οὐκ ἔτι ὠφελεῖ οὐδὲν, fed fimpliciter οὐκ ὠφελεῖ οὐδὲν, non legitur ἡ σάρξ μου, nec intelligitur, quomodo vita terrena, nominatim exemplum Iefu, nullum poft mortem eius fructum habitura effe dici potuerint. Praeplacet igitur mihi eorum ratio, quibus πνεῦμα eft perfectior, fublimior fentiendi et ftatuendi ratio, quam doctrina Chrifti efficit; σὰρξ humilis, vilis fentiendi et ftatuendi ratio, qualis erat Iudaeorum, qui praeconceptas de Meffia, et bonis in regno ipfius exfpectandis opiniones fouebant, vt adeo fenfus fit: valedicere debetis opinionibus veftris praeiudicatis, nam fublimior tantum fentiendi et ftatuendi ac fperandi ratio (πνεῦμα) falutem affert; humilis, vilis ftatuendi ac fperandi ratio, Iudaica illa ratio (σὰρξ) nihil confert ad veram felicitatem adipifcendam, illam vero meliorem fentiendi ac ftatuendi rationem et veram felicitatem efficit atque largitur (ἐςὶ 12, 50.) mea doctrina. ζωὴ id. qd. ζωοποιοῦντα. Pro λαλῶ in libris haud paucis extat λελάληκα, quae lectio originem fuam debet grammaticis, qui verba: τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, vnice ad praecedentem orationem referrent.

64 — 66. Sed fcio effe inter vos nonnullos, qui praeconceptis opinionibus abrepti mihi fidem non habeant, meam doctrinam non admittant, qui me fequantur tantum vt terrena commoda adipifcantur v. 26. 27. Alii οἱ οὐ πιςεύουσιν explicant: qui iam definant me Meffiam habere, quoniam eorum votis non refpondeo. ᾔδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς, *nouerat enim ab initio* np. muneris fui publici, vid. 2, 24 fq. — 65. διὰ τοῦτο εἴρηκα ὑμῖν κ. τ. λ.] *propterea vobis dixi, neminem poffe meam doctrinam amplecti et pro-*

bare, vid. ad v. 37. 44. *nisi ei a patre fuerit* hoc beneficium *concessum* (ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ἑλκύσῃ αὐτὸν v. 44.). Ei autem pater concedit, quem per doctrinam eo adducit, vt eam amplectatur, et qui se adduci patitur ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς, καὶ μαθὼν v. 45. ἐκ positum est pro παρὰ vel ὑπὸ, vt Act. 5, 38. 39., de qua harum praepositionum permutatione vid. interpp. ad Herodo. 7, 175. *Sturzii* Lex. Xenoph. sub h. v. n. 15. *Fischeri* Animaduu. ad Weller. Vol. 3. P. 2. p. 118. ἐκ τούτου scl. χρόνου, *ab illo tempore*, vt 19, 12. de qua ellipsi perquam vitata vid. *Raphelius* Obss. Xenophh. ad h. l. *Bosius* de Ellipf. p. 546. ed. *Schaeferi.* — 66. πολλοὶ ἀπῆλθον — περιεπάτουν] *multi sectatorum eius eum deserebant, nec amplius sequebantur*, np. ob ea, quae Iesus de morte sua et discessu dixerat, quae cum opinionibus suis praeconceptis de Messia eiusque regno terreno conciliare non poterant. εἰς τὰ ὀπίσω scl. μέρη, vt Luc. 9, 62. Ioh. 18, 6. sed ἀπέρχεσθαι εἰς τὰ ὀπίσω, vt ὑπάγειν v. seq. et ὑπάγειν εἰς τὰ ὀπίσω, Matth. 4, 10. Ioh. l. c. est *discedere, deserere aliquem, deficere ab aliquo*; eadem formula defectionem notante vsi sunt Alexandrini interpretes Ps. 44, 24. Ies. 1, 4.

67 — 71. εἶπεν nempe, alio tempore. μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν; *num et vos abire*, a me deficere *vultis?* hanc iis proponebat Iesus interrogationem, vt eo magis confirmaret eos in agnita veritate, vt eos excitaret ad diligentiorem salutis considerationem, ne malum reliquorum exemplum imitarentur, et vt indicaret, se nolle discipulos nisi volentes. — 68. Petrus, vt erat ingenii feruidi, suo collegarumque nomine respondebat: *domine, ad quemnam* (τίνα scl. διδάσκαλον) *abeamus?* num ad veteres magistros redeamus, an alium magistrum quaeramus? Nequaquam; *cum tu doctrinam teneas, quae felicitatem perennem largiatur*; solum per tuam doctrinam via ad salutem aeternam pateat. — 69. καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν, καὶ ἐγνώκαμεν ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος] *nobis per-*

fuafiffimum eft, credimus et fcimus, certum ratumque habemus, *te effe Chriftum, Dei veri filium.* In aliis optimae notae libris legitur: ὅτι σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, omiffo verbo ζῶντος, quam lectionem, cum haec Iefu appellatio rarius in N. T. occurrat, rectiffime *Griesbachius* in textum recepit; vulgaris lectio e Matth. 16, 16., vbi vid. not. in hunc locum venit. Senfus idem manet, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ eft id. qd. ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, vid. not. ad Marc. 1, 24. Luc. 4, 34. Refpondebat Iefus v. 70. tu nimis praeclare fentis de cunctis fodalibus tuis, tu reliquorum tuorum condifcipulorum nomine haec profeffus es, attamen vnus veftrum eft malae indolis homo. Interrogatio: *nonne vos duodecim familiares, comitesque perpetuos mihi adiunxi?* affirmantis eft, ex Hebraismo. καί, *fed*, *tamen*, v. Index, et *Gatackerus* ad Antonin. 2, 7. διάβολός ἐστιν nonnulli vertunt: *eft Satanas*, h. e. *Satanae fimilis*, neque tamen extat N. T. locus, vbi nomen διάβολος hoc fenfu legatur. Sunt potius haec verba explicanda: *mihi infeftus eft.* Etenim in verfione Alexandrina διάβολος refpondet Hebraico vocabulo צר, quod *aduerfarium* indicat, v. Efth. 7, 4. 8, 1. add. 1 Macc. 1, 36. affirmabat autem Iefus, vt equidem arbitror, Iudam, cuius peruerfos mores optime pernofceret, v. Ioh. 12, 6. fibi effe infeftum, quatenus ille effet male indolis homo, non verus et genuinus Iefu fectator; fic μισεῖν τὸν Χριστὸν Ioh. 15, 23. 24. notat: doctrinam Chrifti repudiare, contra φιλεῖν τὸν Χριστὸν verum ipfius fectatorem, ita animatum effe, vt ipfius doctrina poftulat, Ioh. 16, 27. parum enim probabile eft, Iudam propterea nominatum effe διάβολον, quod, vt alii volunt, iam tunc temporis hoftilem in Iefum habuiffet animum, atque de eo prodendo cogitaffet. Dicebat autem haec Iefus, et Iudae nomen reticebat, vt confcientiam hominis tangeret, reliquorumque fidem confirmaret. De Iuda v. not. ad Matth. 26, 15. — 71. ἔλεγε δὲ τὸν Ἰούδαν — τῶν δώδεκα] *innuebat autem Iudam Simonis filium, Cariothenfem, qui quamquam in numerum duodecim receptus fuerat, eum tamen proditurus*

erat. λέγειν τινα pro περί τινος de aliquo verba facere, innuere aliquem, vid. *Kypkius* ad Ioh. 8, 27. Ἰσκαριώτην, vid. ad Matth. 10, 4. Pro Ἰσκαριώτην codd. BCGL. 33. Arm. Syr. p. al. habent Ἰσκαριώτου, quae lectio praeferenda videtur. Monuit etiam *Bengelius* vulgari lectioni Ἰσκαριώτην obſtare articulum, ſcribi debuiſſe Ἰούδαν Σίμωνος τὸν Ἰσκαριώτην, articulum enim poni inter nomen et cognomen, coll. Matth. 10, 4. Hac vero lectione admiſſa *Iſcariotae* cognomen habuerunt pater et filius.

CAPVT VII.

1. 2. καὶ περιεπάτει ὁ Ἰησοῦς μετὰ ταῦτα ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ] *Poſtea Ieſus (porro) in Galilaea verſabatur.* μετὰ ταῦτα in nonnullis libris omittitur, in aliis mutato ordine legitur: μετὰ ταῦτα περιεπ. ὁ Ἰησ., in aliis pro μετὰ ταῦτα extat μετ' αὐτῶν, etiam particula καὶ in haud paucis libris deeſt; quae quidem ſcripturae varietas ſat luculenter docere videtur, verba καὶ — μετὰ ταῦτα a grammaticis fuiſſe adiecta, atque ſimpliciter legendum eſſe: περιεπάτει ὁ Ἰησ. ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ. Verbum autem περιπατεῖν, *verſari*, ita h. l. poſitum extat, vt continuationem indicet, de quo vſu loquendi v. *Glaſſius* in Philol. S. p. 193. ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ vid. ad. Matth. 4, 12. p. 120 extr. οἱ Ἰουδαῖοι, Iudaeorum proceres, ſynedri, vt v. 11. coll. v. 26. 32. — 2. ἡ σκηνοπηγία, *feſtum tabernaculorum*, de quo inſignis locus eſt Ioſeph. Ant. 3, 10, 4 ſq. vid. *Krebſius* ad h. l. et not. ad 5, 1. Infra v. 37.

3. *Monuerunt igitur eum fratres ipſius ita: migra hinc et confer te in Iudaeam, vt et illic tui ſectatores tua inſignia facta videant.* οἱ ἀδελφοὶ, vid. ad Matth. 12, 46. *Ruſius*, *Lampius*, *Schuſterus* in *Eichhornii Allgem. Biblioth.* B. 10. p. 791 ſs. alii, arbitrantur, Ieſu fratres eum neu-

tiquam prophetam aut Meſſiam habuiſſe, eos conata ipſius ab initio inde grauiter improbaſſe, eumque ab incepto, fruſtra tamen, dehortatos eſſe, quare tandem eos decreviſſe, nullum amplius cum eo commercium habere, ne per eum omnibus exoſi redditi, ipſi quoque vna cum eo ſupplicio traderentur; hinc vt ab eo liberarentur ſatis veteratorie et malitioſe dediſſe ei conſilium in Iudaeam abeundi. Qui vero hanc ſententiam defendunt, ſtatuere debent, Ieſu fratres nil audiuiſſe de iis, quae in natiuitate ipſius euenerunt, nil de Iohannis teſtimonio, aut narrationibus illis fidem denegaſſe, eos inſignia Chriſti facta non vidiſſe, aut cum Phariſaeis ſuſpicatos eſſe, eum ope principis geniorum malorum miracula patrare; quae quidem omnia parum probabilia ſunt, nec idoneis argumentis confirmari poſſunt. Arbitror potius Ieſu fratres, eum quidem prophetam, neque tamen Meſſiam habuiſſe, eiusque doctrinam parum curaſſe (vnde v. 5. legitur οὐκ ἐπίϛευον εἰς αὐτόν·), vt illi, quorum peruerſa ſentiendi ratio 6, 26. 64. notatur, eos temere ſibi perſuaſiſſe Ieſum terrenos honores ambire, adeoque per eum inclareſcere et externa commoda adipiſci cupiuiſſe; eos igitur hanc ipſam ob cauſſam, cum audiuiſſent, multos diſcipulorum a Ieſu defeciſſe 6, 66. ei in Iudaeam abeundi conſilium dediſſe, vt quos ibi ſectatores ſibi conciliaſſet, in officio contineret v. 3. et in metropoli, cum tempore feſti annui Iudaei magno numero ibi confluerent, plures ſectatores nanciſceretur.

4. οὐδεὶς γάρ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ, καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι] *nemo enim, qui inclareſcere cupit, in occulto res magnas perficit.* Inuerſo ordine verba collocata ſunt. Quam in rem exempla alia attulit *Glaſſius* Phil. Sacr. p. 664. τὶ haud rarenter notat, *magnum quid, eximium quid*, vid. *Schleuſneri* Lex. ſub v. τὶς n. 12. ἐν κρυπτῷ, *in loco occulto, clam*, cui formulae alias opponitur ἐν φανερῷ, *palam*, ut v. 10. Matth. 6, 6., h. l. ἐν παῤῥησίᾳ, quae

pofterior formula v. extr. illuftratur vocabulo κόσμος. Itaque ἐν παῤῥησίᾳ eft, *publice, in confpectu omnium*, vt 11, 54. Col. 2, 15. et ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι notat, *in confpectu omnium verfari*, hinc *inclarefcere*, *in ore omnium verfari, famam nominis acquirere, celebrari*, vid. *Abrefchius* in Annotatt. p. 599. καὶ ex Hebraismo pofitum eft pro ὅς, v. *Palairetus* Obff. p. 239. et nos ad Marc. 2, 15. αὐτὸς autem redundat. Iam vero fenfus eft: nemini, qui famae ftudio tenetur, qui inclarefcere cupit, latendum eft, fed in publicam lucem prodire debet; ergo nec tibi in hoc obfcuro et ignobili angulo, in hac regione infignia facta edenda funt, fed relictis Galilaeae latebris (vid. ad Matth. 4, 12) caput Palaeftinae adeundum eft. εἰ ταῦτα ποιεῖς, φανέρωσον σεαυτὸν τῷ κόσμῳ] *cum tu talia infignia facta edas* (f. *edere poffis*), *oftende te populo*, his diebus feftis, qui inftant Hierofolymis congregato. ὁ κόσμος id. qd. ὁ ὄχλος, vt Ioh. 12, 19. εἰ non fignificat *fi*, fciebant enim eum miracula patraffe, et procul dubio fpectatores quoque miraculorum Chrifti fuerant, etiam v. 3. fimpliciter legitur: ἵνα θεωρήσωσι τὰ ἔργα σου ἃ ποιεῖς, fed in ratiocinando maxime adhibetur, vbi aliquid tanquam certum fumitur, atque notat *cum*, vt Matth. 22, 45., vbi v. not.

6. 7. ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν] *nondum mihi adeft tempus opportunum*, nempe, proficifcendi Hierofolymam. Erant tunc temporis omnes viae oppletae hominibus Hierofolymam ad feftum concelebrandum proficifcentibus, nolebat ergo Iefus in illorum hominum nouarum rerum cupidorum comitatu proficifci, ne comitatus frequentia affectati regni fpeciem praeberet, et concitatos in fe aduerfariorum animos magis accenderet. Etiam eam ob cauffam ferius, non ante feftum ipfum Hierofolymam proficifci volebat, quoniam fic eo tutior erat a fynedrorum infidiis, coll. v. 1. 11. aduenerant enim tunc iam omnes Galilaei et hos magis metuebant fynedri quam Hierofolymitanos, vid. ad Matth. 26, 5. 27, 15. καιρός, *tempus op-*

portunum, hinc apophthegma Pittaci ap. Laërt. 1, 79. *καιρὸν γνῶθι*, vbi v. *Menagius*; cf. et Gal. 6, 10. Eph. 5, 16. not. ad Matth. 8, 29. Male ac perperam alii voc. *καιρὸς* intelligunt de tempore mortis Chrifti; cui interpretationi vltima verfus verba repugnant. *ὁ δὲ καιρὸς ὁ ὑμέτερος πάντοτέ ἐστιν ἕτοιμος*] *vobis vero femper adeft tempus opportunum*, nihil refert, quo tempore vos abeatis, vos eftis obfcuri, nihil vobis periculi imminet. — 7. *οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς*] *vos odio improborum non eftis obnoxii*, ab iis vobis non infidiae ftruentur; nam vos *οὐ μαρτυρεῖτε περὶ τοῦ κόσμου, ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρά ἐστιν*, vos non eorum vitia et mores peruerfos notatis et caftigatis, vt ego. *ὁ κόσμος*, *homines peruerfi*, intelliguntur inprimis primores populi, coll. v. 1. 11. *δύναται* redundat, vid. ad Marc. 6, 5. *μαρτυρεῖν*, *publice docere*, v. 1, 7. h. l. *publice notare*, *caftigare*.

8. 9. *ὑμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην· ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω — πεπλήρωται*] *vos proficifcamini ad hoc feftum concelebrandum*, *ego nondum proficifcar*, *nondum enim mihi tempus opportunum adeft*. *ἀνάβητε* vid. ad Matth. 20, 17. *ταύτην* primo loco pofitum, a pluribus codd. abeft; adiectum videtur a grammaticis, cum fequatur *ἑορτὴν ταύτην*. Pro *οὔπω ἀναβαίνω* DK. Copt. (non Sahid.) Aeth. Perff. Slau. Sax. Vulg. It. (exc. brix. germ.) Epiphan. Cyrill. Chryfoft. (etiam in Mt. 5. codd.) Hier. Auguftin. Auct. quaeft. ex N. T. habent *οὐκ*, et fatis antiquam hanc lectionem effe, etiam inde patet, quod ita quoque legit Porphyrius, qui inde occafionem captauit Chriftum leuitatis et inconftantiae accufandi, cum recufauerit primo adire Hierofolymam, et tamen eo fefti cauffa profectus fit. vid. Hieronymus Lib. 2. adu. Pelagianos Opp. T. 2. p. 194. ed. Francof. et Lipf. 1684. Genuina igitur lectio, vtpote fatis antiqua et difficilior, quam etiam probarunt *Grotius*, *Millius*, alii, quos laudauit *Wolfius* ad h. l. et *Griesbachius* in ordinem recepit, eft *οὐκ*, altera lectio *οὔπω*, gloffema redolet. Po-

fitum autem eft οὐκ h. l. vt faepius, pro οὔπω, *nondum;* vt Efdr. 3, 6. ὁ οἶκος τοῦ κυρίου οὐκ ἐθεμελιώθη cf. not. ad Marc. 11, 13. et *Heinfii* Exercitt. Sacr. ad 1 Tim. 1, 15. Ita vero h. l. particulam οὐκ capiendam effe, vel docere poffunt verba fequentia: ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πεπλήρωται, et verba v. 6. ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστι. Aliam viam ingreffus eft *Storrius* Opufcc. T. 3. p. 244. ille nimirum vrgendum effe putat tempus praefens ἀναβαίνω, quod vertit: *non adfcendo in praefenti, nunc.* Pro ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς in aliis libris legitur: ὁ ἐμὸς καιρὸς, quae lectio verior videtur, facile enim fieri potuit, vt librarii e v. 6. lectionem mutarint. ἔμεινεν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, in Galilaea aliquamdiu remanfit.

10. 11. *αὐτὸς ἀνέβη εἰς τὴν ἑορτὴν οὐ φανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ] ipfe fe in viam dedit ad concelebrandum feftum, non quidem palam, fed occultius.* οὐ φανερῶς, ἐν κρυπτῷ fine populi comitatu, per deuia itinera petiit Hierofolymam. ὡς nonnulli vertunt *quafi*, alii redundare putant, videtur refpondere Hebr. כ veritatis, adeoque reddendum effe, *reuera, omnino occulte, ganz im geheim,* v. ad Ioh. 1, 14. — 11. οἱ Ἰουδαῖοι ἐζήτουν αὐτὸν, *fynedri eum quaerebant*, vt eum e medio tollerent, coll. v. 1. 25. ζητοῦντες ἀποκτεῖναι, ipfi fcifcitabantur vbi effet, et per apparitores eum requirebant v. 32. Ἰουδαῖοι funt primores populi, fynedri, nam opponuntur v. 12. τοῖς ὄχλοις. ἐκεῖνος, *ille*, famofus; contemtim vt Matth. 27, 63.

12. 13. *καὶ γογγυσμὸς πολὺς περὶ αὐτοῦ ἦν ἐν τοῖς ὄχλοις] multa fuit de eo disputatio in populo.* Orta eft disceptatio, vt videtur, quoniam praeter morem non venerat ad feftum celebrandum, contemnere videbatur pluribus folennitatem publicam. οἱ μὲν — ἐστιν, alii eum defendentes, quod non adeffet, eum non in numerum falforum doctorum referendum effe, fed *praeftantiffimum doctorem dicebant.* ἀγαθὸς, *perfectus, praeftantiffimus*, vt Matth. 19, 17. Iudith. 11, 8. Alii ἀγαθὸς vertunt: *vir probus,*

fraudis et doli expers, v. LXX. 1 Sam. 29, 6. 9. Prou. 14, 14. *ἄλλοι δὲ*, *alii*, qui cum fynedris, cum Pharifaeis et facerdotibus v. 32. faciebant, *negabant*, *eumque impoftorem populi*, *doctorem falfum nominabant.* Particulam *δὲ* plurimi libri omittunt, videtur adfcripta effe a grammaticis, cum particulam *μὲν* plerumque fequi foleat *δὲ*, fed nonnunquam *μὲν* etiam fimpliciter ponitur, ita, vt non fequatur *δὲ*, vid. *Reusmanus* ad Deuarium de Particc. Grr. p. 105. *Fifcherus* ad Welleri Gramm. Vol. 3. P. 2. p. 90.— 13. *οὐδεὶς μέντοι*, *nemo tamen*, nempe e melius fentientibus, Iefu fauentibus. *παῤῥησίᾳ ἐλάλει περὶ αὐτοῦ*, *libere de eo iudicium ferebat*, cauffam eius agebat, metuebant hi primorum populi inuidiam et infidias, cum viderent eos Iefu infidias ftruere, et carcerem minari. *παῤῥησίᾳ* fcl. *ἐν*, vt v. 26. Marc. 8, 32. al. vid. *Bofius* de Ellipf. p. 703 fq. ed. *Schaef.* *περὶ αὐτοῦ*, *de eo* f. *in commodum ipfius*, vt *περὶ* vim habeat praepofitionis *ὑπὲρ*, de quo vfu loquendi vid. Schleufneri Lex. fub v. *περὶ* n. 5. et nos ad Matth. 26, 28.

14. 15. *τῆς ἑορτῆς μεσούσης*, *inter medios dies feftos*, tertio vel quarto die fefti tabernaculorum, cuius primus dies et feptimus erant folennes. *μεσούσης*, Exod. 34, 22. *μεσοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ*. Thucyd. 5, 57. *τοῦ θέρους μεσοῦντος*. Alias formulas fimiles vid. ap. *Raphelium* Obff. Herodo. p. 289. add. *Sturzii* Lex. Xenoph. fub v. *μεσοῦν*. *ἀνέβη εἰς τὸ ἱερὸν*, *καὶ ἐδίδασκε*] *adiit conclaue templi f.* fynagogam quandam in conclaui quodam templi, v. ad Luc. 2, 46. literas facras interpretatus eft et docuit, vid. ad Luc. 4, 16. 21. haud improbabilis eft nonnullorum interpretum coniectura, die fabbati Iefum docuiffe, die enim fabbati frequentior erat prae caeteris medii fefti diebus auditorum numerus, et opportunus de fabbato fermo, coll. v. 22.— 15. *καὶ ἐθαύμαζον κ. τ. λ.*] non poterant non admirari Iefum Iudaeorum magiftri, Pharifaei v. 32. fynedri eum audientes, fed inuidia ducti, in hanc erumpebant vocem: vn-

de huic, qui fcholas noftras non frequentauit, tanta literarum facrarum fcientia? et vel ideo ei non fidem habendam, fed falfam ipfius doctrinam effe, indicabant. Pro καὶ ἐθαύμαζον in aliis libris extat ἐθαύμαζον οὖν, quae lectionis varietas grammaticis et librariis originem fuam debere videtur, quorum auribus repetitio particulae καὶ ingrata effet; omitti etiam potuit a librariis ob praecedens κε, atque hinc a grammaticis addi οὖν, vt arctius copularent v. 15. cum praeced., quo concinnior oratio exifteret. γράμματα funt *literae facrae*, *libri Iudaeorum facri*, Iofeph. Ant. 13, 5. 8. διὰ τὸ ἐκ τῶν ἱερῶν ἡμῶν πεπεῖσθαι γραμμάτων. c. Apion. 1, 8. δῆλον δ' ἐστὶν ἔργοις πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν. add. 5. 47. 2 Tim. 3, 15. verbis igitur γράμματα οἶδε indicatur literarum facrarum cognitio, eas interpretandi peritia. *Heumanus* tamen, *Kypkius*, *Wetftenius*, per γράμματα intelligunt *doctrinam*, praecipue *eruditionem Iudaicam*, quae inprimis Scripturae facrae cognitione et interpretatione nitebatur, vertunt: *vnde huic eruditio*, ita autem verba intelligenda putant, quod non additus fit vocabulo γράμματα articulus, (fed Iohannem in articuli vfu negligentiorem effe conftat,) et ob locum Act. 26, 24., qui tamen ἀπροςδιόνυσος eft.

16—18. ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμὴ, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με] *doctrina, quam trado, non mea eft, fed eius, qui me mifit.* Verum eft, inquit Iefus, veftras fcholas non frequentaui, non vobis magiftris vfus fum, neque tamen propterea mea doctrina falfa eft, non eft a me efficta et excogitata, non meo ipfius arbitrio, nec quicquam doceo, quod voluntati diuinae repugnet, fum legatus diuinus, mea doctrina non eft humana, fed diuina, οὐκ ἀπ' ἐμαυτοῦ λαλῶ, v. 18. extr. add. 14', 24. Poft ἀπεκρίθη plures codd. addunt οὖν, quam particulam etiam *Griesbachius* et *Matthaeius* in textum receperunt. — 17. ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν κ. τ. λ.] *quodfi quis huius voluntatem exfequi velit, is, quod hanc doctrinam attinet, facile cogno-*

scet, vtrum ea a Deo profecta sit, an mea auctoritate doceam. Affirmauerat Iesus v. 16., suam doctrinam esse diuinam. Iam duo hanc in rem argumenta affert, alterum *internum* ex ipsius doctrinae indole et praestantia petitum v. 17., alterum *externum*, suam ipsius agendi rationem, quae doceat, se non suae, sed Dei tantum gloriae prospicere v. 18. ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, qui ita animatus est, vt cuicunque Dei voluntati sibi patefactae, etsi ipsius cupiditatibus prauis repugnet (3, 19.), promte atque lubenter (θέλῃ, vid. ad 7, 17.) obsequatur, qui habet ἀγάπην τοῦ θεοῦ 5, 42. γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, *vsu et experientia cognoscet*, hanc (τῆς pro ταύτης) meam doctrinam, animos hominum emendantem, tranquillantem, et spe laetissima replentem, esse humana inuentione et sapientia superiorem; hanc doctrinam discendo, examinando, vita factisque exprimendo, facile cognoscet Deum auctorem habere. ἢ ἐγὼ ἀπ' ἐμαυτοῦ λαλῶ, an meo ingenio et arbitrio obsequar, mea inuenta, ea quae diuinae voluntati non conueniunt, doceam. 5, 43. ἐν τῷ ὀνόματι ἰδίῳ, an mihi doctoris diuini auctoritatem arrogem v. 28. an sim doctor falsus. — 18. ὁ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλῶν, τὴν δόξαν κ. τ. λ.] *qui proprio arbitrio*, a semet ipso excogitata, diuinae voluntati contraria *docet*, vt falsi doctores, *suae ipsius gloriae studet*, commoda externa spectat, ex hominum fauore pendet, *qui vero gloriae illius studet, qui ipsum misit*, qui Dei gloriae et voluntati inter homines declarandae et promouendae docendo agendoque consulit, *is fide dignus, et ab omni fraude alienus est.* ἀληθής, *verus doctor, fide dignus* 5, 31. καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστι, *fallere nescius, non impostor*, ἀδικία, *fraus, mendacium*, vid. ad Luc. 16, 9. — Aliter exposuit hunc locum *Schottus* in Diss. de locis quibusdam Eu. Iohannei, Lips. 1808. 4. p. 21 ss. is nimirum arbitratur, non continere hunc locum argumentum diuinae originis doctrinae Christi, quod ipsa huius doctrinae vis interna, praestantia atque efficacia suppeditet, sed Christum legationis suae diuinae, atque originis doctrinae suae coe-

lestis criterium commemorasse inde depromtum, quod minime suo honori, sed Dei tantum gloriae atque voluntati consulat. Formulam ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, quae vniversam obsequii voluntati diuinae praestandi notionem complectatur, plane respondere statuit verbis v. 18. τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ ζητεῖν, et v. 17. cum 18. ita copulat, vt inferat particulam caussalem: *etenim*, qui sua auctoritate docet etc. atque sensum ita constituit: Qui promtus paratusque est ad Dei voluntatem colendam, consiliisque diuinis se totum accommodat, Dei gloriae et honori quouis pacto consulens, eum profecto latere non potest sensus vere coelestis ac diuinus, qui animo inhaeret alius cuiusdam hominis, eodem ingenio gaudentis, ad Dei voluntatem omnia referentis, eiusdemque gloriam curantis. Ita fiet, vt eiusmodi homo optime sentiat, quo iure religionis doctor, qui tum sermonibus, tum factis, minime suo studeat honori, sed Dei gloriae quouis modo consulat, doctorem diuinum se appellet. Quae tamen interpretatio nimis quaesita videtur. Iesum h. l. vsum esse argumento interno ad confirmandam diuinam doctrinae suae originem et auctoritatem, negat quoque *Weberus* in libello inscripto: *Interpretatio iudicii, quod Iesus Ioh.* 7, 14 — 18. *de sua ipsius doctrina tulisse legitur*, Viteb. 1797. 4. Formulam ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ explicat de obsequio doctrinae christianae praestando, *suscipere religionem christianam*, *Christi cultorem esse*, Matth. 12, 50. atque Christum docuisse statuit: nonnisi eos ad diuinam doctrinae Christi originem atque auctoritatem cognoscendam esse satis idoneos, qui credere velint, qui bona voluntate gaudeant ad verum cognoscendum probandumque necessaria, qui dociles sint, opinionibus temere captis et prauis cupiditatibus non irretiti, veri et honesti amantes. Sed vt iam *Schottus* l. c. bene contra monuit, in omni orationis serie nihil apparet, quod nos iubeat formulam ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, terminis angustioribus conscribere, conf. etiam *Gableri neuest. theol. Journal* B. 1. p. 393 sqq.

19. 20. Nouam fententiam v. 19. inchoari, fequentia docent. Iohannes et h. l. omifit ea, quae orationi fequenti occafionem dederunt; ex ipfa autem Chrifti oratione facile perfpicitur, fynedros praefentes, in quorum animis haeferat memoria fanationis aegroti die fabbati peractae, de qua fermo eft 5, 1 fqq. 18. obieciffe ei illam violationem fabbati. Iefus ergo eos ita alloquebatur: οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον κ. τ. λ.] *nonne Mofes vobis legem dedit, cui nemo veftrum paret? cur meam necem molimini?* v. 11. 25. coll. 5, 18. *Storrius* Opufcc. T. 3. p. 139. his verbis fubftituit fenfum hunc: Mofes vobis legem dedit, fed vos eam non obferuatis, nam ea amorem ante omnia inculcat, vos vero me propter beneficium, quamuis fabbato datum, interficere conamini. Plerique interpretes ea hunc in modum interpretantur: Mofes vobis legem dedit, fed vos eam non obferuatis, nam ea infontem interficere vetat, vos vero me infontem, optime de vobis meritum, interficere conamini. Verum in fequentibus Iefus defendit fanationem die fabbati nuper peractam, et affirmat, Iudaeos ipfos religionem fabbati violare, per legem igitur v. 19. memoratam, haud dubie intelligi debet lex Mofaica de fabbato celebrando, atque adeo fenfus verborum eft: vos ipfi legem, quam vobis Mofes de fabbato celebrando dedit, fine vlla dubitatione negligitis, cur ergo me, quafi legis violatorem occidendum cenfetis? — 20. Cum Iefus dixiffet, vitae fuae infidias ftrui, eum nonnulli fectatorum et admiratorum ipfius interpellabant verbis his: *infanis, qui tibi necem parat?* Iudaei Hierofolymitani fciebant fynedros Iefu infidias ftruere, vid. v. 25. 31. 13. homines igitur illi de plebe, qui h. l. loquentes inducuntur, e ditione Herodis fuiffe videntur, iis non credibile erat, quemquam effe, qui Iefu necem moliatur, hinc mirabundi dicebant: quis te interficere audeat? δαιμόνιον ἔχειν eft id. qd. μαίνεσθαι, vid. 10, 20. ad Matth. 4, 24.

21. ἓν ἔργον ἐποίησα] *vnum insigne factum edidi*, nempe die fabbati, in hac vrbe. Refpicitur fanatio aegroti cap. 5, 1 fq. memorata, quam ei exprobrarant fynedri. Pro ἓν ἔργον, *Paulus*, quo fuam infignis illius facti a Iefu editi interpretationem confirmaret, vid. not. ad 5, 1. legendum coniecit ἐνεργὸν, vertit: hominem defidiae deditum, *actuofum, ftrenuum* reddidi: Cui tamen coniecturae omnium codicum auctoritas aduerfatur, et repugnant ea, quae v. 20. leguntur, neque fic abeffe poffet pronomen τινά. καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τοῦτο] *de quo vos omnes* (alloquitur fynedros) *indignamini*. διὰ τοῦτο coniungendum effe cum θαυμάζετε, iam Theophylactus vidit, eumque recte fecuti funt cum veterum, tum recentiorum interpretum plurimi. v. *Wolfius* in Curis, et *Köcherus* in Analectis ad h. l. Ita enim nexus exiftit orationis accuratior, et fenfus luculentior; neque infolens eft (vt nonnulli putarunt), haec verbi θαυμάζειν conftructio, vid. Marc. 6, 6. Apoc. 17, 7. Ael. H. V. 12, 6. αὐτὸν δὲ θαυμάζομεν διὰ τὰ ἔργα, cf. etiam *Elfnerus* et *Kypkius* ad h. l. Explicatur autem θαυμάζειν v. 23. verbo χολᾶν, atque adeo notat, *indignari, fuccenfere, offendi*, vt Marc. l. c., vbi v. not. Sir. 11, 21. μὴ θαύμαζε ἐν ἔργοις ἁμαρτωλοῦ. Xen. Anab. 6, 2. 3. θαυμάζω τῶν ϛρατηγῶν, ὅτι οὐ πειρῶνται.

22. Iam ex conceffis Iefus difputat, et v. 19. dicta apertius explanat. Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομὴν κ. τ. λ.] *Mofes vobis praefcripfit circumcifionem*, v. Ex. 12, 44. Leuit. 12, 3. (*non quod ea fit a Mofe, fed a maioribus originem ducit*) οὐχ ὅτι fubaudiendum λέγω, vt plena formula fit: οὐ λέγω ὅτι, v. *Schaeferus* ad *L. Bof.* de Ellipf. p. 775. Solebant Iudaei in omnibus ad Mofen prouocare. Mens ergo Chrifti haec eft: dum dixi, Mofes praefcripfit circumcifionem, fecutus fum vfum loquendi communem, fed non a Mofe primum eft inftituta circumcifio, diu ante legem latam, iam patrum, Abrahami, Ifaaci, Iacobi tempore in vfu fuit, v. Gen. 17, 10. 21, 4. repetiit tantum

Mofes illam legem de circumcifione. Bene *Bengelius* in Gnom. „amplificatur hoc incifo dignitas circumcifionis refpectu fabbati, quo illa fit antiquior, adeoque potior." *καὶ ἐν σαββάτῳ περιτέμνετε ἄνθρωπον*] *quare* (vid. ad Marc. 3, 22.) *et die fabbati circumcidilis pueros*, cum octavus a natiuitate dies in fabbatum incidit, neque videmini vobis violare fabbatum, ob circumcifionis dignitatem. Tanchuma fol. 9, 2. *Periculum vitae pellit fabbatum, circumcifio etiam, atque eius fanatio.* *ἄνθρωπος*, *puer*, Ioh. 16, 21. Herodi. 1, 5. 14. 15.

23. *λύειν*, *violare*, *negligere legem*, vid. ad Matth. 5, 17. *Raphelius* Obff. Polybb. p. 275. *ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως* explicant: ne violetur, vt falua fit lex de circumcifione octauo die inftituenda. Mallem tamen intelligere legem de fabbato celebrando, de cuius violatione in antegreffis fermo erat, coll. v. 19. vt adeo *ἵνα* fit id. qd. *ὥςε*, *ita vt non* violetur lex de fabbato; fic *ἵνα μὴ* legitur quoque Luc. 9, 45. Ioh. 5, 20. *χολᾷν*, *fuccenfere alicui*, vt omnis velut bilis et fel in eum euomatur. Ariftoph. Nubb. v. 830. Scholiaft. ad Ariftoph. Plur. v. 12. *χολᾷν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τὸ μαίνεσθαι, παρὰ δὲ τοῖς κοινοῖς τὸ θυμοῦσθαι.* Etiam Latini *fel* de ira acerbiffima ponere folent, v. Plautus Trucul. 1, 2. 77. *ὅλος ἄνθρωπος* hominis corpus opponitur parti, quae circumciditur. Tanchuma fol. 244. 1. *Circumcifio, quae eft vnius ex 248. membris hominis, pellit fabbatum, quanto magis totum corpus hominis.* Ad circumcifionem varia requirebantur minifteria, et adhibebatur medicina, ne forte vulnus homini mortem inferret; tribuebant etiam Iudaei circumcifioni ipfi vim medicam et falutarem, v. Philo de Circumcif. p. 610. ed. *Mang.* *Michaelis Mof. Recht* Th. 4. §. 186. eiusd. *Oriental. Biblioth.* Th. 17. p. 5 fs. recte igitur Iefus fanationem die fabbati peractam cum circumcifione comparare potuit. Argumentatus autem eft hunc in modum: cum die fabbati liceat puerum circumcidere, et multa peragere, ne forte vulnus cir-

cumcifionis mortem infanti inferat, quanto magis licet, hominem, toto corpore aegrum, fanare? — 24. *Nolite iudicare externam fpeciem fecuti*, κατὰ ὄψιν, rem diiudicare, vt fe primum videnti offert, atque adeo temere iudicare, iudicium ferre fuperficiarium. v. Ief. 11, 3. Thucyd. 6, 46. et *Kypkius* ad h. l. debetis potius accuratius in rem inquirere: vt *iudicium rei veritati conueniens ferre poffitis*, fic intelligetis praeceptum de celebrando fabbato exceptiones habere, meque omnino die fabbati fanare poffe. δικαίαν κρίσις, *iudicium verum*, de quo vocabuli δίκαιος fignificatu vid. not. ad Luc. 16. 9.

25. 26. Nonnulli e ciuibus Hierofolymitanis, qui modo in templum venerant, cum Iefum audirent docentem praefentibus neque ei contradicentibus fynedris, quos tamen refciuiffent Iefu mortem intentare; mirabundi dicebant v. 25. *nonne ifte eft, quem occidere volunt?* et in eam incidebant cogitationem, fynedros Iefum, Meffiam agnoviffe v. 26. ipfi tamen ftatim declarabant, hanc cogitationem effe inanem, cum Iefus non effe poffit Meffias v. 27. παῤῥησίᾳ (fcl. ἐν, vid. v. 13.) λαλεῖ, *libere et palam docet.* ἀληθῶς, *certis indiciis*, vt 17, 8. ἀληθῶς fecundo loco pofitum plurimi diuerfarum familiarum codd. etiam verff. et patrr. omittunt, et videtur adiectum effe a grammaticis, quoniam frequenter haec vox a Iohanne adhibetur, cum de Chrifto fermo eft, vt 6, 14. 4, 42. 7, 40. add. Matth. 14, 33. 27, 54. Marc. 15, 39. hinc et *Griesbachius* eam h. l. ex ordine eiiciendam cenfuit.

27. ἀλλὰ τοῦτον οἴδαμεν πόθεν ἐστίν· κ. τ. λ.] *at enimuero vnde hic fit, fcimus, Meffias autem cum venerit, nemo fciet, vnde fit?* τοῦτον — πόθεν ἐστίν· eodem modo fcriptores Graecos accufatiuum ponere folere, vbi nominatiuus poni debuiffet, comprobauit ad h. l. *Kypkius*. Adverbium πόθεν *Lightfootus*, *Rufius*, *Wetftenius*, *Bengelius* in *Flatti Magazin für bibl. Dogm. u. Moral St.* 7. p. 171. alii, explicandum effe cenfent de loco, vbi Iefus, ante-

quam doctor prodiiſſet, commoratus eſſet; obſeruant Iudaeos duplicem manifeſtationem ſ. aduentum Meſſiae ſtatuiſſe, de primo eius aduentu v. 42. ſermonem eſſe, de ſecundo aduentu h. l. R. Bechai fol. 68. 2. *Redemtor ſe manifeſtabit, et poſtea occultabit. Ita factum in redemtione ex Aegypto; Moſes ſe illis manifeſtauit, et iterum ſe occultauit. Hoc eſt, quod Rabbini dixerunt ad Exod. 5, 20. Ita redemtio futura in multis redemtioni ex Aegypto ſimilis erit.* Schir R. Cant. 2, 9. *caprea apparet et occultatur: ſic redemtor primus apparuit et occultatus fuit, et iterum apparuit. Sic redemtor poſterior reuelabitur iis, atque iterum ab iis abscondetur — et in fine XLV dierum reuelabitur iterum, et deſcendere faciet Manna.* Senſum ergo ita conſtituunt: vnde hic aduenerit ſcimus, in Galilaea hactenus commoratus eſt; Meſſias autem poſt primum e Bethlehemo aduentum aliquamdiu ſe occultabit, et cum iterum apparebit et ad officium ſuum redibit, nemo ſciet, quo loco antea commoratus ſit. Alii πόϑεν explicant: *quo parente*, cum Iudaei Meſſiam modo extraordinario, a virgine natum iri putarint, v. Matth. 1, 22. At enimuero non ſemel, ſed ſaepius, Iudaei profeſſi ſunt, ſe propterea Ieſum Meſſiam agnoſcere non poſſe, quod ipſi probe noſſent eius parentes, Ioſephum et Mariam, atque familiam, eumque Nazarethanum eſſe ſcirent, v. Ioh. 6, 42. Matth. 13, 55. Luc. 4, 22. infra v. 41. Ioh. 1, 45. vbi v. not. Ieſum Ioſephi eſſe et Mariae filium, et Nazaretham ipſius patriam, opinabantur etiam ii, qui loquentes h. l. inducuntur, vid. v. 41, 42. 6, 42. Erant porro inter Iudaeos, qui arbitrarentur, Meſſiae parentes et locum natiuitatis indicari non poſſe, ſed eum iam adultum et improuiſo eſſe proditurum, v. Prolegg. §. 7. D. n. 3. Matth. 24, 23. 26. et not. ad 1, 20. hanc ſententiam fouiſſe quoque homines illos, ſatis perſpicue docent verba eorum: ὁ δὲ χριςὸς ὅταν ἔρχηται, οὐδεὶς γινώσκει πόϑεν ἐςίν. Itaque πόϑεν, quod et refertur ad *parentes*, vt 19, 9. et ad *patriam*, Ion. 1, 5, LXX. h. l. omnino *de Ieſu et Meſſiae origine, de parentibus et loco*

natiuitatis intelligendum esse censeo, cum et alias de *parentibus et loco natiuitatis* vsurpatum legatur, vt in illo carmine Homeri, τίς, πόθεν εἶς ἀνδρῶν, ποία σοι πόλις, οἱ δὲ τοκῆες, add. 2 Sam. 1, 13. LXX. Sensus igitur est: qualem hic originem habeat, quinam sint huius parentes, quaenam patria, nouimus; neque adeo est Messias, sed impostor; nam Messiae, vbi venerit, origo ignota erit.

28. 29. ἔκραξεν οὖν — λέγων] *Iesus igitur in templo docens, alta voce haec dicebat:* ἔκραξε et παῤῥησίαν dicentis et audientium frequentiam declarat. κἀμὲ οἴδατε, καὶ οἴδατε πόθεν εἰμί·] *Flacius* in Clau. Scr. S. P. 2. p. 313. *Glassius* Phil. S. p. 908. ed. *Dath. Beza*, *Paulus* ad h. l. alii, haec verba ironice dicta statuunt: *scilicet me nostis, meamque originem! ihr mögt mich wohl recht kennen!* vos, qui me Messiam esse negatis. Praeplacet tamen *Grotii*, *Lampii*, *Heumani*, *Semleri*, aliorumque sententia, qui praeeunte Tertulliano adu. Praxeam, haec verba interrogatiue legunt, ita, vt Iesus neget, ipsos scire, quis sit? et quam originem habeat? *itane* (καὶ, vid. *Elsnerus* ad Marc. 10, 26.) *nostis quis sim? et vnde ortus sim?* nescitis vtrumque, ego vero de coelo descendi, Deum patrem habeo, ille me misit, sum legatus diuinus, Messias, 6, 42. 62. 8, 14. 3, 13. 16, 28. Qui voculam πόθεν v. 27. referendam putant ad locum, vbi Iesus antea commoratus erat, vertunt: *me quidem nostis*, concedo vos me nosse, *et vnde venerim*, nempe e Galilaea, *attamen* etc. καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα, *non mea auctoritate prodii*, non ipse legati diuini, Messiae prouinciam arripui, non abutor Dei auctoritate, v. 8, 42. Particula καὶ redundat, alii eam reddunt: *atqui*. ἀλλ' ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε] *sed qui me misit, est Deus veracissimus, quem vos non nostis.* ἀληθινὸς scl. Θεὸς, v. 17. 3. *Deus veracissimus*, Dei veracitatem commemorat, vt ostendat, suam adeo vtpote legati diuini doctrinam veram esse, se non esse impostorem habendum, coll. 8, 26. *Grotius*, ad ἀληθινὸς subintelligit πα-

τήρ, cum hoc vocabulum infit in voce πόθεν, *qui me misit, is vere est pater meus.* *Heumanus*, *Morus*, *Rosenmüllerus*, *Eckermanus*, ἀληθινὸς positum putant pro aduerbio ἀληθῶς, est reuera aliquis, qui me miserit, non meo arbitrio veni. Vtrumque durius. ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, cuius consilia de salute hominum per me restituenda vos non intelligitis, neque de iis per me edoceri vultis. Similis sententia 8, 19. 55. ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτὸν, *ego vero eum noui*, ego eum eiusque consilia accuratissime noui. Particula δὲ quam plurimi codd. omittunt, glossema redolet. ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι allusio ad πόθεν quod praecessit, *nam apud eum eram*, εἰμὶ positum pro ἤμην 1, 2. ἦν πρὸς τὸν Θεόν. 18. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός. add. 6, 46. 62. κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν, *et ille me misit*, sum voluntatis ipsius interpres, Messias. Alii παρ' αὐτοῦ εἰμι vertunt: *ab eo profectus sum*, ab eo coelitus demissus sum, vid. 6, 46.

30 — 32. *Iam etsi eum comprehendere cupiebant*, nempe synedri et cum iis facientes, *nemo* tamen eorum manus ei iniicere sustinebat, vid. ad Matth 21, 46. *quoniam nondum aderat tempus morti ipsius destinatum.* v. 31, 46. πιάζειν, *capere*, *comprehendere*, vt 8, 20. 10, 39. Act. 12, 4. Sir. 23, 28. in versione Alexandrina respondet Hebr. אחז Cant. 2, 15. ὥρα, *tempus certum ac definitum*, de quo vocabuli vsu vid. *Gatackerus* in Aduersar. miscell. posth. c. 26. p. 708. h. l. *tempus morti eius destinatum*, vt 8, 20. Multorum autem e populo animos ita perculsos fuisse ait Euangelista, vt Iesu fidem haberent h. e. eum prophetam, legatum diuinum haberent. Iesum Messiam non habebant, saltem de eo dubitabant, dicebant enim: *Messias vbi venerit, num plura documenta edet iis, quae hic edidit?* cf. et v. 41. ὅτι, quod alii libri male omittunt, post verba dicendi, atque adeo etiam h. l. redundat, vid. ad Matth. 7, 23. τούτων in nonnullis codd. deest; fortassis vere. — 32. Φαρισαῖοι synedri e secta Pharisaeorum, qui Iesu iniciores erant, quam synedri e secta Sadducaeorum.

Cum ergo ad eos delatum esset, haec de Iesu inter multitudinem disceptari solere, collegas permouebant, ad ablegandos apparitores, qui opportunitate oblata Iesum comprehenderent, opportunum tempus et locum Iesum capiendi obseruarent, ne tumultus excitaretur; neque apparitores eodem die ad synedros redibant v. 45. coll. v. 39. Verba οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ ἀρχιερεῖς continent periphrasin synedrii magni, vt γραμματεῖς καὶ ἀρχιερεῖς Matth. 2, 5. vbi v. not.

33. 34. Continent hi versus fragmentum longioris orationis a Iesu die sequenti habitae. Inter alia disserebat quoque de suo imminente ex hac vita discessu, atque ostendebat, se haud ignorare improba inimicorum suorum consilia. αὐτοῖς plerique referunt ad ἀρχιερεῖς καὶ Φαρισαῖοι v. 32. alii, vt *Lampius*, *Michaelis*, Iesum ὑπηρέταις allocutum esse opinantur, sed v. 35. loquentes inducuntur synedri, et hoc ipsum pronomen αὐτοῖς plurimi et praestantissimi codd., verss. etiam plures omittunt, debet igitur originem suam grammaticis, vnde et illud rectissime expunxerunt *Griesbachius* atque *Matthaeius*. Dixit autem omnino Iesus ea, quae v. 33. 34. leguntur, primoribus populi in templo praesentibus, v. 8, 21. μικρὸν χρόνον subaudiendum κατὰ, quod additum legitur ap. Aelian. H. V. 14, 29. μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, *vobiscum versabor*. Praesens enim εἰμὶ vt sequens ὑπάγω vim futuri obtinet. Verbum autem ὑπάγειν Iohanni inprimis familiare est de morte Christi et ex his terris abitu, v. 8, 21. 29. 13, 3. 33. 14, 4. 16, 5. 10. al. vid. not. ad Matth. 26, 24. — 34. ζητήσετέ με, καὶ οὐχ εὑρήσετε] *tum me, Messiam, requiretis, nec tamen inuenietis;* vbi interuenerit rerum vestrarum fatalis conuersio, Messiam, meum, Messiae, auxilium frustra desiderabitis. Cum loco parallelo Ioh. 8, 21. additum legatur: καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε, et 13, 33. consulto ac de industria omiserit Iesus comminationem: καὶ οὐχ εὑρήσετε· patet verissimam esse *Lam-*

pii huius loci interpretationem, cuius verba haec ſunt: „Patet ex collatis locis, quomodo *quaeſitio Domini* ſit intelligenda, non quaſi Ieſum pro auxiliatore ſuo actu poſt excidium accipere deſiderauerint, vt *Chryſoſtomus* et *Theophylactus;* aut quaſi per miracula ab Apoſtolis edita ad poenitentiam ducti fuerint, vt *Auguſtinus* et *Beda;* aut quaſi indicaretur, Iudaeos Ieſum etiam poſt reſurrectionem ad perdendum fruſtra quaeſituros, vt *Rupertus* opinatur: ſed quia ſuo modo, ſecundum ſuos conceptus *quaeſituri* erant *Meſſiam*, quod implicite idem erat ac *quaerere Ieſum*, quia extra illum alius Meſſias non erat exſpectandus." Ita quoque hunc locum intellexerunt *Flacius* in Claue P. 2. p. 366. 415. et *Heumanus.* καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν] *et vbi ego, Meſſias, verſabor, eo vos non poteritis peruenire,* Meſſiam de coelo (3, 13. 6, 62.) quaſi deducturi. Fortius affirmatur his verbis, eos fruſtra Meſſiam tunc exſpectaturos eſſe. Pro εἰμὶ, *Caſaubonus, Erasm. Schmidius, Bengelius, Michaelis,* aliique plures a *Wolfio* et *Albertio* ad h. l. laudati, v. 34. 36. legendum eſſe praecipiunt εἶμι h. e. *abeo*, ὑπάγω, Heſych. πορεύσομαι, haud improbante *Griesbachio.* Prouocant huius lectionis fautores ad Nonni auctoritatem, qui verbo ὁδεύσω vſus eſt, quo tamen verbo non tam lectionem ipſam, quam potius orationis contextum reſpexit, et ſenſum expreſſit; confirmare aiunt quoque hanc lectionem locos 8, 21. 13, 33. vbi legitur: ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, inde tamen hoc tantum conſequitur, Ieſum aut Iohannem de eadem re diuerſa loquendi ratione vſum eſſe; monent praeterea verba εἰμὶ et εἶμι a librariis ſaepius inter ſe eſſe permutata, v. *Bentleius* ad Callim. Fragm. p. 393. ed. Vltrai. inde tamen nonniſi hoc conſequitur, potuiſſe haec verba a librariis etiam h. l. permutari. Ab aliis contra obſeruatum eſt, verbum εἶμι rarius a ſcriptoribus orationis ſolutae, frequentius a poetis vſurpari, apud ſcriptores ſacros autem nusquam occurrere; bene etiam ὅπου congruere verbo εἰμὶ, ſi praeſenti vis tri-

buatur futuri ἔσομαι. Quaecunque vero lectio admittatur, ſenſus idem manet.

35. Facile intelligere poterant primores populi, Ieſum de ſua morte eſſe loeutum, v. 8, 21. 22. ſed quo eum irriderent, eius verba torquebant. μὴ εἰς τὴν διασποράν τῶν Ἑλλήνων κ. τ. λ.] *num abire vult ad Iudaeos inter gentiles diſperſos, atque etiam gentiles docturus?* διασπορά, vt Hebr. נדחת Pſ. 146, 2. adhibetur de Iudaeis extra Palaeſtinam viuentibus, ſiue vltro emigratis, ſiue bello expulſis, vid. interpp. ad Iac. 1, 1. 1 Petr. 1, 1. Iudaeos tunc temporis per totum terrarum orbem fuiſſe diſperſos, et aliunde notum eſt, et docent loca Philonis Leg. ad Cai. p. 1023. B. 1032. A. Ioſeph. B. I. 7, 3. 3. Iam vero h. l. per τὴν διασποράν τῶν Ἑλλήνων nonnulli *diſperſos Graecos* ſ. *gentiles* intelligunt, v. *Ruſius* ad h. l. nulla tamen idonea apparet ratio, cur gentes dicantur diſperſae, quae proprias inhabitarent ſedes. *Lightfootus*, *Hammondus*, *Heumanus*, *Semlerus*, alii, per τοὺς Ἕλληνας eosdem deſignatos eſſe putant, qui alias, Act. 6, 1. Ἑλληνισταὶ dicti ſunt, vt adeo verba μὴ εἰς κ. τ. λ. reddenda ſint: *num abire vult ad Iudaeos Graece loquentes diſperſos, et hos* (τοὺς Ἕλληνας pro αὐτοὺς) *edocere?* Sed nullus locus proferri poteſt, praeter locum 12, 20. ab illis interpretibus laudatum, vbi tamen vid. not. quo probari poſſit, Iudaeos Graece loquentes, dictos eſſe Ἕλληνας, imo Ἕλληνες conſtanter in literis ſacris opponuntur Ἰουδαίοις, v. Act. 14, 1. coll. v. 5. 18, 4. 19, 10. 20, 21. Rom. 1, 16. 2, 9. 10. 3, 9. etc. atque deſignantur hac voce illis in locis omnino gentiles, ita dicti, quia plurimae gentes lingua Graeca vtebantur. Hinc *Salmaſius* cum in Commentar. de L. Hell. tum in Funere L. H. p. 98 ſqq. et qui eum ſequuti ſunt, vt *Krebſius*, *Loeſnerus*, alii, διασπορά de *loco diſperſionis*, ſiue *regione gentium* ſumunt, et verba: μὴ εἰς τὴν διασποράν κ. τ. λ. interpretantur: *num vult abire in regionem gentium, quam* διασπαρέντες Ἰουδαῖοι *inha-*

bitant, et edocere Graecos s. gentiles? Ita vero non perspicitur, si nihil aliud dicere voluissent, quam, *num vult ad gentes abire, eosque edocere*, cur formula διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων vsi sint? Intelligendi potius sunt, vt equidem opinor, per τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων, ipsi *Iudaei inter gentiles dispersi*, vt adeo abstractum positum sit pro concreto, διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων pro διασπαρέντες ἐν τοῖς Ἕλλησι, vt 2 Macc. 1, 27. atque sensus verborum sit: num ingratam patriam relinquere, et abire vult ad Iudaeos inter gentes dispersos, eos et ipsas gentes edocturus; earum ignorantia et superstitione ad suam doctrinam propagandam abusurus? eo nos illum non sequemur. Etiam Iudaeos inter gentiles dispersos per contemtum memorabant synedri, efferre enim se solebant Iudaei Palaestinenses, nominatimque Hierosolymitani, super Iudaeis extra Palaestinam viuentibus, quod viuerent in Palaestina, quae terra sancta esset, in vrbe, in qua templum esset, quod exteri non possent adeo accurate ritus Iudaicos obseruare, quam in Palaestina et Hierosolymis viuentes, quod Iudaei exteri haud raro gentilium more viuerent.

37. ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς] *vltimo autem huius festi die, eodemque maxime solenni.* Disceptatum est ab interpretibus, quinam festi tabernaculorum dies h. l. dictus sit vltimus, speciatimque prae reliquis sanctus habitus. Nempe festum tabernaculorum per septem dies celebrabatur, v. Leuit. 23, 36. sed et octauus dies e legis praescripto festus et celebrandus erat, v. Leuit. l. c. proprie tamen hic dies a festo tabernaculorum ipso distinguebatur, v. Nehem. 8, 19. Succah fol. 48, 1. *dies octauus est festum per se ipsum;* nec hoc die octauo Iudaei habitabant in tabernaculis, v. Leuit. 23, 42. 34. vulgo tamen octauus quoque dies reliquis annumerabatur, ita, vt octo dies latiore ambitu festum comprehenderent 2 Macc. 10, 6. καὶ μετ᾽ εὐφροσύνης ἦγον ἡμέρας ὀκτὼ σκηνωμάτων τρόπον, μνημονεύοντες ὡς πρὸ μικροῦ

τὴν τῶν σκηνῶν ἑορτὴν, ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς σπηλαίοις θηρίων τρόπον ἦσαν νεμόμενοι, *et cum laetitia agebant dies octo ad modum tabernaculorum festi, recordantes, quomodo paulo ante per tabernaculorum festum in montibus et in speluncis ferarum instar habitarant.* Ioseph. Ant. 3, 10. ἐφ' ἡμέρας ὀκτὼ ἑορτὴν ἄγοντας κ. τ. λ. et paulo post: ἀνίενται δὲ ἀπὸ παντὸς ἔργου κατὰ τὴν ὀγδόην ἡμέραν — καὶ ταῦτα μὲν Ἑβραίοις τὰς σκηνὰς πηγνῦσιν ἐπιτελεῖν ἐςὶ πάτριον, *et ab omni opere die octauo quiescunt, — haec quidem Hebraeis tabernacula figentibus celebrare patrii moris est.* Hinc alii h. l. *septimum* diem festi intelligendum esse putarunt, vt *Buxtorfius* Synagog. Iud. c. 21. *Relandus* Antiqq. Sacrr. P. 4. c. 5. §. 7. 9. *Deylingius* Obss. Sacrr. P. 2. p. 305. *Paulus* ad h. l. alii, quos laudarunt *Wolfius* in Curis et *Koecherus* in Analectis ad h. l. rectius vero alii, vt videtur, *octauum diem* praeferunt, vt *Lightfootus* ad h. l. *Surenhusius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 353 sqq. *Ikenius* in Diss. 1. de tempore celebratae a seruatore vltimae coenae paschalis c. 3. §. 1 — 3. (qui ibi idoneis argumentis defendit, primum et octauum σκηνοπηγίας proprie festos dies ימים טובים appellari, cuius generis dies ἡμέρα μεγάλη Ies. 1, 13. dicitur) *Lampius* ad h. l. *Noesseltus* Opuscc. T. 1. p. 48 ss. *Niemeyerus* in Commentat. in locum Ioh. 7, 37. 38. Halae 1794. 4. Iam vero quaeritur, quam ob caussam *dies octauus* dictus sit μεγάλη h. e. cuius praecipua fuerit festiuitas? Ex numero saltem victimarum, quae singulis diebus festis offerendae erant, res aestimari nequit. Primo enim festi tabernaculorum die tredecim immolandi erant iuuenci, die secundo duodecim, tertio vndecim, et sic imminuto amplius numero per reliquos dies, ita, vt die *septimo* non nisi septem offerendi essent iuuenci, die autem *octauo* tantum vnicus; eademque fuit diuersitas in numero arietum et agnorum, vid. Num. 29, 13 — 36. Itaque aliae rationes afferri debent, ob quas dies ille *octauus*, dictus sit μεγάλη i. e. *praecipua, inprimis sancta.* Erat nimirum ille dies octauus, vltimus omnium totius anni

festorum, hinc Philo de Septen. et Festis extr. ἑπτὰ δὲ ἡμέραις ὀγδόην ἐπισφραγίζεται, καλέσας ἐξόδιον αὐτὴν, οὐκ ἐκείνης, ὡς ἔοικε, μόνον τῆς ἑορτῆς, ἀλλὰ πασῶν τῶν ἐτησίων, ὅσας κατηριθμήσαμεν· τελευταία γάρ ἐστι τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ συμπέρασμα σταθερώτερον, καὶ ἁγιώτερον, τὰς ἀπὸ τῆς χώρας προσόδους εἰληφότων ἤδη, καὶ μήκετ' ἐνδοιασμοῖς τῆς περὶ ἀφορίας πλαζομένων καὶ δεδιότων, *super septem illis diebus octauum signat, eumque corollarium appellauit, non vt verisimile est, festi solum, sed omnium etiam annuarum solennitatum, quae enarrauimus: nam vltima est anni, et clausula, metaque stabilior et sanctior: cum illi, qui iam reditus a regione acceperant, non amplius curis anxiis, de sterilitate agitati formidarent.* Praeterea *primo* et *octauo* festi illius die omni labore, operaque servili, abstinere debebant, Leuit. 23, 39. Num. 29, 12. 35. vnde et octauus ille dies Iudaeis dicebatur חג עצרת quia nimirum illo die ab omni labore, vt quouis solenniori die sacro, abstinebant; dicebatur etiam שמחת התורה, *laetitia legis*, quoniam hoc die absoluebant lectionem legis, quam proximo sabbato, cui nomen erat שבת בראשית denuo incipiebant. Monent etiam nonnulli, octauo vnice die libationem aquae (de qua mox dicendi locus erit) in vsu fuisse; qui tamen aeque errant, ac ii, qui haustae et effusae aquae cerimoniam hoc die intermissam esse contendunt, vt *Iac. Fr. Freyius* in Diss. de aquae libatione in festo tabernaculorum, Altorfii 1744. 4. cod. Succah c. 4. §. 9. p. 276. *R. Iehuda dicit: libant unum Logum omnibus octo diebus, et libanti dicunt: eleua manum tuam.* §. 8. *hymnus et laetitia octo dies: quomodo? docet, quod homo tenetur ad hymnum et laetitiam et honorem diei vltimi Festi, quemadmodum ad caeteros dies Festi.* Sed hymnus erat cum aquarum effusione coniunctus, et *laetitia* spectabat libationem aquae, vnde Succah 5, 1. *dixerunt, quicunque non vidit laetitiam propter haustionem aquae, non vidit vnquam laetitiam vllam.* Iam quod libationem aquae ipsam attinet, solebant Iudaei singulis huius festi diebus, cum offerretur

facrificium matutinum, aquam ex fonte Siloam, ad radices montis Zion fcaturiente, cuius fontis aqua limpidiffima et ad refrigerandum aptiffima erat, haurire, hauftamque fuper altare effundere. Nempe facerdos phialam auream aqua ex fonte Siloam haufta implebat, quo facto, per portam aquarum (portam templi, fic dictam, vt nonnulli volunt, quia per eam haec aqua ex Siloam haufta in templum inferebatur) reuerfus, ad altare clangentibus tubis et buccinis fe conferebat, vinoque mixtam aquam, poft difpofita facrificii membra, fuper altari effundebat. Hanc inter libationem fingulis diebus feftis *Hallel magnum* canebatur h. e. Pfalmi 113—118. v. *Lightfootus* et *Wetftenius* ad h. l. *Deylingius* l. c. *Lakemacheri* Commentat. de ritibus quibusdum Bacchicis a Graecis ad Iudaeos recentiores deriuatis, et ab his tabernaculorum fefto vfurpatis, in Obff. Philol. P. 1. p. 17 fs. et quos laudauit *Wolfius* in Curis ad h. l. In Mofis libris nihil de hoc ritu praefcriptum legitur; Iudaei vero illius originem vel ad prophetarum tempora referunt, laudantque hanc in rem locum Ief. 12, 3. *et haurietis aquas cum gaudio*; vel a traditione a monte Sinai repetunt, fed perquam probabilis eft *Niemeyeri*, aliorumque fententia, qui ftatuunt, originem huius ritus a Pharifaeis effe deriuandam, et ad tempora poft reditum e captiuitate Babylonica referendam. Conftat enim Pharifaeos multa temere excogitaffe, et traditionis, quae oralis dicitur, nomine popularibus fuis commendaffe. Variae autem funt magiftrorum Iudaicorum fententiae, de fignificatione, quam ifta aquae libatio habuerit. Alii aquas fymbolum legis fuiffe praecipiunt; alii, aquae effufione monent fignificatas effe dotes Sp. S. tempore Meffiae tribuendas; ex aliorum fententia aquae effufio fignificabat nouae fegetis pluuia irrigandae et fecundandae defiderium, vid. *Lightfootus*, *Schoettgenius* et *Wetftenius* ad h. l. Quae quidem ipfa fententiarum diuerfitas docet, quam parum iis fit tribuendum. Veriffima effe videtur *Noeffelti* fententia, qui l. c. p. 52. haec fcripfit: „reuocare potius videtur de-

buiſſe haec conſuetudo (aquae libationis) *beneficium magnae aquarum copiae*, quam Ieſus Iſraelitis in longo per deſertum itinere aqua carentibus propinauit. Etenim cum Deus Iſraelitas celebrare memoriam vitae maiorum peregrinantium in tabernaculis feſtis illis *σκηνοπηγίας* diebus voluerit (v. Leuit. 23, 43.) ad credendumne difficile eſt, effundendae in his feriis aquae conſuetudinem a Iudaeis adiectam fuiſſe, vt aquarum ſuis olim a Deo effuſe datarum memoriam poſterorum animis ſubiicerent? Omnia certe ea, quibus Iudaei harum feriarum celebritatem auxerint, ita ſunt conſtituta, res illas vt quadam ſimilitudine exprimant, quae Iſraelitis in locis deſertis et paulo poſt contigiſſent. Nam ramos illos malaque citrea, quibus his diebus ornati incedebant, non inepte quis traxerit ad iſtas palmas, quas ad fontes Iſraelitae Exod. 15, 27. reperiſſe leguntur, ac mala ad omnes fructus, quibus terram ſibi promiſſam exuberare viderent. Iam quod cum ramorum faſciculis quovis hoc Feſto die, ac vltimo ſepties altare circumirent, hoc ipſum Iudaei, v. Gemara Hieroſol. Succah. 54. 3. in memoriam obſidionis Hierichuntinae factum eſſe tradunt. Itaque et hunc ritum (aquae libationis) quis vetat eodem loco habere?" Ille ipſe autem ritus Chriſto, qui et alias a re praeſenti ſermonum ſuorum inuolucra et ornatum petere ſolebat, vid. 4, 10 ſſ. 34 ſſ. qui ipſe ſpectator adfuerat aquae e fonte Siloam hauſtae et libatae, occaſionem dedit orationem longiorem ad populum habendi, cuius caput et ſumma erat ſententia v. 37. 38. propoſita. Neutiquam ergo otioſa eſt h. l. temporis et opportunitatis ad dicendum Ieſu datae commemoratio. *εἱςήκει ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἔκραξε, λέγων· ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω*] *ſtabat Ieſus, et alta voce dicebat: ſi quis ſitit, ad me veniat et bibat.* *εἱςήκει*, *ſtabat*, nempe in templo, *ἐν τῷ ἱερῷ*, quod partim ex adiecta diei feſti mentione, partim ex v. 28. apparet. *ἐάν τις διψᾷ* qui ſitit, qui aquam appetit, quisquis ille ſit. Verbum *διψᾷν*, vt ad Matth. 5, 6. notauimus, ſaepe metaphorice adhibetur, ita, vt ar.

dens cuiuscunque rei ſtudium ſignificet, inprimis autem vſurpatur de iis, qui doctrinae alterius ſunt cupidiſſimi, et doctrina ipſa frequenter comparatur cum aqua, vid. ad Ioh. 4, 10. 14. bene igitur Chryſoſtomus Homil. 51. in Ioh. T. 8. ed. *Montefalc.* p. 119. B. verba: ἐάν τις διψᾷ interpretatus eſt: εἴ τις ἔχει προθυμίαν πολλὴν, εἴ τις ἐκκαίεται τῷ πόθῳ, τοῦτον ἐγὼ καλῶ. Ex hactenus dictis ſimul clarum eſt verbum, quod ſequitur, πίνειν, h. l. ſignificare: *doctrina imbui*, eam diſcere et admittere. ἐρχέσθω πρός με, ſe mihi totum dedat, tota mente ſe ad me applicet, v. 6, 35. Senſus ergo verborum Chriſti, qui rem corpoream ad rem moralem et ſpiritualem transtulit, hic eſt: Aqua e fonte Siloam hauſta, eſt quidem limpidiſſima, et ad corpus refrigerandum aptiſſima, vos eam vehementer appetitis, eamque nunc temporis laetabundi in templum intuliſtis; at enimuero ego ei, qui doctrinae meae cupidus eſt, qui ſe mihi committit, longe praeſtantiorem aquam, ad tranquillandum beandumque animum aptiſſimam praebeo, eum doctrinae ſalutaris cognitione plena et copioſa imbuo.

38. Variae ſunt interpretum de huius verſus verborum conſtructione ſententiae. Nonnulli verba priora, cum iis quae proxime praeceſſerunt, coniungenda putant hoc modo: καὶ πινέτω ὁ πιςεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή. vt poſt γραφὴ punctum ponatur, et quae ſequuntur verba: ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας κ. τ. λ. ſint verba Chriſti, non ſcripturae, vertunt: *et bibat qui in me credit, ſ. ſitim reſtinguat fidem mihi habendo, vt ſcriptura dicit*, atque haec referunt ad locum Ieſ. 55, 1. vbi legitur: *quicunque ſititis, venite ad aquam* etc. Alii poſt πινέτω colon ponunt, ſed καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ cum antegreſſis copulant, *qui in me credit, vt ſcriptura monet ſ. iubet; ex huius corpore* etc. ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας κ. τ. λ. cum verbum εἰπεῖν ſaepius in N. T. iubendi notionem obtineat, vt Hebraeorum אמר. Formula καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, re-

fpici putant omnes V. T. locos, qui fidem in Meffiam, tanquam firmiffimum falutis praefidium commendent. Ita hunc locum intellexerunt iam Chryfoftomus, Euthymius, Cyrill. Hierof. Catech. 16. et *Erasmus*, qui orationis fenfum ita expreffit: fcriptura monet, vt mihi credatur, nam de me teftificatur. Ergo qui crediderit in me, iuxta quod fcriptura monet, futurum eft, vt ille concepto fpiritu meo effundat flumina efficacis doctrinae. Itaque hi quoque interpretes verba: ποταμοὶ κ. τ. λ. Chrifti ipfius, non fcripturae verba effe putant. Praetereo alias duriores huius loci interpretationes, v. *Wolfium* in Curis, et *Rufium* in Harmon. Euangg. ad h. l. Iam quod modo allatas loci explicationes attinet, neutra earum mihi admittenda videtur. Verba ὁ πιςεύων εἰς ἐμὲ non poffunt cum praecedentibus verbis coniungi, fed exeunte commate 37. prima orationis pars finitur, hoc fatis fuperque docent verba v. 39. οἱ πιςεύοντες εἰς αὐτὸν, quae promiffionem Chrifti, quam v. 38. continet, non excitationem v. 37. comprehenfam interpretantur, funt ergo etiam verba ὁ πιςεύων εἰς αὐτὸν ad promiffionem Chrifti trahenda; docet hoc idem locus 14, 12. vbi quoque, vt fcite *Noeffeltus* obfervauit, ὁ πιςεύων εἰς Χριςὸν accepturus dicitur vim ad magnas res et vero etiam maiores gerendas, quam Chriftus ipfe geffiffet; fcribendum praeterea etiam potius fuiffet, fi verba ὁ πιςεύων ἐ. ἐ. cum v. 37. coniungenda effent: καὶ ὁ πιςεύων εἰς ἐμὲ πινέτω. Contorta quoque eft eorum interpretatio, qui καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ vertunt: *vt fcriptura iubet* l. *monet*, nec vsquam eo fenfu, quod fciam, haec formula legitur, fed κατὰ τὰς γραφὰς, aut formulae huius generis aliae adhibitae reperiuntur. Scilicet offendit interpretes, et nominatiuus abfolute pofitus ὁ πιςεύων εἰς ἐμὲ, et formula καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, cum, quae fequuntur verba ποταμοὶ κ. τ. λ. vt iam Chryfoftomus monuit, nusquam totidem verbis in V. T. occurrant, vnde et fuerunt qui fufpicarentur, haec ipfa verba ποταμοὶ κ. τ. λ. e libro deperdito defumta effe, aut ea e facro co-

dice V. T. excidiſſe, vt *Semlerus*, *Schulzius*, *Paulus*. Sed vulgaris verborum conſtructio idoneis argumentis poteſt defendi. Ac primo quidem haud rara ſunt exempla nominatiui abſolute poſiti in libris N. T. ſcriptorumque exterorum, vid. Matth. 12, 36. ibique *Raphelius*, Act. 7, 40. Apoc. 2, 26. 6, 8. *Vorſtius* de Hebraism. c. 11. verba igitur ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ reddi debent: *quod attinet eum, qui doctrinam meam admiſit, meque Meſſiam agnouit.* Deinde ſatis conſtat, locos V. T. in libris N. T. haud raro liberius laudari, ita vt non ſingula verba repetantur, et ſic h. l. reſpexit Ieſus locum Ieſ. 58, 11. eumque in rem ſuam transtulit. Legitur ibi: *eritis vt hortus irriguus, vt fons perennis, cui aqua nunquam deeſt.* Itaque non neceſſe eſt, vt cum *Henkio* in Disſ. Ioh. Apoſtolus nonnullorum Ieſu apophthegmatum in Euang. ſuo et ipſe interpres (Helmſt. 1798.), quae repetita extat in *Potti* Sylloge Commentatt. theoll. Helmſt. 1800. p. 6. ſtatuamus, verba καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, quae vertit: *vt cum ſcriptura loquar*, non pertinere ad locum aliquem ſacri codicis ſingularem, ſed ad excuſandam et emolliendam audaciam imaginum agri ſitientis, bibentis, exundantis, vt Pſ. 36, 9. 10. Ieſ. 44, 3. 4. Ioel. 3, 23. Cui ſententiae et hoc opponi poteſt, Ieſum eadem imagine (non tamen ab agro, vt *Henkius* vult, depromta), quam h. l. adhibuiſſe legitur, alio tempore, nulla addita excuſatione, vſum eſſe, vid. Ioh. 4, 14. eamque doctoribus quoque Iudaeorum perquam vſitatam fuiſſe. Tanchuma fol. 17, 1. *vnde Abrahamus didicit legem? R. Simeon filius Iochai dixit: bini renes ipſius tanquam binae lagenae aquarum factae ſunt, ex quibus lex promanauit, q. d. Pſalm. 16, 7. etiam noctibus docebant me renes mei.* Sohar chadaſch fol. 40. 4. *Quando homo ſe conuertit ad dominum ſuum, tanquam fons aquis viuis impletur, et fluenta eius egrediuntur ad omnis generis homines, et ad omnes tribus.* ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος] *flumina aquae viuae ex illo emanabunt*: ποταμοὶ, *flumina*, ſunt ſymbolum abundantiae, v. *Glaſſius*

Philol. S. p. 1077. vt Lat. *flumina*, v. *Doeringius* ad Catull. T. 2. p. 142. κοιλία quod vocabulum respondet Hebraeorum nominibus בטן, קרב et מעים ex Hebraismo *vel*, *animum* notat; Alexandrini enim בטן vertunt κοιλία Ez. 3, 2. Ion. 2, 3. sed καρδία Prou. 22, 18. Hab. 3, 15. מעים κοιλία Gen. 25, 23. sed καρδία Iob. 30, 27. Thren. 2, 11. et קרב κοιλία Gen. 41, 20. Exod. 29, 13. sed καρδία Ps. 5, 10. 61, 4. Olympiodorus in Catena ad Iob. 15, 35. κοιλίαν ὅλον τὸ ἐντὸς χωρίον φησὶ, καὶ αὐτὴν τὴν ψυχήν· et ita h. l. nomen κοιλία cepit quoque Chrysostomus, cuius verba sunt: κοιλίαν ἐνταῦθα τὴν καρδίαν φησὶ, καθάπερ καὶ ἀλλαχοῦ φησί· καὶ τὸν νόμον σοῦ ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου (Ps. 39, 9.) *vel*, pars corporis, more Hebraeorum posita est, ad designandum totum hominem, vt adeo ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ sit idem quod ἐξ αὐτοῦ, *ex illo*; sic ממעים quoque legitur Gen. 15, 4. vbi οἱ ό habent ἐκ σοῦ. vid. et *Glassius* Phil. S. p. 1271. ὕδωρ ζῶν, *aqua viua*, *perennis* h. l. vt Ioh. 4, 10. vbi v. not. est symbolum doctrinae salutaris, quae animos hominum reficit et beat. Sensus ergo verborum est: qui meam doctrinam amplectitur et probat, me Messiam agnoscit, plena et accurata doctrinae salutaris intelligentia imbuetur, ita, vt alii quoque per eum plena et accurata huius doctrinae cognitione imbuantur.

39. Allegoriae a Iesu propositae Iohannes adiecit interpretationem hanc: τοῦτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος κ. τ. λ.] *his autem verbis innuebat plenam et accuratam doctrinae salutaris cognitionem, quam accepturi essent, ipsi fidem habentes, nondum enim ea iis contingere poterat, cum Iesus nondum ad summam maiestatem esset euectus.* ἅγιον in nonnullis libris deest. Scilicet omissum est, vt recte monuit *Paulus* ad h. l., ab interpretibus antiquis et patribus, vt sibi facilius explicarent verba οὔπω ἦν τὸ πνεῦμα, vid. et *Rufius* ad h. l. sed quae in aliis libris adiecta leguntur verba ἐπ᾽ αὐτοῖς l. δεδόμενον, l. δοθὲν sunt pro interpretamentis grammaticorum habenda. Quaeritur autem,

quid sit h. l. per πνεῦμα ἅγιον intelligendum? Ac plurimi quidem interpretes intelligunt dona Sp. S. extraordinaria, facultatem miraculorum patrandorum. Verum vt iam *Noesselius* Opusc. T. 1. p. 59. 65., *Eichhornius Allgem. Biblioth. der bibl. Literatur* B. 4. p. 291. add. B. 7. p. 1014. aliique obseruarunt, facultas miraculorum patrandorum Apostolis iam data erat, antequam Iesus ad laetiorem vitam translatus esset, vid. Luc. 10, 1—9. 17. et Iesus h. l. v. 38. infinite locutus est, nec quemquam ab isto beneficio exclusit, ὁ πιςεύων, ipse quoque Iohannes v. 39. simpliciter scripsit, οἱ πιςεύοντες, nusquam autem omnibus christianis spes facta est eiusmodi donorum extraordinariorum, aut facultatis miraculorum edendorum. Scilicet *flumina aquae perennis* erant symbolum doctrinae Christi salutaris, cognitionis plenae et accuratae, *bibere aquam* erat, doctrinae illius cognitione imbui, *effundere aquae flumina*, doctrinae plenissima cognitione alios imbuere. Planissimum igitur est, πνεῦμα h. l. ad Christi doctrinam eiusque cognitionem referri, vid. ad 1, 33. Iam doctrinam quidem Christi plures illo tempore audiuerant et amplexi erant, sed nondum acceperant plenam accuratamque illius cognitionem, οὔπω ἦν πνεῦμα ἅγιον. Itaque πνεῦμα ἅγιον et πνεῦμα est h. l. plena veritatis diuinae cognitio, quae Apostolis aliisque Christo fidem habentibus, post eius ex terris abitum, iuuante Deo, contigit Ioh. 16, 12 sq. οὐ ἔμελλον λαμβάνειν, vid. ad Marc. 7, 13. οὔπω ἦν sc. δοθὲν, quod latet in praecedente verbo λαμβάνειν, vid. *Glassius* Phil. S. p. 630. οὐδέπω ἐδοξάσθη, nondum ad beatitatem summam euectus erat, vid. not. ad 12, 23.

40—44. Vel ex iis quae sequuntur, facile perspicitur, longiorem tunc temporis a Iesu orationem esse habitam, illiusque summam tantum a Iohanne v. 37. 38. esse allatam. Oratione finita, dissidium de eo in populo extitit. πολλοὶ a nonnullis codd. abest, legunt: ἐκ τοῦ ὄχλου οὖν· in aliis scriptum extat: οἱ οὖν ἐκ τοῦ ὄχλου πολλοί.

Arm. habet, τινὲς ἐκ τοῦ ὄχλου, vera lectio videtur: ἐκ τοῦ ὄχλου ἀκούσαντες. Cum vocabulo προφήτης additus fit articulus, et ὁ προφήτης discernatur a Meſſia, cogitaſſe videntur de propheta V. T. Meſſiae temporibus ab inferis redituro, vid. not. ad Ioh. 1, 21. -- 41. οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός· *eſt Meſſias*, Ieſum Meſſiam habebant, etſi eum Galilaeum putarent, vid. not. ad 1, 45. μὴ γὰρ ἐκ τῆς Γαλιλαίας ὁ Χριστὸς ἔρχεται, *num e Galilaea Meſſias veniet?* ipſi quoque Ieſum in Galilaea natum eſſe opinabantur, vt v. ſeq. docet, vid. ad v. 27. 28. — 42. ἡ γραφὴ innuebant plures literarum ſacrarum locos, quos de Meſſia eiusque natiuitate explicabant Ieſ. 11, 1. Ier. 23, 5. Mich. 5, 1. Pſ. 89, 36. κώμη, vid. ad Marc. 1, 38. ὅπου ἦν Δαβὶδ, *vbi Dauides erat* ſ. *vixit*, *habitauit* Matth. 2, 15. Marc. 9, 5. qui vicus Dauidis patrius erat. — 44. τινὲς δὲ ἤθελον κ. τ. λ., *nonnulli* nempe ex iis qui contendebant Ieſum nullo pacto eſſe poſſe Meſſiam v. 41 ſq. ſynedris et Phariſaeis addicti *lubenter eum comprehendiſſent* (v. 30.), *nullus tamen eorum auſus eſt ei manus iniicere*, cum, quamvis de Ieſu ortum eſſet in populo disſidium, σχίσμα, quia alii eum prophetam, alii Meſſiam habebant, neutra tamen pars paſſura fuiſſet, vt Ieſus captiuus abduceretur.

45 — 49. οἱ ὑπηρέται, coll. v. 32. ἦλθον, *redibant*, vt Matth. 24, 46. vbi v. not. — 46. οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος] *nunquam aliquis ita docuit*, *vt hic*; nunquam tam egregium, adeo diſertum et ſapientem doctorem audiuimus, vid. Luc. 4, 22. neque adeo imperata veſtra exſequi ſuſtinuimus. Verba ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος in aliis libris deſunt, in aliis legitur ὡς οὗτος λαλεῖ, in aliis ὡς οὗτος ὁ ἄνθρωπος λαλεῖ, quae lectionis varietas, verba illa a grammaticis adiecta fuiſſe, docere videtur. — 48. Ingenua apparitorum profeſſione exacerbati ſynedri, acerbe in eos inuehebantur, iisque dicebant: *num et vos ab eo ſeducti eſtis? num e primoribus populi aut Phariſaeis ei aliquis fidem habuit?*

Ioh. 12, 42. legitur, inter ipsos proceres, multos Iesu fidem habuisse, sed ibidem additur etiam, eos Pharisaeorum metu id non publice esse professos. μή τις ἐκ τῶν ἀρχόντων κ. τ. λ. Synedrii erat prouidere, ne falsa doctrina proponeretur, et in eos inquirere, qui noua molirentur in ecclesia, vid. 1, 9. hinc synedri, qui loquentes inducuntur, qui haud dubie Pharisaei erant, opponebant apparitoribus auctoritatem synedrii, et Pharisaeorum, quorum apud plebem maxima esset auctoritas, qui legis interpretes a plebe haberentur peritissimi. Dicebant igitur: vos illiterati ei fauetis, quem nos synedri, nos Pharisaei legum custodes et interpretes repudiamus? — 49. ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος κ. τ. λ.] *sed ista multitudo legis imperita*, ei fidem habet, *est exsecratione digna.* οὗτος scl. πιστεύει εἰς αὐτὸν, orationis pars reticetur, vt fieri solet ab iratis, vid. *Glassius* Phil. S. p. 1352. ὁ ὄχλος οὗτος vulgus imperitum, plebs legis ignara, quae in libris Rabbinorum per contemtum עם הארץ, *populus terrae*, *plebs illiterata* vocatur, vid. *Lightfootus*, *Schoettgenius*, *Wetstenius* et *Hammondus* ad h. l. ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον quae religioni accuratius cognoscendae nullam impendit operam, eam non discit secundum scholarum interpretationes et traditiones. νόμος significat h. l. libros Iudaeorum sacros, ipsamque religionem Iudaicam, quam hi libri continent. ἐπικατάρατοί εἰσι sequitur pluralis, quia nomen collectivum praecessit, vt 6, 24. Marc. 3, 7. 8. infra 8, 1. v. et *Glassius* Phil. S. p. 326. ἐπικατάρατοί εἰσι nonnulli explicant: sunt poenis diuinis obnoxii, omnis generis miseriam experientur, Deus eos puniet, vid. Gal. 3, 10. Deut. 28, 15. 27, 26. Maimonides in Hilcoth Talmud Tora c. 6. §. 11. *vnicuique qui sapientes contemnit, pars nulla est in futuro seculo*, vid. *Lampius* ad h. l. Mallem tamen inprimis ob locum 9, 22. haec verba cum aliis interpretari, diris sunt deuouendi et conuentibus sacris prohibendi. Legitur enim c. 9, 22. synedros in eo iam conuenisse, vt si quis Iesum Messiam profiteretur, is excommunicaretur; et

perquam probabile eft, hanc legem 9, 22. memoratam, in hoc ipfo fynedrii confeffu, de quo h. l. fermo eft, fuiffe fancitam. Solebat autem excommunicatio coniuncta quoque effe cum diris et maledictionibus, vt adeo *ἐπικατάρατος* fit idem fere quod *ἀποσυνάγωγος*, vid. ad 9, 22. *Boltenius ἐπικατάρατοί εἰσι* vertit: *fafcino feducta eft haec plebs*, notat, verbum לוט quo Syrus interpres h. l. vfus eft, in lingua Syriaca fignificare, *incantare*, vt Hebr. לטים *incantationes*. Pro *ἐπικατάρατοι* BT. 1. Orig. Cyr. in commentar. et alibi, Chryf. in comment. habent *ἐπάρατοι*, quod vocabulum eiusdem eft fignificatus; fed vulgaris fcriptura, plurium et optimorum codd. auctoritate munita, praeferenda eft.

50. 51. Vocarant fynedri Iefum impoftorem, *πλάνον*, declararant fe excommunicaturos effe omnes ipfius affeclas, et de Iefu ipfo quoque excommunicando, vt videtur, atque necando deliberabant, coll. v. 51. (9, 22.). Iam vero Nicodemus, vt Euangelifta refert, collegis intercedebat, et Iefu cauffam, caute tamen et circumfpecte, agebat. *ὁ ἐλθὼν νυκτὸς πρὸς αὐτὸν*, *qui Iefum noctu adierat*, addita haec funt, ne forte quis de alio huius nominis viro, diuerfo ab illo 3, 1. memorato, cogitaret. *νυκτὸς* gloffema redolet, nam in aliis libris inuerfo ordine legitur *πρὸς αὐτὸν*, in aliis *πρὸς αὐτὸν πρότερον*, in aliis *νυκτὸς πρὸς αὐτὸν τὸ πρότερον*, l. *τὸ πρῶτον*. Pronomen *αὐτῶν* refpicit vocabulum *ἄρχοντες*, quod v. 47 praeceffit; ficuti faepius hoc pronomen ad remotius referri folet, v. Ioh. 8, 44. Hebr. 12, 17 etc. — 51. *μὴ ὁ νόμος ἡμῶν κρίνει τὸν ἄνθρωπον*, *num lex noftra quemquam damnat*, *κρίνει* pro *κατακρίνει*, Ioh. 3, 17. 18. *ὁ νόμος*, vid. Deut. 19, 15. 18. Exod. 23, 1. 2. Leuit. 19, 15. 16. *ἐὰν μὴ ἀκούσῃ παρ' αὐτοῦ πρότερον, καὶ γνῷ τί ποιεῖ*, *priusquam eum audierit iudex, et accuratius cognouerit eius cauffam, eius delictum*; fic *ποιεῖν* etiam 18, 35. legitur. Nemo inauditus damnandus. Pro *πρότερον* haud pauci libri legunt *πρῶτον*, quae verior lectio videtur.

52. Indigne ferentes fynedri collegae interpellationem et intercessionem, refpondebant: μὴ καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ; *num tu quoque Galilaeus es?* num tu Galilaeum agis, et adhaeres Galilaeo, cum ei patrocineris. Significare volebant, Iefum non habere fautores alios, quam Galilaeos, homines ftultiffimos, v. ad Matth. 4, 12. ἐρεύνησον, καὶ ἴδε, ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται] *fcrutare*, libros facros, *et cognofces*, *nullum prophetam e Galilaea proditurum effe.* ἐγήγερται plerumque vertunt: *prodiiffe*, *exortum effe*, et cum omnino Galilaea Ionae, Nahumi, patria fuerit, putant, fynedros odio occoecatos, patriae horum vatum non recordatos effe, aut hiftoriae facrae ignorantiam his ipfis verbis turpiter prodidiffe, v. quos laudauit *Koecherus* in Analectis ad h. l. Rectius tamen alii ἐγήγερται (v. de huius verbi vfu not. ad Matth. 11, 11.) pro praefenti ἐγείρεται (vt nonnulli quoque codd. e gloffemate legunt) pofitum effe ftatuunt; cum haec enallage Iohanni admodum frequens fit. Per προφήτην, Meffiam h. l. fignificari, *Schulzius*, *Hezelius*, *Langius*, *Boltenius* opinantur. Sed fi Meffias intelligendus effet, fcripfiffet Iohannes ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος vt 6, 14. non fimpliciter προφήτης. Appofite *Semlerus* ad h. l. notavit: „loquuntur *de hoc tempore*, quo exfpectabant Meffiam, eiusque praecurforem aliquem prophetam, Eliam, aut alium; non vero de tempore praeterito." Senfus ergo eft: literae facrae non commemorant prophetas, quos Meffiae temporibus exfpectamus, e Galilaea exfpectandos, in de prodituros effe.

CAPVT VII, 53. — CAPVT VIII, 1—11.

Locus, qui nunc fequitur, multis interpretibus vel fufpectus vifus eft, vel plane fpurius; alii contra eum genuinum effe, variis argumentis euincere ftuduerunt. Impugnarunt loci authentiam, *Erasmus*, *Caluinus*, *Beza*, *Grotius*, *Clericus*, *Wetftenius*, *Semlerus*, *Schulzius*, *Morus*, *Haenleinius* (*Einleit. in d. N. T.* Th. 3. p. 215 fqq. ed. 2.), *Wegfcheiderus* (*Einleit. in d. Ev. Ioh.* p. 164 fs.), *Paulus* (*Krit. Kommentar* ad h. l.), *Schmidtius* (*Einleit. in d. N. T.* p. 159 fs.), *Tittmanus* (Meletemata facra p. 318 fqq.), aliique a *Wolfio* in Curis, et *Koechero* in Analectis ad h. l. laudati. Locum vero genuinum effe contenderunt, praeter alios a *Wolfio* et *Koechero* laudatos, *Millius*, *Whitbyus*, *Heumanus*, *Michaelis* (*Mofaifch. Recht* §. 262. *Einleit.* Th. 1. p. 236 fs.), *Storrius* (*üb. d. Zweck d. Evangelifch. Gefch. u. Briefe Ioh.* §. 49. p. 216 fs.), *Langius*, *Dettmerfius* (Vindiciae αὐθεντίας textus Graeci pericopae Eu. Ioh. 7, 53 fs. Francof. ad Viadr. P. 1. 1793.), et inprimis nuper *Stäudlinius*, Prolufio qua Pericopae de adultera Ioh. 7, 53 — 8, 11. veritas et authentia defenditur. Partic. I. II. Gotting. 1806. 4. *Hugius* in Commentat. de coniugii chriftiani vinculo indisfolubili, Friburgi, 1816. 8. p. 22 fs. Qui fuppofititiam effe narrationem ftatuerunt, ad hanc fuam fententiam defendendam vfi funt argumentis partim *internis*, partim *externis*. Nos quidem vtriusque generis argumenta praecipua recenfeamus, ita, vt afferamus ea quoque quae ab aliis ad argumentorum illorum vim infringendam prolata funt. A) *Argumenta interna.* Narratio ipfa parum probabilis eft, nam 1) „non perfpicitur, quomodo Pharifaei et legisperiti, qui de Iefu trucidando confilium ceperant, et ad eum prehendendum apparitores miferant, v. 7, 19. 25. 45. interrogationem adeo honori-

ficam, quae legem fpectaret, ei proponere, eumque hominem priuatum, iudicem adulterae conftituere potuerint, quae in iudicium publicum vocanda effet. Cum alias interrogationem Iefu proponunt, vel ipfi tanquam ipfius iudices fe gerunt, Matth. 21, 23. vel difcipulos ablegant 22, 16. vel vnus folum quaeftionem proponit v. 35. *Paulus.* Verum enimuero, qui Iefum interrogabant, non erant iudices et magiftratus, faltem non comparebant tanquam tales, non memorantur ἀρχιερεῖς καὶ Φαρισαῖοι, vt 7, 45. fed γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, *legisperiti e fecta Pharifaeorum*, 8, 3. nec adeo neceffe eft, vt ftatuatur eos ex fynedrio fuiffe, erant potius, vt videtur, homines priuati et comparebant tanquam *accufatores* ac *teftes*, vnde et Iefus v. 7. ait, qui veftrum hac culpa vacat, primus in eam coniiciat lapidem, quod teftium erat, v. Deut. 13, 10. 17, 7. Iof. 7, 25. Nec honorificam Iefu interrogationem proponere volebant, fed vt ei infultarent, eumque explorarent v. 6. iudicem adulterae conftituebant. *Städlinius.* 2) Parum probabile videtur *Semlero* atque *Oertelio*, adulterium in fine feftorum dierum commiffum, et Pharifaeos in ritibus obferuandis magnopere follicitos, hoc tempore in atrium templi adduxiffe adulteram et actionem inftituiffe." Sed vt iam *Hezelius* atque *Städlinius* obferuarunt, ipfa fefti folennitas et frequentia criminis locum dare poterat. Praeterea res gefta eft poftridie feftum tabernaculorum, v. 7, 37. coll. v. 53. 8, 1. 2. h. e. vt videtur, cf. not. ad 7, 37. die, qui fequebatur *octauum*, eundemque vltimum fefti tabernaculorum diem. Quodfi vero etiam 7, 37. intelligendus effet dies fefti *feptimus*, atque adeo h. l. dies fefti *octauus*, quo Pharifaei adulteram comprehenfam in atrium adduxiffent, inde tamen non nifi hoc confequeretur, Pharifaeos paruiffe odio, quod in Iefum conceperant, caetera omnia non curaffe. Caeterum die fabbati aliquem comprehendere per legem licuiffe, docet locus Num. 15, 34. 3) „Interrogatio Iefu propofita, neutiquam captiofa erat. Nunquam

Iefus legi Mofaicae contradixerat, repudiarat tantum Pharifaeorum traditiones, declararat potius publice, fua doctrina neutiquam abrogatum iri legem Mofaicam ipfam, v. Matth. 5, 17 fs. Refpondere ergo potuiffet, fe non doctorem prodiiffe, vt legem Mofaicam tolleret, fed eam ftabiliret. Legem ergo Mofaicam de adultera necanda fi probaffet, fi monuiffet adulteram ex legibus Mofaicis capitis poenam luere oportere, fed confentiente procuratore Romano (vid. ad Matth. 26, 66.) eam effe capite plectendam, nihil Iefu a Romanis aut Iudaeis metuendum fuiffet." *Clericus*, *Wetftenius*, *Paulus*. Vario modo ad hanc obiectionem refponderunt interpretes. Ponamus, inquit *Stäudlinius*, nos nullo modo decernere poffe, quaenam fuerit in interrogatione Pharifaeorum captio, nondum hiftoriae veritas euerfa eft: cogitari enim poteft, in cauffa *nobis iam incognita* latuiffe quaeftionis aftutiam. Sed coniectura fatis probabili affequi licet, quodnam fuerit Pharifaeorum confilium. Obferuat nimirum *Stäudlinius*, non iam quaeri, vtrum Iefus legem Mofaicam ipfam, an vero folum traditiones ipfi affutas vituperare confueuerit, fed cardinem quaeftionis in eo verfari, annon Pharifaei talem de eo opinionem habuerint, vt exfpectare poffent, eum legi Mofaicae contradicturum? omnino autem eos exfpectare potuiffe Iefum, qui ex ipforum fententia legem Mofaicam de fabbato celebrando violaret v. Ioh. 7, 23. 5, 16. Matth. 12, 2 fs. Luc. 14, 1 fs. qui hominum perditorum ac impudicorum confortio fe inquinaret v. Luc. 7, 34. 37. 39. forfan legi Mofaicae de adultera necanda contradicturum effe. Dici ergo poffe, hoc Pharifaeos exfpectaffe, eosque, fi Iefus, contra fpem et exfpectationem, approbaffet legem, eum faltem irrifuros fuiffe, quod Mofi fe aequipararet, et legem ipfius fua auctoritate confirmare vellet. Ipfi tamen *Stäudlinio* l. c. p. 7. alia de hoc loco iudicandi ratio probabilior videtur, quae arrifit quoque *Hugio* l. l. p. 25. 26. 29. Dici nimirum etiam poffe contendit: lapidationem in poenis Romanorum capitalibus non fuiffe,

eosque plane ab hoc fupplicii genere abhorruiffe, nec procuratorem Romanum, cuius erat, fententiam mortis exfequi, permififfe, vt adultera per lapides necaretur, nunquam hanc poenam inflictam effe affentiente et dictante procuratore, fed vel citra fententiam a plebe et Zelotis vt Act. 7, 54. vel abfente procuratore, v. Iofeph. Ant. 20, 9. coll. Eufeb. H. E. 2, 23. vid. et *Grotius* atque *Heumanus* ad h. l. Iudaeos autem, et rectiffime quidem, legem Mofaicam, de qua agitur, de lapidatione intellexiffe, atque adeo vfurpaffe nonnunquam vel populum, vel fenatum Iudaicum, hoc ius lapidationis, tanquam a Deo ipfo per Mofen ipfis conceffum. Quodfi igitur Iefus legem confirmaffet, accufare eum potuiffe Pharifaeos apud procuratorem imminutae poteftatis et maieftatis, fi vero a Mofe receffiffet, (et in adulteram e legibus Romanis animaduertendum iudicaffet v. *Hugius* p. 26. apud populum imminutae libertatis, et legis diuinae contemtionis. Equidem quamquam huic fententiae, procuratores Romanos non permififfe, vt adultera, aut blafphemus, a Iudaeis lapidationis poena afficeretur, fubfcribere non poffum, cum perquam probabile fit, in iis criminibus, quae religionem fpectarent, Iudaeis ius fupplicium capitale fumendi, atque adeo etiam ius poenam lapidationis infligendi fuiffe relictum, vid. not. ad Matth. 26, 66. Ioh. 19, 7. Act. 24, 6. in eo tamen *Stäudlinio* lubenter affentior, quod praeeuntibus *Guffeto* in Confut. libri Chiffuk Emuna p. 404. v. *Wolfius* in Curis ad v. 2. et *Wetftenio*, exiftimat p. 10 fq. Pharifaeos illos, qui h. l. loquentes inducuntur, fuiffe Zelotas, h. e. homines priuatos, qui non exfpectata iudicis fententia, in delicto deprehenfos (ἐπαυτοφώρῳ, v. 4.), ex lege puniebant, exemplo, vti iactabant Pinehafi, v. Num. 25, 6 fqq. *Schleufneri* Lex. h. v. et not. ad Matth. 10, 4. Hac enim fententia admiffa, Pharifaeos illos fuiffe Zelotas, fiue potius, vt equidem arbitror, Zelotas egiffe, plures difficultates remouentur. Quodfi ergo Iefus adulteram puniendam effe

negaſſet, homines illi dixiſſent, impunitatem peccatis da-ri, improbari a Ieſu ſtudium religionis et legis Moſaicae defendendae, eum eſſe fautorem adulterii, ſi vero affir-maſſet, in ſuſpicionem veniſſet, promoueri ab ipſo Zelo-tarum, hominum ſeditioſorum, violentiam ac flagitia, quae ſine dubio magiſtratus Romanus coercere ſtudebat, qui Ze-lotarum iura non agnoſcebat; incurriſſet etiam in odia multorum Iudaeorum, qui Zelotarum ſtudia et facinora improbarent. Itaque omnino captioſa erat quaeſtio a Pha-riſaeis illis Zelotas agentibus Ieſu propoſita. Iis, qui de Zelotis h. l. cogitant, *Paulus* quidem oppoſuit, Zelotis non fuiſſe permiſſum punire delinquentes, niſi in ipſo cri-minis commiſſi momento, ergo non intelligi, quomodo homines illi adulteram potuerint ad Ieſum adducere, ex eoque quaerere, quid ipſi videatur de poena feminae in-fligenda? Sed vt intelligenter animaduertit *Stäudlinius*, non agitur de eo, quid Zelotis iure permiſſum aut vetitum fuerit, ſed de re facti. „Sine dubio Zelotae, ſcribit l. c. p. 10. vt fieri ſolet, nec ſemper ſuo iure vtebantur, nec ſem-per intra eos terminos ſe continebant, quos lex deſcripſe-rat. Zelotae illi, qui feminam in adulterio deprehende-rant, fortaſſe iure ſuo eam ob cauſſam nolebant vti, vt haberent occaſionem Ieſum interrogandi, et ipſum in periculum inducendi, vel etiam iure ſuo abuti, feminam-que poſtea interficere volebant, Ieſus autem ſapientia ſua feminam ſaluam conſeruabat.“ Alii, vt *Michaelis*, *Roſen-müllerus*, *Stolzius*, *Eckermanus*, qui non de Zelotis cogi-tant, putant, Phariſaeos accuſare voluiſſe Ieſum, vel vt contemtorem legis Moſaicae, ſi ab eius ſententia receſſiſſet, vel ſi eam probaſſet, tanquam immitem et immiſericor-dem, imo placitis magiſtrorum Iudaicorum aduerſantem; multos enim doctores in tanta licentia, morumque cor-ruptione, videri in ea fuiſſe opinione, non animaduer-tendum eſſe in mulieres adulterii reas, ex rigore diſcipli-nae Moſaicae, aliis contradicentibus. Sed illa diuerſitas ſententiarum de poena adulterae, ἐπαυτοφώρῳ (v. 4.) de-

prehenfae, argumentis certis comprobari nequit. 4) „Pharifaei (v. 5.) ad legem Mofis prouocant, in eaque fcriptum effe perhibent, adulteram lapidibus obruendam effe, haec vero lex in fcriptis Mofaicis non extat, Leuit. 20, 10. Deut. 22, 22. fimpliciter mortis poena, non addito fupplicii genere, adulterae irrogatur; at mortis poenam, vbi lex non ipfum fupplicii genus nominabat, Hebraeorum magiftri de ftrangulatione intelligendam effe praecipiebant. Mifchna tract. Sanhedrin fol. 52. 2. *R. Ionathan dixit, omnis mors dicta in lege fimpliciter, non eft nifi ftrangulatio.* Deut. 22, 24. fponfae quidem corruptae poena lapidationis imponitur, verum h. l. non eft fermo de fponfa, fed de vxore, legitur: ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένῃ. Ergo ipfi legisperiti e fecta Pharifaeorum, dixerunt, quae neque cum lege Mofaica, neque cum magiftrorum Iudaicorum legis interpretatione conuenirent.“ *Wetftenius, Semlerus, Morus, Paulus.* Sed vt *Michaelis* in *Mofaifch. Recht* §. 262. pluribus argumentis haud contemnendis comprobauit Leuit. et Deut. ll. cc. fub poena mortis intelligenda eft lapidatio. Sic quoque Exod. 31, 14. 35, 2. poena mortis indicitur violatori religionis fabbati, fed Num. 15, 32. 34. eiusmodi violator fabbati lapidatus effe perhibetur, cf. et Ezech. 16, 38. 40. Quodfi vero etiam Mofes Leuit. et Deut. ll. cc. non intellexiffet lapidationem, ferior tamen vfus, mortem, quam ille dictauerat, facere potuit lapidationem. Praeterea vt *Stäudlinius* fcienter monuit, parui momenti eft auctoritas Mifchnae in iis, quae ad mores Iudaeorum ante vrbis Hierofolymitanae expugnationem fpectant. Maioris auctoritatis et aetatis eft narratio haec, quae etiamfi ab ipfo Iohanne non fcripta effet, tamen a pluribus ecclefiae patribus in Euangelio Iohannis lecta eft, antequam Mifchna conderetur. Caeterum, vt idem V. D. animaduertit, nihil impedit, quo minus cum *Seldeno, Lightfooto, Lampio, Heumano,* aliis, ftatuamus, γυναῖκα h. l. memoratam, fuiffe *puellam desponfatam,* in ftupro cum alio viro deprehenfam, ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένην, cui Mofes Deut.

22, 24. lapidationis poenam indixit, cum γυνή etiam de puella et sponsa adhibeatur (v. Schleusneri Lex. h. v., nos ad Matth. 1, 16,) atque Philo de legg. special. p. 608. ed. *Mang.* hanc sponsae infidelitatem εἶδος μοιχείας nuncupet; et, vt contra *Paulum* ad 8, 5. *Stäudlinius* l. c. obseruat, quamuis Philo alios aliter sentire, et hoc crimen medium inter stuprum et adulterium censere, dicat, tamen nullo modo significat, istam opinionem sibi peculiarem esse, quod etiam ne verisimile quidem est. Nec obstat, quod non disertis verbis legimus, adulteram in *loco* deprehensam, vbi auxilium aliorum implorare poterat (v. *Paulus* l. c.), qui tacet enim, non negat. 5) „Iesus, qui alio tempore ad quaestiones captiosas promte respondebat, nunc, quamuis nullum esset periculum, et responsio in promtu, pinxit in terra, quod haerentis est, et ad aliquid excogitandum tempus sibi sumentis.“ *Beza*, *Wetstenius*, *Paulus*. Quaesiuerunt interpretes, vtrum Iesus verba digito in puluere scripserit, an incertas, nihilque significantes figuras delineauerit? Fuerunt, qui putarent, Iesum accusatorum peccata terrae inscripsisse, vid. *Lampius* ad h. l., vel eum puluęri inseruisse ea ipsa verba, quae v. 7. protulisse legitur, v. *Lampius* et *Rusius* ad h. l. Sed vt iam ab aliis notatum est, si Iesus aliquid scripsisset, quod a Pharisaeis legi potuisset, eosque spectasset, non vrsissent eum, vt ad propositam quaestionem responderet, sed vel nouam de hac scriptura litem instituissent, vel abiissent, nec scriptura Christi, sed sermone demum illius v. 7. οἱ δὲ ἀκούσαντες κ. τ. λ. permoti discesserunt pudefacti. Vnde nec locus relictus videtur *Hugii* sententiae, qui statuit, primo Iesum nomina eorum, qui mulierem adduxerant, scripsisse, quasi catalogum delatorum conficeret. Iudici enim apud Romanos statim in caussae aditu libellum cum accusatoris et subscriptorum nominibus exhiberi debuisse. Iam notatis delatorum nominibus, Iesum iis acclamasse: quisquis eiusdem sceleris purus est, primus mulieri pro supplicio manum ingerito! Proximum enim fuisse

poſt editam profeſſionem nominum, de accuſatoribus diſpicere, qui ſi eiusdem vel maioris criminis poſtulari poſſent, ab actione ſecludebantur, aut priores in ius vocari poterant v. *Heineccii* antiquitatt. iuris Rom. Lib. 4. tit. 18. §. 17 — 20. Praeterea flagitaſſe leges Iudaicas, vt delator vel teſtis in re capitali ante alios manum inferret capitis damnato, et in ſupplicio ſumendo operam praeſtaret. Ad vtrumque verba domini reſpicere, qui Romani fori vſum cum patriae legis rigore copulauerit, cunctaque ordine peregerit iudicium ſimulantis. Cum hanc comminationem ſpernerent accuſatores, et nihilo ſegniores inſtarent, Ieſum ſecundam ſcriptionem adieciſſe, qua clariſſime edocerentur, ſe eiusdem culpae reos incuſari, nempe ſingulis mulieres adſcripſiſſe, facinoroſis iſtis nota nomina, quo intellecto perturbatos aufugiſſe. — Equidem adſtipulor *Euthymio*, *Maldonato*, *Erasm. Schmidio*, *Lampio*, *Ruſio*, *Heumano*, *Moldenhauero*, *Kypkio*, aliisque cum his facientibus, qui cenſent, Ieſum ductus nihil ſignificantes in terra ſcripſiſſe. Sic Aelianus quoque H. V. 14, 19. refert, philoſophum quendam, qui ad quaeſtionem ſibi propoſitam reſpondere nollet, *in pariete ſcripſiſſe*, i. digitum mouiſſe, et apud Virgil. Aen. 1, 478. legitur: *verſa pulvis inſcribitur haſta*, i. haſta per terram tracta ſulcos facit. Saepius quoque alias γράφειν ſignificat, *pingere*, *lineas ducere* etc. et voc. γραφή de pictura adhibitum extat ap. Longum Paſtoral. L. 1. p. 1. ed. *Moll.* Eurip. Hippol. v. 1084, Aeſchyl. Agam. v. 249. vnde et *ſcribere* ac *pingere* a librariis ſaepius inter ſe permutata ſunt, v. *Harduinus* ad Plin. H. N. 35, 10. *Heinſius* et *Burmanus* ad Ouid. Heroidd. 14. extr. *Gronouius* Diatr. Stat. c. 42. p. 278. Morem fuiſſe Iudaeis, quando res odioſae adeſſent, ad quas nec affirmando, nec negando, reſpondere vellent, vt quaſi aliud acturi, aliquid ſcriberent, docuit *Schoettgenius* Horr. Hebrr. ad h. l. Ieſus ergo non timidus et anxius effugit reſponſum, ſed hoc tacito geſtu quaeſtionis ineptae neglectum indicare, ac disſimulatores illos interrogantes

refponfo haud dignos effe fignificare voluit; voluit, vtor iam *Stäudlinii* verbis, ipfis fignificare, fe non curare hanc cauffam ciuilem, nec eum effe, qui legislatorem, aut iudicem fe gerere, atque de iuribus Romanorum et Iudaeorum in republica decernere velit. Plutarch. de vitiof. pud. p. 532., quem locum *Kypkius* attulit: τὴν σιωπὴν ὁ μὲν Εὐριπίδης φησὶ τοῖς σοφοῖς ἀπόκρισιν εἶναι, *filentium Euripides dicit fapientibus effe refponfum.* 6) „Parum apta erat refponfio Chrifti v. 7. ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν, πρῶτος τὸν λίθον ἐπ' αὐτῇ βαλέτω, *qui veftrum immunis eft ab hoc peccato, primus lapidem in eam coniiciat.* Etenim non neceffe eft, vt teftis aut iudex a peccato immunis fit, qui alterum accufat, aut in ius trahit et poenis afficit, fatis eft modo firmis rationibus oftendant, verum effe crimen, cuius reum agunt.“ *Clericus, Wetftenius, Semlerus, Paulus.* Sed primo notandum eft, effe h. l. fermonem de peccato fimili, ergo de peccato adulterii et fcortationis, non autem de immunitate ab omni peccato. Verbum enim ἁμαρτάνειν faepius ad illicitos amores, et fpeciatim ad adulterium refertur, v. Ael. H. V. 4, 1. Eurip. Hippol. 507 etc. Suiceri Thef. Eccl. T. 1. p. 205. nos ad Luc. 7, 37. et fic quoque infra v. 11. hoc ipfum verbum de adulterio vfurpatum legitur. Deinde, vt *Stäudlinius* annotauit, clarum eft, Iefum (qui nec magiftratui, fed Zelotis et hypocritis refponderet.) noluiffe his verbis regulam et normam praefcribere, quae *in foro* obferuanda fit, nec de *legitimi* iudicis aut teftis iure atque officio locutum effe, fed hoc tanquam a fe alienum plane detrectaffe, ac potius hanc occafionem tanquam morum doctorem et praeceptorem arripuiffe Pharifaeos corrigendi et de propriis criminibus monendi. Pertinet et huc locus Cic. in Verr. 3. init. *Vis corruptorem aliquem vel adulterum accufare? Prouidendum diligenter, ne in tua vita veftigium libidinis appareat. Etenim non eft ferendus accufatoris, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipfo deprehenditur,* vid. et not. ad v. 11. 7) „Haud credibile eft, omnes, qui adulteram adduxe-

rant, nominatim Pharifaeos fpeciem fanctitatis prae fe ferentes, fuiffe adulteros, eosque pudore tactos disceffiffe, atque disceffu fuo profeffos effe, fe non effe culpa vacuos." *Clericus*, *Paulus*. Iefus teftes tantum alloquebatur, qui ex legis praefcripto primi lapides in adulteram coniicere debebant. Adulterii conuicta ea tantum mulier erat, quae a duobus ad minimum teftibus in flagranti delicto deprehenfa effet. Legem enim de teftibus Deut. 19, 15. (Matth. 18, 16.) etiam ad feminas pertinuiffe, magiftri Iudaeorum docent, v. *Wagenfeilius* ad Sota p. 31. et hiftoria Sufannae confirmat. Non ergo neceffe eft, vt ftatuatur, magnum numerum teftium adfuiffe. Erant tunc mores corruptiffimi, etiam primorum populi, et adulteria frequentia. Teftes igitur illi confcientia tacti, timentes, ne occulta ipforum peccata a Iefu recenferentur, quae ei probe cognita effe fentirent, prudenter fe fubducebant, fibilante eos populo, cumque fe defendere nec vellent nec poffent, feminam non fecum abducebant; reliqui quoque, qui cum iis venerant, eos vltro fequebantur, pudibundi atque dolentes quod teftibus iftis feminam ad Iefum deducentibus comites fefe adiunxiffent. Haud dubie tamen poftea fimulatores illi, qui fuum disceffum excufarent, dicebant, fe propterea disceffiffe, quod intellexiffent, Iefum ad propofitam quaeftionem refpondere noluiffe. 8) „Non probabile eft Iefum, vt v. 9. legitur, fuiffe folum relictum cum muliere in templo, ob templi celebritatem, et populi in re noua curiofitatem; nec fatis cohaerent verba v. 9. καὶ κατελείφθη μόνος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἡ γυνὴ ἐν μέσῳ ἑστῶσα, cum eo, quod v. 11. dicitur; πάλιν οὖν ὁ Ἰησοῦς αὐτοῖς ἐλάλησε, *rurfus eos Iefus allocutus eft*." *Beza*, *Semlerus*, alii. Ad hanc obiectionem alii interpretes refpondent: v. 9. effe nonnifi de mulieris accufatoribus fermonem, relate ad hos dici Iefum fuiffe folum relictum, haud negari alios fuiffe praefentes, nempe difcipulos et auditores, neutiquam ergo dici, Iefum omnino et plane folum in templo fuiffe, idque vel ex eo apparere, quod mulier

ἐν μέσῳ, in medio, nempe coronae populi, *τοῦ λαοῦ* v. 2. 3. quae Iefum cingebat, ftetiffe dicatur. 9) Qui locum fpurium habent, prouocant etiam ad ftili diuerfitatem. „Diverfus eft, inquiunt, in hac narratione ftilus a Iohanneo; Iohannes enim raro coniunctiones, rarius *δὲ* habet, quod h. l. v. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10 fq. occurrit. Iohannis ftilus eft fimplex, hic vero v. 9. 10. ornatior.“ *Wetftenius*, *Semlerus*, *Paulus*. Sed vt bene *Langius* atque *Stäudlinius* contra monuerunt, vfus crebrior particulae *δὲ*, Iohanni haud infolens eft, v. 11, 1. 2. 4. 5. al. et h. l. fortuitus effe poteft, nec in omnibus codd. aeque frequens eft, nec facile perfpicitur, quinam ornatus v. 9. 10. infit, et ornatus maior in aliis locis Iohanneis, nominatim in ipfo Euangelii Iohannei initio deprehenditur. 10) „Hac hiftoria e textu fublata, connecterentur cap. 8, 12 fs. cum 7, 52. vt intelligantur omnia dicta fuiffe, *eodem tempore*, fcilicet *die fefti vltimo*, eadem vero inferta, neceffario confequeretur, rem geftam effe *die fequenti vltimum diei fefti*, v. 7, 37. 8, 2. et quae a v. 2. dicuntur vsque ad finem capitis, dicta fuiffe *poft feftum*. Iam fi quis perpenderit, Iudaeos toto illius fefti tempore fe iactaffe de *effufione aquarum*, de *lucernis accenfis* et *luce legis*, de *libertate* et de *peccatorum venia*, die ieiunii proximo impetrata, facile intelliget, non folum, quae de *aqua fpirituali* 7, 37. dicuntur, fed etiam, quae habentur de *tenebris*, in quibus Iudaei verfantur 8, 12. de *peccatis* Iudaeorum *nondum condonatis* v. 21. et de *feruitute* Iudaeorum v. 32. *multo aptiori tempore*, et *conuenientius* multo dici, dum *agebantur dies fefti*, quam *poftea*.“ *Wetftenius*. Ad haec *Stäudlinius* Disf. 2. p. 16.: cur ad dies feftos referenda funt, quae Iefus etiam alio tempore locoque monere folet, fe fcilicet effe lucem, Iudaeos in tenebris verfari 12, 35. 46. 9, 5. et quod frequentiffimum eft, Iudaeos propter peccata punitum iri, et doctrinam fuam libertatem a peccato fpondere? (vid. et infra ad v. 12. not.) Deinde etiam ii, qui pericopam noftram e textu eiiciunt, tamen haud negare poffunt, ea, quae inde a cap. 8, 21.

afferuntur, non dicta esse a Iesu die festi, nec in templo, sed alio tempore locoque. Postquam enim retulerat Iohannes v. 20: ταῦτα τὰ ῥήματα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ, pergit v. 21. εἶπεν οὖν πάλιν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, quo innuit, ea quae sequuntur, alia vice dicta esse.

B) *Argumenta externa.* 1) „Omittitur haec narratio in codd. praestantissimis ABCL. in ES. 24. 109. 161. 166. etc. asteriscis, in aliis, vt 4. 8. 14. al. obelis notatur, alii codd. eam habent in fine Euangelii, alii eam inserunt post 7, 36. in vno alteroue cod. legitur ad finem Luc. 21. Extat haec narratio in codd. DGHKMU, aliisque recentioribus minoris momenti codd. permultis, v. *Griesbachius*, sed cod. D., qui ad *occidentalem* recensionem refertur, haud raro habet additamenta apocrypha, coll. Matth. 20, 28. Luc. 6, 5. vnciales, praeter D. pertinent ad recensionem *Constantinopolitanam*, et *compluribus lectionibus iunioribus sunt deformati*, v. *Griesbach.* Prolegg. ad sec. edit. N. T. p. LXXV. *Paulus* p. 404 ss.“ His opposuit *Stäudlinius* haec: Codicum, qui habent pericopam, multo maior numerus est, quam eorum, qui omittunt, v. *Beza* ad 7, 53. *Rich. Simonius* Hist. crit. p. 242 sq. *Griesbachius* ad h. l. Verum haud solum ex numero, sed ex pondere et praestantia codd. et consensu diuersarum recensionum iudicandum est. Iam quod codd. vnciales, in quibus pericopa omittitur, attinet, in iis haud nominandus erat A. s. Alexandrinus, vtpote qui a Ioh. 6, 50. usque ad 8, 12. mutilus est. *Wetstenius* quidem ex numero στίχων, qui continebantur in duobus foliis deperditis, instituta cum caeteris foliis collatione colligit, pericopam in eo non fuisse, sed incerta est conclusio, cum nemo de foliorum deperditorum contentis certo iudicare possit. Etiam cod. C. seu Regius 9. inde a Ioh. 7, 3 — 8, 34. deficit. Itaque ex iis, qui omittunt, non tuto afferri possunt, nisi B. seu Vaticanus 1209. et L. seu Stephani H, Codices sane praestan-

tes, ad *Alexandrinam* f. *Orientalem* recenfionem pertinentes. Sed extat haec pericopa in cod. D. fiue Cantabrigienfi, codice omnium, qui ad nos peruenerunt, antiquiffimo, quem ad recenfionem *occidentalem* referunt, cui tamen multas lectiones *Alexandrinas* ineffe non negant. *Paulus* quidem p. 404., vt ponderi huius codicis etiam h. l. detrahat, eum Matth. 28, 28. Luc. 6. 5. additamenta apocrypha habere monet, quae autem minime cum noftro loco, qui eft multo amplior, comparanda funt. Etiam cod. K. et M. inter eos codices *Griesbachius* refert, in quibus Conftantinopolitanae quidem lectiones regnant, adfperfis tamen pluribus paucioribusue lectionibus fiue *Alexandrinis* fiue *Occidentalibus*, v. *Griesbachii* Prolegg. p. LXXVI. Habes confenfum codicum *Occidentalium* et *Conftantinopolitanorum*, eorumque etiam talium, in quibus multae funt lectiones *Alexandrinae*. Defideras confenfum recenfionis *Alexandrinae* expreffum. Ablego te ad *verfiones antiquas*, ad recenfionem *Alexandrinam* pertinentes, in quibus extat pericopa noftra, ad verfionem *Aethiopicam* et *Armenicam* (deeft quidem in Arm. mf., fed Nicon refert, Armenos eam iugulaffe, quia noxiam exiftimarent, libell. de fide Armenorum, v. *Fabricii* cod. apocr. N. T. I. 358.), vt alias taceam, quae pericopam non in omnibus manufcriptis et editionibus exhibent. Caeterum quae ex verfionibus antiquis per fe fpectatis colligi poffunt, authentiam dubiam reddunt, et in neutram partem permittunt decernere. — In codd., qui pericopam *omittunt*, non fimpliciter ponendi funt ii, qui eam *obelo* notant. Obelus enim folum indicium eft, librarium locum aliquem in vno exemplari inueniffe, in altero non inueniffe, nec dici poteft fignum *reiectionis*, fed *dubitationis*. Nec codd., qui pericopam habent in *fine euangelii*, iis annumerandi funt, qui eam plane omittunt. Scriptores eorum nolunt negare, eam ad finem cap. feptimi pertinere (v. Scholia ap. *Wetftenium* p. 890.), fi genuina fit. Dubitant non de *loco* pericopae, fed de authentia, fpuriam effe, non decernunt. Ii codd.,

qui narrationem alio loco inferunt, v. c. Ioh. 7, 36. ad eos referendi ſunt, qui eam ad finem Euangelii reiectam, aut in marg. ſcriptam textui reddiderunt, ſed non eo, quo debebant, loco. Si ea in vno alteroue cod. legitur ad finem Luc. 21. ſine dubio ea tanquam locus parallelus (cf. Ioh. 8, 2.) in marg. adſcripta erat, et deinde a librario inepto textui adiecta eſt. Cod. *Leiceſtr.* eandem *repetit* Ioh. 8. — Scriptores codicum, qui ſpatium vacuum relinquunt, quamuis id totam pericopam capere non potuerit (vt ſcriptor cod. L.), arguunt, ſe eam noſſe, et in codd. quibusdam deprehendiſſe, quamquam ipſi eam reiiciunt.

„Quod teſtimonia patrum attinet, qui codices antiquiſſimos manibus verſabant, quam plurimi eorum hanc pericopam non attingunt, ſunt etiam, qui dubitanter de ea loquantur. Omittunt eam Origenes, Apollinaris, Theodorus Mopsueſtenus, Cyrillus Alex., Chryſoſt., Baſilius M., Cosmas, Nonnus, Theophylactus, Catenae ed. et mſ. omnes. Tertullian., Cyprian., Iuuencus. Euthymius Zigabenus, ſeculi XI. ſcriptor, in Commentar. ad h. l. notat, ſe hanc pericopam (quam in textu tamen recepto legit) in plurimis et grauioribus codd. non legiſſe, eamque valde ſuſpectam habet.“ Sed habent, vt contra monuit *Stäudlinius*, hanc pericopam Tatianus in Harmonia IV. Euangelior. Ammonius v. Biblioth. Patr. Max. T. 2. P. 2. 3. In *Conſtitutionum Apoſtolicarum* opere, quod ſub finem ſec. III. ab orientali epiſcopo conſcriptum videtur 2, 24. mentio fit hiſtoriae. Commemorat eam Ambroſius Opp. T. 3. p. 194. T. 4. p. 395. ed. Erasm. Hieronymus, qui adu. Pelag. 2, 6. ſcribit: *in Euangelio ſecundum Iohannem, in multis et Graecis et Latinis codicibus inuenitur de adultera muliere, quae accuſata eſt apud Dominum.* (Fruſtra obiicit *Paulus* ad h. l. codices Graecos multos, in quibus extet pericope, non pertinere ad iſtas *recenſiones* textus, quae *Hieronymi* aetate exiſtebant; quaſi vero iſta ae-

tate non multi codd. Grr. exiſtere potuiſſent, plane nunc deperditi, easdemque lectiones exhibentes, quas *Occidentali* et *Conſtantinopolitanae* recenſioni annumeramus, haecque ipſa recenſio non eſſet Hieronymo antiquior!) Accedunt Auguſtini teſtimonia c. Fauſtum 22, 25. de adulterinis coniugiis 2, 6. 7. Addi poſſunt notae ſcholiaſtarum Graecorum, quas affert *Richard. Simonius* in Hiſtoria Critica textus N. T. verſ. vernac. I. p. 240 ſq. p. 24, qui narrationem ἐν ἀρχαίοις ἀντιγράφοις exiſtere teſtantur, vid. et *Wetſtenius* ad h. l. Quanam autem veri ſpecie demonſtrari poterit, omnes hos viros hactenus memoratos, nonniſi codd. tales tractaſſe, in quibus textus Iohanneus additamentis ſerioribus commaculatus fuerit? Ex Patribus, qui pericopam omittunt, ii tantum in cenſum venire poſſunt, quibus in ſcriptis ſuis occaſio vel neceſſitas quaedam locum citandi et explicandi ſeſe offerebat; hi enim ſoli videri poſſunt pericopam vel plane ignoraſſe vel tanquam ſpuriam reieciſſe. Itaque non nominandi ſunt *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Iuuencus*, nec *Baſilius M.*, quamuis enim hic Moral. Reg. 51. eos, qui alios criminentur, ſe ipſos a ſcelere puros noſſe debere, doceat, non neceſſe habebat, pericopam noſtram in auxilium vocare, ad doctrinam illuſtrandam, quam aliis aptioribus ſcripturae locis illuſtrat. *Origenis* porro Commentar. in Ioh. valde mutilus ad nos peruenit, et in explicatione huius Euangelii multa omittit, deeſt in ipſius commentario non ſolum pericopa noſtra, ſed c. 5. 6. 7. vsque ad 8, 19. Neque ex *Chryſoſtomi* ſilentio conſequitur, hiſtoriam ex *Antiochenis* exemplaribus abfuiſſe, (v. Montefalconii Praef. ad T. 8. §. 5.) fortaſſis enim pius et religioſus orator non e re eſſe putauit, genti, vt ex ipſius concionibus arguitur, adulteriis deditae, hanc hiſtoriam exponere. Etiam alibi *Chryſoſtomus* in Homiliis ſuis nonnullos Euangelii Ioh. locos ſilentio praetermittit. *Nonnus* denique in Metaphraſi poëtica Euangelii Ioh. hunc locum quidem praetermittit, ſed is etiam alios locos ſacros

praetermittit, vt *Heinſius* in Ariſtarcho Sacro c. 12. obſeruauit. — v *Stäudlinius* l. c. Diſſ. 2. p. 7 ſqq.

2) „Si haec pericopa pars genuina Euangelii Iohannis erat, vel caſu excidit e tot libris, vel conſulto omiſſa eſt. Caſu eam e tot libris excidiſſe, plane improbabile eſt. Dicunt ergo, rationem pericopae omittendae ſitam fuiſſe in eo, quod qui eam e codd. ſuis auferrent, metuerent adulterii excuſationem et impuritatem ex ea ipſa petitum iri, cur vero ea non in *occidentalibus* et *recentioribus* codd. aeque ac in *Orientalibus* et *antiquioribus* codd. omittitur? Chriſtiani Occidentales magis etiam quam Orientales, et ſequiore aetate magis quam priore in morum diſciplina auſteri et rigidi erant. Videmus autem pericopam nonniſi per codd. *Occidentales* eosque recentiores innoteſcere et propagari. Pauca praeterea tantum apud ſcriptores antiquos veſtigia iſtius metus, ne ex pericopa peccati excuſatio peteretur, deprehenduntur (v. *Paulus* p. 408 ſq.). Perquam igitur probabile eſt, ex Euangelio apocrypho hanc pericopam eſſe inſertam. Fuerunt, qui putarent, eam ex *Euangelio ſecundum Hebraeos* in hunc locum veniſſe, quia Euſebius H. E. 3, 39. poſtquam retulit, Papiam Iohannis diſcipulum, in ſcriptis ſuis, vti teſtimoniis ex priori Iohannis epiſtola et ex priori Petri deſumtis, addit: *ἐκτέθειται δὲ καὶ ἄλλην ἱςορίαν περὶ γυναικὸς ἐπὶ πολλαῖς ἁμαρτίαις διαβληθείσης ἐπὶ τοῦ κυρίου, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους Εὐαγγέλιον περιέχει*, *aliam quoque exponit hiſtoriam de muliere, quae multorum criminum coram Domino accuſata eſt. Quae quidem hiſtoria in Euangelio ſecundum Hebraeos ſcripta habetur.* Sed probari nequit, mulierem, cuius hiſtoria in Euangelio ſecundum Hebraeos, teſte Papia, extabat, fuiſſe eandem, de qua h. l. ſermo eſt; imo eas diuerſas fuiſſe, exinde patet, quoniam iſta de *multis peccatis* accuſata fuiſſe dicitur, haec de *ſolo adulterio* non accuſata tantum, ſed et in ipſo facto deprehenſa." vid. *Baronius* Annal. ad a. 99. n. 6. *Paulus* p. 410. Verum enimuero

facile reddi poſſunt, vt *Stäudlinius* p. 3. ſqq. docuit, rationes, cur eſſent, qui narrationem de adultera, e codd. ſuis auferrent, nulla autem probabilis, cur in textum inferretur. Inueniebant nimirum in narratione difficultates inextricabiles, easdem fere, quae ſupra memoratae ſunt. Inueniebant, quae cum Ieſu ſapientia conciliare non poſſent. Offendebantur inprimis eo, quod Ieſus adulteram non damnarat, vel ſi eo non offendebantur, verebantur, ne alii adulterii impunitatem inde concludentes, peccati materiam ſumerent, nolebant igitur legi in coetibus eccleſiaſticis, eamque e lectionariis tollebant. Eadem ratione permoti Patres in Homiliis malebant locum ſilentio praetermittere, quo accidere potuit, vt eſſent, qui locum ſpurium, nec a Patribus in ſuis exemplaribus lectum opinarentur. Fuiſſe autem his de cauſſis pericopam omiſſam euidenter patet ex *Ambroſii* Apologia Dauidis ſecunda Opp. T. 4. p. 395. ed. Eraſm. add. *Auguſtinus* c. Fauſtum 22, 25. de adulterinis coniugiis 2, 6. 7. Armenos, teſte Nicone, recitationem pericopae vulgo noxiam putauiſſe, eamque propterea eieciſſe, iam ſupra notatum eſt. Nec haec pericopa nonniſi per codd. Occidentales eosque recentiores propagata eſt. Legebatur ea in codd. Orientalibus et Occidentalibus antiquioribus et recentioribus, in aliis omittebatur, vt ſupra oſtenſum eſt. Qui hanc pericopam ab aliena manu ſiue ex Euangelio ſecundum Hebraeos, ſiue ex alio Euangelio incognito et apocrypho inſertam eſſe contendunt, rationem reddere debent, cur eo loco Euangelii inſerta ſit, quo nunc in plerisque codd. legitur. Hoc vero non poſſunt. Dicunt quidem, occaſionem dediſſe verba Chriſti Ioh. 8, 15. ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα (v. *Paulus* p. 410.), quod autem ipſorum iudicio ita incongruum et abſurdum fuiſſe (v. *Paulus* l. c.), vt cum nulla veri ſpecie dici poſſit. — *Stäudlinius* l. c.

3) „Magna lectionum varietas pericopae authentiam valde ſuſpectam reddit.“ *Beza*, *Semlerus*, *Morus*, *Pau-*

lus. Sed nulla lectio varians, in ipfa hiftoria aliquid mutat, vt ea credibilior fiat. Qui fpuriam narrationem effe perhibent, haud certius cauffas tot variarum lectionum explicare poffunt, quam ii, qui authentiam ipfius defendunt. *Schmidtius* in *Einleit. in d. N. T.* Th. 1. p. 159 fq. (v. et *Fabricius* Cod. Apocr. N. T. p. 356.) variarum lectionum copiam inde explicat, quod diuerfae verfiones Graecae ex narratione Hebraice primum in Euangelio fecundum Hebraeos defcripta ad nos peruenerint, fed maxima pars lectionum variantium ex hoc fonte deriuari non poteft. Eft in codd. quibusdam, quod in aliis non folum aliter expreffum, fed plane non eft. Narratio autem illa, quae extabat in Euangelio Hebraeorum, et quam *Papias* inde repetebat, fiue re diuerfa a narratione Iohannis, fiue eadem fuerit, occafionem dare potuit lectionibus variantibus in hac pericopa occurrentibus. Adfcribebant forfan iftam narrationem margini Euangelii Iohannis, quo accidere poterat, vt librarii modo hoc, modo illud additamentum vel verbulum in textum Iohanneum inferrent, v. *Storrius üb. d. Zweck d. Evang. Gefch.* p. 230. Obiicitur, codices, qui maxime a textu Occidentali et Conftantinopolitano pericopae aberrant, ex ea aetate effe, qua *Euangelium Hebraeorum* et *Papiae* liber non amplius circumferebantur, v. *Paulus* p. 413. refponderi vero poteft, ipfos codices Occidentales et Conftantinopolitanos in hac pericopa iam multum lectionibus fuis discrepare, alios vero codices, vel ad easdem recenfiones pertinere, vel, fi ad alias pertineant, et ferioris aetatis fint, ex antiquioribus codd. ductos effe poffe, in quos variantes lectiones ex Euangelio Hebraeorum et Papia irrepferant. Sed de his nil certi conftitui poteft, hoc tantum certum eft, copiam lectionum variarum neutiquam arguere, pericopam ipfam de adultera effe fuppofititiam. *Stäudlinius* l. c. p. 17 fqq. Narratio igitur de adultera, etfi breuis et concifa fit, atque a Iohanne nonnullae περιςάσεις, vt alias quoque omiffae

videantur, quae additae narrationi clariorem lucem affunderent; cum non contineat, quae minus probabilia aut repugnantia ſint, cum difficultates in ea obuiae non ſint inextricabiles, cum ſatis probabiliter oſtendi poſſit, qui factum ſit, vt in multis codicibus omitteretur, cum in diuerſarum recenſionum codd. antiquioribus reperiatur: neutiquam accedere poſſum iis, qui hanc ſectionem adulterinam putant, adſtipulor potius *Stäudlinio*, ſagaciſſimo huius pericopae defenſori, contendenti, narrationem argumentis cum internis, tum externis multo grauioribus, firmioribus, et pluribus poſſe defendi, quam oppugnari.

53. VIII, 1. 2. *καὶ ἐπορεύθη ἕκαςος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ*] *et ſuam quam quisque domum abiit.* Pro *ἐπορεύθη* in aliis libris e gloſſemate legitur, *ἐπορεύθησαν.* *Paulus* opinatur, eſſe h. l. ſermonem de iis, qui ad feſtum celebrandum Hieroſolymam ſe contuliſſent, plane enim otioſam eſſe hanc annotationem, ſi haec verba ſpectarent ſynedros. Hanc quoque opinionem fouiſſe videntur grammatici, qui in codd. ſuis *τὸν οἶκον* explanarunt per *τὰ ἴδια* l. *τὸν τόπον.* Sed cum in proxime praecedentibus de ſynedris ſermo fuerit, ad eos quoque haec verba referenda ſunt; et Euangeliſta his verbis ſignificare voluit, cum apparitores non adduxiſſent Ieſum, et ſynedrorum deliberationes de Ieſu perdendo v. 51. interpellaſſet Nicodemus, re infecta, ſoluto ſynedrio, ſuam quisque domum repetiiſſe. — Cap. VIII, 1. *εἰς τὸ ὄρος τῶν Ἐλαιῶν*, vid. Matth. 21, 1. Solebat Ieſus cum feſtis diebus Hieroſolymis commoraretur, noctu ex vrbe diſcedere, et concedere Bethaniam, quod oppidum ad radices montis oliuarum ſitum erat, vid. Matth. 21, 17. Luc. 21, 38. 22, 39. — 2. *ὄρθρου δὲ πάλιν παρεγένετο εἰς τὸ ἱερὸν*] *poſtridie diluculo repetebat templum.* Poſt *ὄρθρου* codd. nonnulli habent *βαθέως*, quod gloſſema ex Luc. 24, 1. in hunc locum irrepſiſſe videtur. *αὐτοὺς* praeceſſit vocabulum *λαός*, vid. ad 7, 49.

3. 4. ἄγουσι — πρὸς αὐτὸν] *adducunt — ad eum.* Verba πρὸς αὐτὸν DKU. alii, Syr. vtr. Perf. ω. Arm. Slau. 2. 3. Vulg. cant. for. Euthym. omittunt, alii ante οἱ γραμματεῖς ponunt, in aliis legitur προςήνεγκαν αὐτῷ. Adiecta funt haec verba πρὸς αὐτὸν a grammaticis. Supra 7, 45. ἠγάγετε etiam fimpliciter pofitum erat. — 4. λέγουσιν αὐτῷ· αὕτη ἡ γυνὴ κατειλήφθη ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη] *haec mulier in ipfo adulterii facinore eft deprehenfa.* Poft αὐτῷ alii addunt πειράζοντες, alii ἐκπειράζοντες, quae verba e v. 6. adfcripta videntur a grammaticis. Pro κατειλήφθη EGH legunt κατελήφθη, fed lectio vulgaris fana eft, nam vt iam *Erasm. Schmidius* ad h. l. obferuauit: „κατειλήφθη eft augmentum perfecti Atticum, tributum aorifto primo. Sicut enim in perfecto κατείληφα, κατείλημμαι pro καταλέληφα, καταλέλημμαι, ita κατειλήφθην quafi καταλελήφθην pro κατελήφθην." cf. et *Kypkius* ad h. l. ἐπαυτοφώρῳ fiue vt etiam diductis vocibus fcribitur, ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ fubintelligendum eft πράγματι, vid. *L. Bofius* de Ellipf. f. v. πρᾶγμα. Diod. Sic. 2, 28. μηνυθείσης αὐτῷ τῆς πράξεως αὐτοφώρου. add. Plato de Republ. 2. p. 88. ed. Marfil. Vfurpatur autem ἐπαυτοφώρῳ proprie de iis, qui *in ipfo furto* deprehenduntur; deinde ponitur de iis omnibus, qui *in quouis facinore deprehenduntur*, inprimis de iis, qui deprehenduntur in illicitis amoribus, tanquam qui furtiui fint, et furtorum nomine appellentur, vid. *Elfnerus* ad h. l. hinc de adulteris occurrit, vt h. l. Plutarch. de fluuiis p. 1150. quem locum *Albertius* laudauit: τὴν μητέρα μοιχευομένην ἐπαυτοφώρῳ καταλαβών. Aelian. H. Anim. 14, 3. μοιχευομένην γυναῖκα ἐπαυτοφώρῳ καταλαβών. Scholiaft. Doruill. ad Ariftoph. Plut. 455. ἐπαυτοφώρῳ εἰλημμένοι· φανερῶς ἐπ᾽ αὐτῇ τῇ κλεψίᾳ κρατηθέντες. Hefychius: ἐπαυτοφώρῳ ὁ ἐπ᾽ αὐτῷ τῷ κλέμματι εὑρεθεὶς, ἔτι κατέχων αὐτό. Interdum etiam ad rem laudabilem transferri folet, vt ap. Xen. Oecon. 18, 3. conf. omnino *Spanhemius* ad Ariftoph. Plut. l. c. *Gatackerus* Aduerf. c. 9. p. 496. *Elfnerus*, *Mün-*

thius, *Raphelius* Obff. Herodo. *Wetftenius*, *Kypkius* ad h. l. Caeterum fuerunt qui putarent feminam illam falfo ab iftis Zelotis adulterii fuiffe accufatam, quod tamen ex ipfa narratione demonftrari nequit. Quaefiuerunt etiam nonnulli, qui factum fit, vt mulierem tantum adulteram adduxerint, non vero virum adulterum? vid. *Paulus* ad h. l. bene refpondit *Rufius*: ille forte fe proripuerat. Omnino breuis et fuccincta eft narratio, nec huiusmodi interrogationibus hiftoriae veritas euertitur.

5 — 8. Vid. notata fupra A. n. 4. 3. 5. Pro λιθοβολεῖσθαι in aliis libris legitur λιθάζειν, in alies λιθάζεσθαι, adfcriptum videtur hoc verbum a grammaticis, quoniam Iohannes aliis in locis verbo λιθάζειν vfus eft, non λιθοβολεῖσθαι, vid. 10, 31. 32. 33. 11, 8. Pro ἵνα ἔχωσι κατηγορεῖν αὐτοῦ in multis libris fcriptum extat ἵνα ἔχωσι κατηγορίαν κατ' αὐτοῦ (Luc. 6, 7.), quae lectio quoque gloffema fapit, conftructionem explicare voluerunt. Neque tamen verbi ἔχειν cum infinitiuo conftructio in libris N. T. infrequens, vid. *Schleufneri* Lex. h. v. Eft autem elliptica locutio, atque voc. αἰτία fubintelligendum. — 6. Pro vulgari ἔγραφεν plures libri habent κατέγραφεν, quae lectio verior videtur, cum faepius librarii verba compofita mutarint in fimplicia, vid. Ind. Eu. Lucae. — 7. ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν κ. τ. λ. neque condemnabat neque abfoluebat Iefus feminam, fed ita refpondebat, vt bene intelligerent accufatores, fe non ignarum effe ipforum in· dolis, vid. et not. fupra A. n. 6. V. 8. in nonnullis libris adiectum legitur, ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας, quae verba originem fuam debent grammatici nefcio cuius hiftoriam illuftrandi ftudio.

9. Verba καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι in multis codd. et verff. antiquis non leguntur atque ea ipfa quoque gloffema redolere videntur; quodfi vero etiam omittuntur, ipfe tamen contextus docet, Iefum oratione

sua conscientiam eorum commouere voluisse, eosque maleficiorum conscientia stimulatos et pudefactos discessisse. εἷς καθ' εἷς Hebr. אֶחָד כְּאֶחָד pro εἷς καθ' ἕνα, singuli, vt Rom. 12, 5. v. ad Marc. 14, 19. ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἕως τῶν ἐσχάτων] honoratiores pariter atque inferioris conditionis homines. πρεσβύτεροι, honoratiores, primores, οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι supra v. 3. ἔσχατοι, vilioris conditionis homines (1 Cor. 4, 9. homines postremi Cic. pro Rosc. c. 47.), qui Zelotas illos comitati erant. Alii verba: ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων κ. τ. λ. vertunt: seniores aeque ac iuniores; cuius tamen vocabuli ἔσχατοι significatus exempla alia desiderantur. Pro ἐν μέσῳ ἑστῶσα alii libri exhibent ἐν μέσῳ οὖσα; lectio ἑστῶσα a grammaticis adscripta fuisse videtur, quoniam v. 3. legitur: καὶ στήσαντες αὐτὴν ἐν μέσῳ.

10, 11. Verba καὶ μηδένα θεασάμενος πλὴν τῆς γυναικὸς in aliis libris desunt, in aliis legitur εἶδεν αὐτήν, in aliis omissa sunt verba πλὴν τῆς γυναικός, quae certa sunt interpolationis indicia. οὐδείς σε κατέκρινεν, nemone tibi poenam lapidationis inferendam iudicauit? — 11. οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω κ. τ. λ.] neque ego in te sententiam mortis feram, abi, nec in posterum adulteria committe. Iesus in caussis forensibus iudex sedere nolebat, vid. not. ad Luc. 12, 14. ne vero adulterium excusare aut approbare videretur, dicebat mulieri: μηκέτι ἁμάρτανε. Apposite Lampius ad h. l.: Non ex hoc dicto Domini οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω, quoniam damnare adulteram noluit, consequitur adulterii impunitas. Si istud argumentum valeret, eadem ratione quis argumentari posset, Christus inter fratres de haereditatis diuisione altercantes arbiter esse noluit, ergo non licet aut haereditatem diuidere, aut curare, vt lites inde ortae amice componantur. ἁμαρτάνειν vid. supra A. n. 6.

12. Sequuntur sermones a Christo aliis diebus in templo v. 20. 59. habiti. Ex iis interpretibus, qui locum

de adultera tanquam fpurium reiiciunt, haud pauci contendunt, ea quae inde ab hoc verficulo leguntur, dicta effe die vltimo fefti tabernaculorum, coll. 7, 37. et quidem vefpertino eiusdem diei tempore, quo duo infignis altitudinis candelabra aurea in atrio mulierum a facerdotibus effent accenfa, nec vllum Hierofolymis reperiretur atrium, quod non feftis luminibus colluftratum effet; inde explicandum effe monent, quod Iefus fe h. l. vocauerit φῶς τοῦ κόσμου, et vfus fit verbis: ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ v. 12. Sed candelabra illa accendebantur, et atria feftis ignibus collucebant *in exitu diei primi fefti tabernaculorum*, vid. *Wetftenius* ad h. l. et *Deylingius* Obff. Sacr. P. 2. p. 304. neutiquam autem probari poteft, feftos ignes accenfos fuiffe quouis die fefti tabernaculorum, atque adeo etiam die fefti vltimo h. e. feptimo aut octauo, vid. ad 7, 37. neque ergo ftatui poteft, Iefum a candelis et facibus accenfis occafionem tropi fumfiffe. Incerta quoque eft eorum ratio, qui Iefum a fole occidente tropum petiiffe autumant, vt *Paulus* ad h. l. Poterat Iefus omni tempore fe tanquam φῶς defcribere, et vero etiam faepius fe cum luce comparauit, v. fupra A. n. 10. Qui pericopam de adultera genuinam agnofcunt, eorum plerique putant, Iefum fermonem v. 3. adulterae accufatione interceptum, v. 12. continuaffe, atque adeo hunc fermonem habuiffe poftridie feftum tabernaculorum, coll. v. 2. Sic *Lampius*, *Rufius*, *Langius*, *Eckermanus*, alii. Sed nihil in omni oratione Chrifti v. 12 — 19. deprehenditur, quod illam hiftoriam de adultera refpiciat, aut ex ea lucem accipiat, vt inde colligi poffit, hanc fectionem cum prima capitis cohaerere. Longe probabilius eft, quae v. 12 — 19. leguntur, non poftridie diei vltimi fefti tabernaculorum, fed alio die eum dixiffe. Aduerbium enim πάλιν quam faepiffime ita ponitur, vt notet, *alio tempore*, vt v. 21. 9, 15. Act. 17, 32. al. et mirandum effet, Iohannem, fi formula πάλιν οὖν non indicare voluiffet, alio tempore nunc enarranda eueniffe, fine vlla addita anno-

tatione v. 13. Pharifaeos praefentes memoraffe, quos tamen antea abiiffe dixiffet v. 9. 10. coll. v. 3. quodfi, vt volunt ii, qui v. 12. cum praecedentibus cohaerere exiftimant, alii Pharifaeorum fectae addicti, turbae adftanti fefe immifcuiffent, iique v. 15. Chrifto oblocuti effent, id certe Euangelifta monere non omififfet. αὐτοῖς nempe τῷ λαῷ v. 2. ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου κ. τ. λ.] *ego fum illa lux mundi*, doctor ille hominibus promiffus, *qui me fectatus fuerit, non verfabitur in tenebris*, in ignorantia, vitiofitate, et inde oriunda miferia, *fed habebit lucem falutarem*, doctorem qui ipfum omni ex parte beatum reddat, vid. ad 1, 4. 5. 9. 6, 63.

13—15. Sed Pharifaei, qui aderant, obiiciebant Iefu: *tu de te ipfo teftaris*, te ipfum commendas, *teftimonium tuum neutiquam eft fide dignum*, in tua cauffa teftis prodire non potes, vid. ad 5, 31. Pharifaeorum obiectionem duobus argumentis Iefus refellit. Ac primo quidem v. 14. 15. monet, in vita communi et rebus humanis, illam regulam non effe reiiciendam, fed in fua perfona exceptionem ab hac regula admittendam effe, fe coelitus demiffum, cui fit pleniffima confiliorum Dei cognitio 6, 46. ipfos, rerum coeleftium ac diuinarum ignaros edocere debere, quaenam fit vera legationis ac muneris fui ratio. πόθεν ἦλθον np. εἰς τὸν κόσμον, me coelitus miffum veniffe, vid. 7, 28. 6, 42. 46. καὶ ποῦ ὑπάγω, *et quo abeam*, vid. 6, 62. 7, 33. 16, 28. Continent omnino haec verba circumlocutionem legationis, quae primo accipi, deinde renuntiari folet. Senfus: teftimonium meum veriffimum eft, fcio enim qua auctoritate agam, fcio a quo fim miffus et quae mihi mandata fint data, vos fcire non poteftis, vos nefcitis, nifi per me difcatis. Vltima verba: ὑμεῖς δὲ οὐκ οἴδατε κ. τ. λ. quae in codd. permultis defunt, a librariis ob ὁμοιοτέλευτον omiffa funt. Pro καὶ ποῦ altera vice pofitum, in nonnullis libris ex interpretamento legitur ἢ ποῦ. — 15. ὑμεῖς κατὰ τὴν σάρκα κρίνετε, vos

externam speciem secuti iudicatis, atque adeo sinistre, temere iudicatis et fallimini, vos me legatum diuinum et Messiam non habetis, praeconceptis opinionibus abrepti, ob conditionem meam externam, tenuitatem externam. ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα, *sic ego non iudico*, non externam speciem sequor; repetendum est κατὰ τὴν σάρκα, quod praecessit. Inest autem omnino his verbis sententia haec: adeo sinistre a vobis non est iudicandum. *Storrius* Opuscc. T. 3. p. 245 f. in verbis ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα subintelligit μόνον atque haec verba cum sequentibus ita connectit: ego solus de nemine, nec de me ipse (v. 17. 13.), nec de aliis, vt de vobis (v. 26.) iudicium facio. Quapropter (δὲ vid. *Storrii Erklärung des Briefs an die Hebr.* p. 456.), etiamsi (cf. v. 14.) ego iudicem, iudicium meum verum est, quia *solus* non iudico (οὐκ εἰμὶ scl. ὁ κρίνων, coll. 8, 18. ὁ μαρτυρῶν), sed ego, et qui me misit pater coniuncte (v. 17.) iudicamus. *Flattus* Symbolar. ad illustranda grauiora quaedam Iesu dicta in Eu. Ioh. P. 1. p. 31. verba Christi hunc in modum interpretatur: Vos externa specie aliorum sentiendi, agendique rationem metimini (condemnatis), equidem hanc legem vniuersim sequor, vt de moribus sensibusque aliorum iudicio haud decernam. Sin autem aliter fiat, iudicia mea vera sunt, feruntur enim monente et consentiente Patre v. 28. *Eckermanus* denique *Erklärung aller dunkeln Stellen des N. T.* P. 2. p. 72. ita sensum constituit: vos praeconceptis opinionibus abrepti, me condemnatis, me impostorem habetis, quod terrenum Messiam exspectatis, ego condemno neminem, propterea quod me Messiam non agnoscit, nihilominus enim vir probus atque cordatus esse potest, coll. Matth. 12, 32. Verum haud credibile est, vt recte animaduertit *Flattus* l. c. Iesum his auditoribus (v. 19. 21. 23 f.) talia dixisse.

16. 17. Sequitur alterum argumentum. Non ego solus de me testimonium perhibeo, testatur quoque de me Deus, me esse doctorem illum generis humani promissum,

nempe per opera quae Dei iuſſu et auctoritate, ſingulari ipſius auxilio adiutus perago, vid. 5, 32. 36. 14. 10. 15, 24. 10, 25. 37. 38. *καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγὼ, ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθής ἐστι*] *quodſi ego iudicium*, teſtimonium, *profero*, vt iam protuli, ſi de me teſtimonium perhibeo, *illud fide dignum eſt*. Scilicet *κρίνειν* h. l. idem eſt quod *μαρτυρεῖν*, et *κρίσις* idem valet quod *μαρτυρία*, iubente orationis ſerie ac parallelismo, coll. v. 14. 16. et v. 18. vbi ſententia v. 16. repetitur, diſerte adhibitum legitur verbum *μαρτυρεῖν*. cf. etiam *Wolfius* in Curis et *Raphelius* Obſſ. Herodo. ad h. l. *ὅτι μόνος οὐκ εἰμὶ* ſcl. *ὁ κρίνων*, *cum ego non ſim ſolus iudicans* ſ. teſtis, *ſed pater quoque qui me miſit*.

17 — 20. *In ipſa lege veſtra ſcriptum eſt, duorum hominum teſtimonium eſſe fide dignum*, vid. Deut. 17, 6. coll. Matth. 18, 16. quidni ergo meum teſtimonium fide digniſſimum ſit, cum non tantum ego, legatus diuinus, de me teſtimonium perhibeam, ſed et pater, qui me miſit, conſentiat? — 19. *ἔλεγον οὖν αὐτῷ· ποῦ ἐστιν ὁ πατήρ σου;*] *iam eum interrogabant*, Phariſaei, *vbinam eſt pater tuus?* Ieſum per patrem, Deum ipſum innuere, probe intelligebant Phariſaei, multoties enim Ieſus Deum, patrem ſuum nominarat, ſed quo ei inſultarent, ridentes, oculosque circumferentes eum interrogabant: vbinam eſt pater tuus, alter ille teſtis, vt eum interrogemus, eius teſtimonium audiamus? nos alterum teſtem non conſpicimus. Indignabundus iis Ieſus reſpondebat: haec veſtra interrogatio animi veſtri malignitatem prodit, ſatis aperte declarat, vos neque me, quis ſim, cognoſcere velle, neque patrem meum, *ſi quis ſim cognoſcere velletis*, ſi cognoſcere velletis me eſſe doctorem hominum, legatum diuinum coelitus demiſſum, *cognoſceretis quoque patrem meum*, Deum eſſe qui de me teſtetur, *τὴν μαρτυρίαν τοῦ πατρὸς περὶ ἐμοῦ* v. 18. etſi non forma viſibili praeſens ſit, et teſtimonium de me perhibeat 5, 37. — 20. *ταῦτα τὰ ῥήματα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ*] *hos ſermones Ieſus habuit apud*

aerarium sacrum. γαζοφυλάκιον, *aerarium, thesauri conditorium*, quod erat in atrio mulierum, vid. ad Marc. 12, 41. ἐν *ad, apud*, vt Hebr. ב, Ioh. 5, 13. Luc. 13, 4. καὶ οὐδεὶς ἐπίασεν αὐτὸν, *neque quisquam ei manus iniicere audebat*, vid. ad 7, 30.

21. εἶπεν οὖν πάλιν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς] *alio tempore iis Iesus dicebat.* Versus qui praecessit sat clare docere videtur, ea quae inde ab hoc versu leguntur, a Iesu alio tempore dicta esse, neque ipsa oratio, quae sequitur, cum superiori oratione arctiori nexu cohaeret. πάλιν vid. ad v. 12. αὐτοῖς intelliguntur Pharisaei et primores populi v. 13. 22. ἐγὼ ὑπάγω κ. τ. λ.] ego discedam, et vos Messiam, atque adeo me, qui Messias sim, auxilium meum desiderabitis, sed frustra, ego, Messias, in coelo versabor, quo vos me inde deducere non poteritis, meum auxilium in calamitate publica vobis imminente, deerit, vid. not. ad 7, 34. καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε] *et propter peccata vestra misere euadetis.* Per ἁμαρτίαν intelligi debet ἀπιστία, non exclusis aliis peccatis cum ea coniunctis, ex eaque promanantibus, nam v. 24. legitur: ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν· Praepositio autem ἐν h. l. notat *propter*, qua eadem ratione etiam vsurpari solet Hebr. ב, vt Ezech. 3, 19. הוא בעונו ימות *ipse propter improbitatem suam peribit*, οἱ ὁ habent ibi: ἐν ἀδικίᾳ αὐτοῦ ἀποθανεῖται. add. Ezech. 18, 26. 33, 9. 18. Matth. 6, 7. vbi v. not.

22. Malitiose primores populi haec Iesu verba pervertebant, et illa eo detorquebant, quasi dixisset, se sibi violentas manus illaturum esse. μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτὸν, *num ipse se occidet?* αὐτοχειρία Iudaeis in magno crimine habebatur, et Pharisaei statuebant animas eorum, qui se ipsos interfecissent, tenebricosiore Orci loco receptum iri. Ioseph B. I. 3, 8. 5. ὅσοις δὲ καθ᾽ ἑαυτῶν ἐμάνησαν αἱ χεῖρες, τούτων μὲν ᾅδης δέχεται τὰς ψυχὰς σκοτιώτερος. vid.

Lampius ad h. l. et *Seldenus* de I. N. et G. Lib. 4. c. 1. p. 474 sq. Caeterum temeraria *Tanaq. Fabri* coniectura, Epiſtolar. L. 2. p. 159., qua contra omnium codd. auctoritatem ἀποκτενεῖ conuertit in ἀποξενοῖ, hoc ſenſu: *numquid in exteras terras proficiſci parat?* vid. Ioh. 7, 35. iam ſatis exploſa et refutata eſt ab aliis, vid. *Wolfium* in Curis ad h. l.

23. 24. Opponuntur ſibi inuicem h. l. τὰ ἄνω ſcl. μέρη (de qua ellipſi vid. *L. Boſius* ſub μερῶν) h. e. *coelum*, vid. interpp. ad Col. 3, 2. et τὰ κάτω μέρη h. e. *terra*, vt adeo ἐκ τῶν ἄνω ſit id. qd. ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, et ἐκ τῶν κάτω id. qd. ἐκ τῆς γῆς. Sed praepoſitio ἐκ non ſolum indicat ſenſu proprio originem ex re aliqua, verum etiam arctam cum ea communionem, vt v. 44. Rom. 2, 8. 4. 14. Terrenum autem nominatur etiam id quod vile et imperfectum eſt; coeleſte contra, quod perfectum atque excellens. Iam cum h. l. Chriſtus notarit primorum populi ἀπιστίαν, coll. v. 24. per ſe intelligitur, verbis ἐκ τῶν κάτω et ἐκ τῶν ἄνω εἶναι non tam ſignificari eum qui e terra, et qui e coelo oriundus ſit, ſed potius ſenſum verborum ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστὲ eſſe: vos terreni terrena, vilia tantum ſapitis, humilis eſt veſtra ſentiendi et agendi ratio, Meſſiam terrenum, opes, voluptates, honores, deſideratis; et verbis: ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμὶ, hunc ſenſum ſubſtituendum eſſe: ego, qui coelitus veni, diuina ſapio, Dei conſilia cognita habeo, ſequor et vobis aperio. Formula ἐκ τοῦ κόσμου εἶναι reſpondet formulae quae praeceſſit ἐκ τῶν κάτω εἶναι. Vocabulum autem κόσμος haud rarenter in deteriorem partem adhibetur, ita, vt deſignet *vulgus improborum, contumacium, peruicacium*, ἀπίστων, ἀπειθούντων, homines veritatem diuinam, doctrinam Chriſti contemnentes et repudiantes Ioh. 16, 8. al. vid. *Knappii* Opuſcc. p. 534. Itaque ſenſus verborum ὑμεῖς ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἐστέ κ. τ. λ. eſt: vos ita ſentitis et agitis, vt homines improbi atque peruerſi ſentire et agere ſolent;

ego vero fentio, loquor et ago, quae Deo probantur, mea fentiendi et agendi ratio a veftra eft cummaxime aliena. -- 24. *Quare dixi, vos per iftam malitiam ac perverfitatem veftram effe miferos euafuros*, ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι, *nifi enim vobis perfuaferitis, me illum effe*, nempe vt nonnulli interpretes volunt, quem exfpectatis, rectius, opinor, vid. v. 25. 28., quem me effe profiteor, legatum diuinum, Meffiam. De hoc enim capite maxime agebatur, vtrum Iefus pro legato diuino, Meffia effet habendus, confirmat hanc interpretationem etiam vfus verbi πιστεύειν, et v. 23. Eadem quoque ratione formula Hebraica אֲנִי־הוּא, ἐγώ εἰμι de Deo vfurpata notat: fum quem me effe profiteor, Deus fum Deut. 32, 39.

25. ἔλεγον οὖν αὐτῷ· σὺ τίς εἶ;] *at illi: quisnam tu es?* quaeftio per contemtum prolata, tu quis es, qui tam magnifica de te praedicare, nos tam grauiter reprehendere, et talia nobis minari poffis? τίνα σεαυτὸν ποιεῖς; v. 53. τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν] *idem omnino* l. *profecto, quem me etiam coram vobis profiteor.* Diuerfae funt quod horum verborum fignificatum attinet et nexum, qui inter ea ac reliqua quae fequuntur intercedit, interpretum fententiae. Plerique haec verba explicant: *ego fum is, quem me etiam ab initio muneris mei* (alii: *initio orationis meae* v. 12. fed quae v. 12. leguntur, alio tempore dicta effe, ad v. 21. oftenfum eft) *effe profeffus fum.* Ad ἀρχὴν fubaudiunt κατὰ, vt fit idem quod ἀπ᾽ ἀρχῆς, *initio, ab initio*, vt in verfione Alexandrina Gen. 43, 19. Dan. 8, 1. Aefchin. Socr. 2, 19. et omiffo articulo, ἀρχὴν ib. Dial. 3. §. 16. Particulam καὶ vertunt *iam* Hebr. עַתָּה 2 Regg. 19, 25. 2 Chron. 30, 8. ibi LXX. vel, *etiam*, vel eam redundare putant, vid. *Schleufneri* Lex. fub καὶ n. 33. ὅ, τι *quod* Matth. 18, 28. Luc. 10, 35. Ioh. 2, 5. monent effe idem quod ὅντινα, et ὅντινα pofitum effe pro ὅν, vt v. 53. ὅστις pro ὅν, fubintellecto ἐκεῖνος. Laudant 1 Ioh. 3, 2.

οὕτω ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα. Curtium 7, 8. 26. *Homo es; id quod es, femper, effe te, cogita.* Cic. ad Diu. 5, 12. *Neque tu es, qui, quid fis, nefcias.* Ouid. Trift. 3, 8. 38. 4, 1. 99. Aelian. H. V. 4, 8. quibus in locis quoque neutrum pro mafculino pofitum fit. Denique λαλῶ explicant ἐλάλησα l. λελάληκα, *dixi.* Sic fere *Flacius*, *Beza*, *Glaffius*, *Lightfootus*, *Heumanus*, aliique a *Wolfio* in Curis, et *Koechero* in Analectis ad h. l. laudati. *Boltenius* vertit: *primus fum omnium* (Col. 1, 17. Ioh. 8, 58.), *qualem me etiam nunc coram vobis profiteor.* Accufativum pro nominatiuo pofitum effe ftatuit, quem fequens pronomen in fuum cafum pertraxerit *Glaffius* Phil. S. p. 168. ed. *Dath.* Iam haec ipfa verba cum fequentibus ita cohaerere putat: *hoc veftra cauffa vberius explanandum effet a me, fed fide dignus eft qui me mifit, nec nifi ea quae ab eo accepi, hominibus trado.* Huic tamen interpretationi plura obftant. Verbum κρίνειν idem effe ftatuitur quod διδάσκειν, fed huius fignificationis verbi κρίνειν exempla defiderantur. Neque vero etiam Iefus, fi eam, de qua *Boltenius* cogitat, fententiam exprimere voluiffet, ita fimpliciter dixiffet πολλὰ ἔχω κρίνειν, nulla obiecti τοῦ κρίνειν notatione addita. Si Iefus ipfe fentiebat, effatum fuum (vt *Boltenius* illud explicat) *ego fum primus omnium,* Iudaeorum adftantium cauffa accuratiore interpretatione indigere, non facile perfpicitur, cur eam adiicere omiferit, et fimpliciter prouocauerit ad veracitatem Dei, doctrinae fuae auctoris. Alii τὴν ἀρχὴν fcl. κατά· vertunt: *omnino, prorfus, profecto, vere.* Sic τὴν ἀρχὴν et ἀρχὴν, etfi hanc vim vocis haud raro interpretes non affecuti fint, faepius legitur, vt ap. Xenoph. Sympof. 1, 15. Oecon. 2, 11. 8, 2. Cyrop. 1, 2. 3. Aefchin. Socr. 3, 4. Herodo. 2, 95. 3, 16. Philo de Abrah. p. 366. C. vid. *Reimarus* ad Dio. Caff. T. 2. p. 1328. *Taylor* ad Lyf. p. 163. mai. *Bengelius* ad Chryfoft. de facerdot. p. 425 f. *Hemfterhufius* ad Lucian. Tim. §. 26. *Raphelius*, *Elfnerus*, *Loefnerus* ad h. l. atque hanc notionem voci τὴν ἀρχὴν inter-

pretes plurimi h. l. rectiſſime ſubſtituerunt, vid. *Wolfius* et *Koecherus* ad h. l. Ex iis autem nonnulli, vt *Raphelius* Obſſ. Herodo. ad h. l., verba ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν in parentheſi poſita eſſe iudicantes, τὴν ἀρχὴν cum prioribus v. 26. verbis coniungenda cenſuerunt, hoc ſenſu: omnino ſ. vere (id quod coram vobis libere profiteor) multa habeo, quae de vobis dicere, et in vobis reprehendere poſſim. Hac vero explicatione admiſſa, nihil continerent verba Chriſti, quod interrogationi Phariſaeorum, quae praeceſſit: σὺ τίς εἶ; aptum et accommodatum eſſet. Praeſtat igitur vulgarem interpunctionem retinere, et inhaerere interpretationi verborum iam ſupra propoſitae, quae ſimplicitate et facilitate ſeſe commendat: τὴν ἀρχὴν (εἰμὶ ἐκεῖνος) ὅν καὶ καλῶ (id. qd. λέγω) ὑμῖν, *omnino is ſum, quem me etiam coram vobis profiteor*, ſum legatus diuinus, Meſſias.

26. 27. πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν] *multa habeo de vobis dicenda, et vobis exprobranda.* ἔχω λαλεῖν vid. ad Luc. 7, 40. κρίνειν quo explicatur et accuratius definitur verbum quod praeceſſit λαλεῖν, inter alia ſignificat, *exprobrare, vituperio et poena dignum declarare, improbitatis damnare*, vt Matth. 7, 1. 2. Rom. 2, 1. 14, 22. Sed nexum priorum huius commatis verborum cum proxime ſequentibus: ἀλλ' ὁ πέμψας με κ. τ. λ. vario modo conſtituunt interpretes. *Grotius*, *Semlerus*, *Roſenmüllerus*, *Morus*, verbis ἀλλ' ὁ πέμψας κ. τ. λ. vnum illud afferri ſtatuunt, quod Chriſtus e *multis* quae Iudaeos reprehenſurus proferre *poſſit*, ſi velit, nunc inprimis eligendum exiſtimet, ſenſum igitur et nexum orationis hunc eſſe putant: multa de vobis dicere haberem ſ. poſſem (v. ad Marc. 14, 8.) ad vos notandos ſcilicet propter ingenii tarditatem et pertinaciam, multa vobis poſſem exprobrare, ſed hoc aduerſum vos pro hoc tempore ſufficiat, quod ille, qui me miſit, in omnibus rebus fide ſit digniſſimus. Quare mihi merito credere deberetis, quod cum non fa-

ciatis, eftis inexcufabiles. Alii, vt *Langius*, verbis: ἀλλ' ὁ πέμψας με κ. τ. λ. cauffam proferri exiftimant, quare Iefus, etfi multa de Iudaeis monenda habeat, plura tamen dicere nolit, quibus animo Iudaeis illis fuccenfenti et indignanti fatisfaciat: quamquam, fi voluerim, multa poffim in vobis (doctrinae meae pertinacia peffima repugnantibus) acerbè reprehendere, abfit tamen, vt indignationi meae, iuftae quidem, indulgeam, atque vos veftramque peruerfitatem reprehendendo delecter! imo nil eloquar, nifi quod a patre Deo accepi, qui me ad homines ablegavit, eft enim veraciffimus. Sed vt contra hanc interpretandi rationem docte monuit *Schottus* in Disf. de locis quibusdam Eu. Iohannei, Lipf. 1808. 4. p. 29. non patet, quomodo Iefus cauffam, quare Iudaeos nolit pluribus verbis notare et caftigare, inde potuerit repetere, quod nihil eloqui conftituerit, nifi quod a patre Deo ipfi traditum fuerit atque demandatum. Neque enim illa Iudaeorum reprehenfio voluntati atque confiliis Dei adverfari potuit (cum confilium Dei homines per Iefum emendandi fponte fecum ferat, vt opinionibus praeoccupatis et cupiditatibus prauis indulgentes edocerentur, et quae vituperio digna effent, libere caftigarentur), neque Iefum, vbi cum talibus doctrinae et cauffae fuae aduerfariis, Pharifaeis inprimis et legisperitis, agit, tali cauffa videmus impeditum, quo minus illam animi perverfitatem fumma orationis grauitate et efficacia caftigaret. Reprehenfio quidem, quae animum prodit vltionis atque vindictae cupidum, non poteft Deo probari; aliud tamen eft, reprehendendis vitiis atque erroribus animo indignanti atque vindictam efflagitanti fatisfacere, aliud hominem notandum eo caftigare vituperio, quod ex intimo veritatis, virtutis, religionis amore i. e. fenfu animi vere diuino fuam ducat originem, atque confilium fequatur (Deo probatiffimum et fanctiffimum) veritatis, virtutis, religionis ftudium inter homines promovendi. Neque vllum apparet in omni orationis ferie

veſtigium, vnde colligi poſſit, Ieſum illa dicentem πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν de eo cogitaſſe reprehendendi ſtudio, quod e fontibus impuris promanet. Rectiſſime igitur *Schottus* animaduertit, verba priora v. 26. πολλὰ ἔχω κ. τ. λ. non tam ea ſignificare, quae Ieſus, ſi velit, dicere poſſit, quam quae reuera et huc vsque dixerit v. 21. 23. 24. et porro moniturus ſit, magnam Iudaeorum peruerſitatem reprehenſione iuſta notaturus, ea vero quae ſequuntur, ἀλλ' ὁ πέμψας με κ. τ. λ., *veritatem* atque *iuſtitiam huius vituperii* affirmare, commemoranda Dei, cuius interpres inter homines prodierat, veracitate. Nempe oratio Chriſti breuis eſt atque conciſa, vt ſolet indignantium eſſe. Particula ἀλλὰ, quae in verſione Alexandrina reſpondet Hebr. אָכֵן, Iob. 32, 8. h. l. reddi debere videtur, *ſane*, *profecto*, *vtique*, vt Ioh. 16, 2. Rom. 6, 5. atque nexus et ſenſus orationis hic eſt: Quaeritis, quis ſim, qui tam grauiter vos reprehendere, talia vobis minari poſſim? Sum omnino is, quem me etiam coram vobis profiteor, legatus diuinus. Multa habeo de vobis dicenda, in vobis reprehendenda, profecto is, qui me miſit, veraciſſimus eſt, ego vero nonniſi quae ab eo accepi, quae mihi mandauit, hominibus trado, cum ergo vos vituperem, non ex proprio arbitrio, ἀπ' ἐμαυτοῦ, vos vituperio et poena dignos declaro, non iniuſta ac temeraria eſt mea veſtrae improbitatis et pertinaciae reprehenſio. λέγω εἰς τὸν κόσμον, id. qd. τῷ κόσμῳ, vt Marc. 1, 39. κηρύσσειν εἰς τὰς συναγωγὰς pro ἐν ταῖς συναγωγαῖς. add. ib. v. 9. 5, 14. οὐκ ἔγνωσαν, *nolebant intelligere*, Ieſum de patre ſuo coeleſti loqui, qui ipſum miſiſſet v. 26. nolebant eum legatum diuinum, Meſſiam, agnoſcere, quod voce et geſtu declaraſſe videntur. πατέρα ἔλεγεν, de patre vid. ad 6, 71.

28. ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου] *quando filium hominis*, me, *ſuſtuleritis*, nempe in crucem. De varia poteſtate verbi ὑψοῦν dictum eſt ad 3, 14. verbi am-

biguitas obſcuriorem reddebat orationem auditoribus. Habet enim ὑψοῦν etiam hanc vim, vt ſit, *ad dignitatem euehere*, et ita cepiſſe verbum videntur auditorum Chriſti plurimi, quare et leguntur in eum credidiſſe multi v. 30. explicabant nempe ſibi haec verba hunc in modum: quando me Meſſiam declarraueritis. Sed Ieſus verbo ὑψώσητε hoc ſenſu vtebatur: quando me in crucem egeritis, nam ſermo eſt in ſequentibus de re, quae Ieſu mortem ſecuta eſt, vid. et not. ad 3, 14. 12, 32. τότε γνώσεσθε ὅτι ἐγώ εἰμι, *tunc intelligetis, me illum eſſe*, nempe, quem mé eſſe profiteor, legatum diuinum, Meſſiam, coll. v. 24. καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ ποιῶ οὐδὲν, *neque meo arbitratu quicquam facere*, poſt καὶ repetenda eſt particula ὅτι, verbum autem ποιεῖν latiſſimo ſenſu accipiendum, ita, vt quaecunque Ieſus faciat, ipſam quoque docendi prouinciam, eiusque adminiſtrationem ſignificet. Ieſum autem legatum diuinum, Meſſiam eſſe habendum, et irrita fuiſſe conſilia hoſtium eum e medio tollendi, poſt eius mortem non modo apparebat ex ipſius in vitam reditu, ſed etiam e felici operis ipſius ſucceſſu, doctrinae ipſius laetiſſima propagatione, quam impedire aut deprimere nulla vis neque calliditas rei chriſtianae aduerſariorum poterat.

29. 30. Cauſſam affert, cur v. 28. dicta, euentum habitura eſſe confidat. μετ' ἐμοῦ ἐστιν, ſuo auxilio mihi adeſt, v. ad Matth. 12, 30. *Marklandus* ad Lyſiam p. 289. ἀφῆκε, *deſtituit*, vim praeſentis obtinet. Enallage temporum Iohanni frequens vid. Index. ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε, *ſemper quae illi grata ſunt, facio*, optima fide legatione mea fungor, v. 4, 34. 5, 19. 17, 4. — 30. ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος κ. τ. λ. *haec oratio multos, vt ipſi fidem haberent, impellebat*; eos libere profeſſos eſſe, ſe Ieſum legatum diuinum habere, eius doctrinam probare, in numero μαθητῶν αὐτοῦ eſſe velle, recte colligitur e verbis ſequentibus, quibus Ieſus eos allocutus eſt.

31. 32. *Quare Iesus eos, qui ipsi fidem praebuerant, his verbis allocutus est: si doctrinae meae constanter adhaeseritis: eritis discipuli mei genuini*, hoc nomine digni. *μένειν ἐν τῷ λόγῳ* est, *constanter doctrinam retinere, ita vt eam vita factisque exprimas.* Luc. 8, 15. *τὸν λόγον κατέχειν καὶ καρποφορεῖν.* infra v. 51. *τηρεῖν τὸν λόγον.* Sic *ἐμμένειν* Gal. 3, 10. *μένειν* 2 Tim. 3, 14. 2 Ioh. 9. Similis formula *ἐμμένειν τοῖς ὅρκοις καὶ συνθήκαις* ap. Lysiam Or. Gr. Vol. 5. p. 779. ed. *Reisk.* cf. et *Krebsius* atque *Loesnerus* ad Gal. I. c. *ἐςε* pro *ἔσεσθε*, vt 15, 14. — 32. *καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν*, vsu et experientia cognoscetis doctrinae meae veritatem, diuinamque originem, coll. v. 28. 7, 16 sq. *ἀλήθεια*, vt Hebr. אמת Ps. 86, 11. est religio vera, h. l. religio christiana, vt Gal. 3, 1. Col. 1, 6. al. id. qd. *ὁ λόγος ὁ ἐμὸς* v. 31. *ἐλευθερώσει ὑμᾶς*, *vos liberabit*, nempe a cupiditatum prauarum, vitiorumque imperio, coll. v. 34., vbi v. Verbum *ἐλευθεροῦν*, *in libertatem vindicare*, de seruis manumissis frequenter occurrit, vt ap. Eurip. Heraclidd. v. 788. 899. al. v. *Elsnerus* ad h. l., qui illa Epicteti ap. Arrian. 4, 7. p. 402. laudat: *εἰς ἐμὲ οὐδεὶς ἐξουσίαν ἔχει· ἠλευθέρωμαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἔγνωκα αὐτοῦ τὰς ἐντολάς. οὐκέτι οὐδεὶς δουλαγωγῆσαί με δύναται, in me nemo potestatem habet. Libertate sum donatus a Deo: noui eius mandata: nemo posthac in seruitutem redigere me potest.*

33. *ἀπεκρίθησαν αὐτῷ, obiiciebant ei. ἀποκρίνεσθαι* saepius simpliciter est, *loqui*, *dicere*, vt Act. 5, 8. 10, 46. Matth. 11, 25., vbi v. h. l. reddi debet, *obiicere*. Non autem *οἱ πεπιςευκότες* v. 30. 31. iam loquentes inducuntur, sed nonnulli e primoribus populi et Pharisaeis, qui aderant, id quod contextus planissime docet, coll. v. 37. (7, 32. 45.) 48. hi ergo, quos persuasio populi grauiter offenderet, vt vim orationis Iesu minuerent, eumque in inuidiam adducerent, sinistre ea interpretabantur, quae Iesus de libertate obtinenda dixerat. *σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε*] *Abrahami sumus nepotes, nec cui-*

quam vnquam feruiuimus. Negabant ergo feruilem originem et conditionem. σπέρμα Ἀβραὰμ, Abrahami posteri, et Isaaci (Rom. 9, 7.), non feruilis originis, non posteri Ismaelis, Abrahami et servae filii, Gen. 21, 11. 12. Gal. 4. 22. 30. σπέρμα. זרע, *posteri*, Matth. 22, 24. al. οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν, cum tamen non folum olim Hebraei feruierint Aegyptiis et Babyloniis, fed etiam tum, cum haec agerentur, Romanis fubiecti effent Iudaei: plerique interpretum veterum fumunt, Pharifaeos eo impudentiae progreffos fuiffe, vt in feruore huius disputationis omnino negare voluerint, cuius contrarium adeo clare conftaret, et apud ipfos in confeffo effet, v. Efr. 9, 7 fqq. Neh. 9, 36. etc. Iofeph. Ant. 14, 8. τὴν ἐλευθερίαν ἀπεβάλλομεν, καὶ ὑπήκοοι Ῥωμαίων κατέστημεν. Haec interpretatio cum parum probabilis fit, alii ftatuerunt, eos innuiffe *durius* feruitutis genus, quale fit mancipiorum, omni propria iurisdictione carentium, et ad feruilia opera venundatorum, v. quos laudauit *Lampius* ad h. l., qui animaduertit, Hebraeos in Aegypto fuos iudices et arbitros habuiffe, habitaffe in regione ab Aegyptiorum feparata, fuasque poffeffiones habuiffe, v. Ex. 8, 22. 9, 26. 10, 23. multo minus fub Babyloniis Hebraeos in talem feruitutis fortem fuiffe redactos, cum non folum Nabuchodonofarus deleta vrbe, reliquiis Iudaicis in Canaane Gedaliam indulferit, fed etiam in ipfa Babylonia feparatas fedes ipfis affignatas, et fuos principes habuerint Efr. 8, 14. 20. opibusque ita creverint, vt ad ftructuram templi regiam liberalitatem exercuerint, vid. Efr. 2, 69. At enimuero Aegyptiaca faltem feruitus duriffima erat, v. Ex. 1, 11 fs. 15 fs. 2, 11. longe melior erat Iudaeorum fub Romanorum imperio, quam in Aegypto et Babylonia, conditio, habebant fuos reges e familia Herodis, nec tantum in rebus facris, fed politicis etiam, libertate fruebantur, et fuis legibus viuebant, v. et ad Matth. 17, 24. 27, 15. 26, 66. Cic. in Pifon. 16.: *Lege Caefaris iuftiffima atque optima populi liberi plane, ac vere liberi erant;* cumque fermo fit h. l. de libertate illo

tempore, quo Iesus cum Iudaeis loqueretur, recipienda (*γενήσεσθε*, *vos liberi eritis*, *libertate donabimini*): assentior interpretibus iis, qui statuunt, eos locutos esse de se ipsis et suâ aetate, *nos liberi sumus, nunquam per omnem vitam nostram cuiquam seruiuimus*, sinunt nos Romani nostris legibus vti.

34. 35. Ostendit Iesus se non politicam libertatem, sed internam, moralem, libertatem a vitiorum seruitute promittere. *πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν, δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας*] *qui peccat, est peccati seruus. ἁμαρτία, peccatum, vitiositas*, proponitur h. l. tanquam tyrannus, vt Rom. 6, 17 sqq. Hac imagine non tantum Hebraei, sed Graeci quoque et Latini scriptores frequenter vtuntur, eumque, qui cupiditatibus suis prauis indulget, *seruum* nominant, Philo I. de vit. Mos. p. 648. C. *τοῦ πάθους δοῦλος, cupidinis seruus.* Cic. Somn. Scip. 9. *eorum animi, qui se corporis voluptatibus tradiderunt, eorumque quasi se ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium deorum et hominum iura violarunt.* Paradox. 5. *ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος.* add. Cic. I. Verr. c. 22. Claudian. IV. Conf. Honor. v. 259 sq. *Si metuis, si praua cupis, si duceris ira, Seruitii patiere iugum.* Sohar. Numer. fol. 73. col. 291. *Quicunque legi operam dat, is in omnibus rebus liber est.* Alios similes locos e scriptoribus profanis laudatos vid. ap. *Wetstenium* et Elsnerum ad h. l. add. *Gatackerus* ad Antonin. p. 38 sq. *Barthius* Aduersar. L. 16. c. 20. L. 60. p. 2829. et ad Claudian. p. 630 sq. *Ienfius* Lectt. Luci. p. 282. — 35. *ὁ δὲ δοῦλος οὐ μένει ἐν τῇ οἰκίᾳ κ. τ. λ.*] *seruus non perpetuo*, per omnem vitam *in familia manet, at filius manet.* Respexit Iesus id, quod fieri solet in vita communi. Serui sunt in potestate domini, non necesse est, vt perpetuo maneant in aedibus domini, nam vbi seruus aliquid deliquit, dominus eum vendere aut domo sua expellere potest, filii non expelli solent. Quemadmodum igitur serui malae frugis domo ex-

pelluntur, ſic vos, ſerui ſcelerum, domo, familia Dei expellemini, vel, Deus vos non tractabit vt liberos, vt τέκνα ſua, poenas luetis, propter peccata veſtra miſeri eritis, contra filii Dei hoc nomine digni, tractabuntur vt τέκνα τοῦ Θεοῦ, non expellentur, felices erunt. Vlterius comparatio non extendenda eſt.

36. 37. ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε] *quodſi filius vos libertate donauerit, vere liberi eritis.* ὁ υἱὸς eſt h. l. filius Dei, Chriſtus. ἐὰν ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, vbi doctrina ſua a vitiis ſceleribusque vos abstraxerit, coll. v. 32. ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε, vere liberi eritis, liberati a ſeruitute peccati, et felicitate filiorum Dei fruemini, Deus vos tractabit vt filios v. 35. Gal. 4, 7. Rom. 8, 2. 17. 21. Caeterum nonnulli interpretes opinantur alludi h. l. ad ritum quarundam Graeciae ciuitatum, in quibus filio haeredi, fratres adoptare, eademque ſecum illis iura concedere licebat. — 37. *Scio vos eſſe Abrahami poſteros*, vosque de hac origine veſtra gloriari v. Matth. 3, 9. at quantum defeciſtis ab eius moribus! eſtis filii degeneres, coll. v. 40. ἀλλὰ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι κ. τ. λ.] *attamen me interficere cupitis, quoniam doctrina mea in animos veſtros non penetrat.* Verbum χωρεῖν notat: *ire, vadere, abire, transire, penetrare.* Heſychius: χώρει· πορεύου, it. χωρεῖν, ἀπελθεῖν. Matth. 15, 17. εἰς κοιλίαν χωρεῖν. Xenoph. Anab. 4, 2. 16. τὰ τοξεύματα ἐχώρει διὰ τῶν ἀσπίδων καὶ διὰ τῶν θωράκων. Sapient. 7, 23. de ſapientia: διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων, *penetrat omnia.* Herodi. 5, 3. 21. διαβόητον ἐποίησαν τὴν Φήμην, ὡς εἰς πᾶν χωρῆσαι τὸ ϛρατιωτικὸν, *vulgarunt eam famam, ita, vt per totum exercitum vagaretur.* Hinc ſignificat etiam: *proficere, felici ſucceſſu gaudere.* Ariſtoph. Pac. 508. χωρεῖ γέ τοι τὸ πρᾶγμα πολλῷ μᾶλλον, ἄνδρες ὑμῖν· vbi ſcholiaſt. explicat: προκόπτει τὸ ἔργον. vid. *Elſnerus* ad h. l., qui verba noſtra vertit: *doctrina mea in vobis nil proficit.* Cui tamen interpretationi *Kypkius* oppoſuit, in hac phraſi,

ſemper vocabulum πρᾶγμα aut ſimile quid. vel reperiri, vel ſubintelligi, nunquam vero λόγος aut ſimile quid; praeterea ſemper datiuum perſonae comparere, vt adeo potius ὁ λόγος μοὶ οὐ χωρεῖ dicendum fuiſſet. Quare *Kypkius* verba reddenda putat: *non capit incrementa in vobis*; nullum tamen locum attulit, vbi χωρεῖν hoc ſignificatu adhibitum, praepoſitio ἐν ſequatur, ac praeterea male ſermonem Chriſti pertinere putat ad homines illos, quorum v. 30. 31. mentio facta erat, ad τοὺς πεπιστευκότας, dixit potius haec Ieſus primoribus populi, vid. ad v. 33. Cum vero praepoſitio ἐν perquam frequenter ponatur pro εἰς, et χωρεῖν ſequente εἰς ſit: *abire in locum aliquem, penetrare*, vt Matth. 15, 17. verba ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν exprimenda cenſeo: *doctrina mea in animos veſtros non penetrat*, vos male pertinaces eam ſpernitis ac repudiatis. Atque ita haec verba intellexit quoque Nonnus, qui habet: οὐ γὰρ ἐμός ποτε μῦθος ἐς ὑμέτερον φρένα δύνει, *non meus vnquam ſermo in mentem veſtram venit*.

38. Ne calumniarentur Iudaei iſti vocem, qua Ieſus vſus erat ὁ λόγος ὁ ἐμὸς, et vt ſimul oſtenderet, cur vim ſuam in animis ipſorum ſua doctrina explicare non poſſet; ſe non reiicienda proferre, ſed Dei patris ſui doctrinam tradere affirmat. ἐγὼ ὃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρί μου λαλῶ, *ego doceo, quae a patre meo accepi*: ὁρᾷν id. qd. ἀκούειν, *audire, diſcere*, vt Sir. 31, 11. 42, 15. Ioh. 3, 11. 32. καὶ ὑμεῖς οὖν ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε] *vos quae a patre veſtro didiciſtis, ſequimini*; pater meus et veſter disſentiunt, ego ſum vobis disſimilis, vos patris veſtri, geniorum malorum principis, omnis peruerſitatis auctoris v. 44. ſentiendi et agendi rationem imitamini, coll. v. 41. hinc non mirandum vos meam doctrinam reiicere, meque interficere ſtudere. Pro ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ in aliis libris legitur: ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς, quae tamen lectio gloſſema redolet.

39. 40. Quoniam Iesus non disertis verbis dixerat, quemnam patrem intelligeret, nempe geniorum malorum principem: homines isti male pertinaces simulabant se Iesu mentem non capere, et quo se defenderent, dicebant: *Abrahamus est parens noster*, alium parentem non agnoscimus. Iesus vero: εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε ἄν, *si Abrahami posteri* hoc nomine digni *essetis, exemplum Abrahami imitaremini.* τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ emphatice positum est, *filii patris similes*, vt Rom. 4, 12. Gal. 3, 7. Seneca ep. 44. *omnes hi maiores tui sunt, si te illis dignum gesseris.* Kiddusching in Deut. 14, 2. *Quamdiu vos geritis vt filios, vocabimini filii, quando autem vos non geritis vt filios, non vocabimini tales.* — 40. νῦν, *iam vero*, ἄνθρωπον ὃς τὴν ἀλήθειαν κ. τ. λ., *virum, qui veram doctrinam a Deo acceptam vobis tradidi.* τοῦτο, *tale quid.*

41. 42. Cum Iesus iam diserte dixisset, eos patris quidem, sed non Abrahami facta imitari, se doctrinam a Deo acceptam tradere, atque adeo aperte declarasset, se non de naturali ipsorum patre verba fecisse, respondebant: ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα· ἕνα πατέρα ἔχομεν τὸν Θεὸν] *nos non sumus liberi spurii, vnum patrem colimus, Deum.* ἐκ πορνείας γεννᾶσθαι est id. qd. τέκνα τῆς πορνείας εἶναι. Iudaei autem *idolorum cultum* vocabant πορνείαν et *idolorum cultores* בְּנֵי זְנוּנִים, τέκνα πορνείας, cf. Hos. 1, 2. 2, 3., vbi v. nos. Ies. 1, 21. Sapient. 14, 12. Mens ergo primorum populi erat: si non de naturali patre loqueris, non agnoscimus alium patrem, quam Deum, ei sumus filiorum instar, cari atque dilecti, eumque vnice colimus. „Loquuntur de vno patre, vt se opponant gentilibus, plures deos statuentibus, quibus *Patrum* nomen tribui solebant.“ *Lampius.* — 42. Tum Iesus: εἰ ὁ Θεὸς πατὴρ ὑμῶν ἦν, *si Deus pater vester esset,* si eum coleretis vt patrem, si essetis ita animati, vt vos esse vult, pietatis et probitatis studiosi, doctrinae ipsius cupidi,

ἠγαπᾶτε ἂν ἐμὲ, *me diligeretis*, doctrinam meam admitteretis, nec me, ἄνθρωπον ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα, ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ Θεοῦ, interficere ſtuderetis, coll. v. 40. ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω] *etenim ego a Deo miſſus veni.* ἥκω id. qd. ἐλήλυθα, v. 12, 46. 16, 28. 7, 29. *Beza* verbum ἥκω haud male reddidit *adſum*, nam qui venit, adeſſe intelligitur, temere tamen reprehendit interpretem Vulgatum, qui vertit *veni.* Habet enim praeſens ἥκω non tantum apud ſcriptores N. T. ſed etiam apud ſcriptores Atticos vim praeteriti temporis. Scholiaſt. ad Eurip. Hec. v. 1. τὸ ἥκω Ἀττικόν ἐςιν· οἱ γὰρ Ἀττικοὶ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν ἧκον, ἥκω λέγουσι. Sic ap. Herodo. 2, 114. verba ἦλθε et ἥκει vt idem valentia reperiuntur, cf. *Dauefius* Miſcell. Crit. p. 351. *Krebſius* et *Loeſnerus* ad h. l. οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, non propria auctoritate doctor prodii 7, 28. 5, 43. 1, 9.

43. διατί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε; ὅτι κ. τ. λ.] vulgo explicant: *cur meam doctrinam non agnoſcitis* pro diuina? *ſcilicet vos eam admittere non poteſtis*, ob animi veſtri malignitatem et pertinaciam 5, 44. 7, 7. Sed accuratior exiſtit orationis cohaerentia, ſi λαλιὰ et λόγος referuntur ad ea, quae hactenus Ieſus de Iudaeorum patre, quem imitarentur, dixerat, vt ſenſus ſit: *cur verba mea* haud obſcura, ea quae de patre veſtro dixi, *non vultis intelligere? nempe quoniam verba mea audire* ſ. *ferre non poteſtis*, quoniam ſunt vobis intolerabilia; ſic ἀκούειν legitur quoque 6, 60. γινώσκειν, *intelligere*, vt Matth. 13, 16. h. l. *intelligere velle*, vt ſupra v. 27. λαλιὰ, *dialectus*, v. Matth. 26, 73. etiam *ſermo*, Ioh. 4, 42. h. l.

44. 45. Itaque clarius dicam id, quod ſentio. ὑμεῖς ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐςὲ] *vos patrem habetis genium malum.* ἐκ τοῦ διαβόλου εἶναι eſt id. qd. τέκνον τοῦ διαβόλου εἶναι, τὸν πατέρα ἔχειν διάβολον, h. e. ſimilem ei eſſe, quod attinet ſentiendi et agendi rationem, eum imitari, 1 Ioh. 3, 8. 10. oppoſita formula ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι v. 47. καὶ

τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν] *et patris vestri cupiditatibus lubenter paretis*, voluntati ipsius obsequimini, quae ei placent, lubenter facitis. De hoc vsu verbi *θέλειν* vid. ad 6, 21. Ingenium agendique rationem Satanae sequentia verba depingunt. *ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς*] *ab initio ille homicida fuit. ἀπ' ἀρχῆς*, a rerum humanarum initio. Sunt qui putent respici h. l. Caini parricidium, quod Iudaei genio malo adscripserint tanquam auctori, quippe qui instigauerit Cainum, vt fratrem interimeret. Prouocant ad 1 Ioh. 3, 12. sed ibi *ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν* est simpliciter *similis ei erat*. Alii nomen *ἀνθρωποκτόνος* sensu latiori accipiunt, vertunt: *ab antiquissimis temporibus ille perniciem hominum quaesiuit*. Ad hanc vocabuli *ἀνθρωποκτόνος* significationem confirmamdam, laudant 1 Ioh. 3, 15. *πᾶς ὁ μισῶν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, ἀνθρωποκτόνος ἐστί*. Sophocl. Oed. Tyr. 534. vbi *φονεὺς* plures interpp. sensu metaphorico accipiunt. Cic. pro Coel. c. 18. *parcat iuuentus pudicitiae suae, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne foenore trucidetur*. At enimuero Iesus sentiendi et agendi rationem Iudaeorum, qui ipsum interficere cuperent, eiusque doctrinam, vtpote vitiis erroribusque dediti, repudiarent v. 37. 40. comparat cum Satanae sentiendi et agendi ratione, eosque Satanae voluntati lubenter obtemperare affirmat. Itaque vel hanc ob caussam voc. *ἀνθρωποκτόνος* sensu proprio accipiendum est, cumque antiquissima tempora, et mendacium Satanae commemorentur, cum Iudaeorum esset opinio, a genio malo peccati originem esse repetendam, eum mendacio et fraude homines primos ad peccatum seduxisse, adeoque mortis ipsorum auctorem fuisse, v. Sapient. 2, 24. Apoc. 12, 9.: planissimum esse arbitror, genium malum h. l. *ἀνθρωποκτόνον* dici, quatenus fuerit auctor peccati primorum hominum, eorumque adeo mortis, vid. Gen. 3, 4 sqq. Caeterum cum genius malus dicatur homicida et impostor (*ψεύστης*) *ab initio*, eo ipso continuatio peruersitatis ipsius declaratur, et affirmatur eum non rediisse ad meliorem

frugem, sed adhuc incitare homines ad caedes et veritatis contemtum, v. Matth. 13, 25. 39. Neque tamen aliae errandi peccandique caussae a Christo excluduntur, v. ad Matth. 13, 19. καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκε] *deflexit a veritate*, mentitus est, fraudulenter egit, seduxit homines. στῆναι, *perseuerare*, *constantem esse*, Rom. 5, 2. 1 Cor. 15, 1. עמד 2 Regg. 23, 3. ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ, *est enim a veritatis studio alienissimus*. 2 Macc. 7. 18. οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἀλήθεια καὶ κρίσις· παρέβησαν γὰρ τὴν στάσιν καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὤμοσαν. — ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ] *quando mentitur*, *pro suo ingenio loquitur*. Idem de malis daemonibus dicit Porphyrius de Abstin. Anim. Lib. 2. §. 42. πᾶσα γὰρ ἀκολασία καὶ πλούτων ἐλπὶς καὶ δόξης διὰ τούτων, καὶ μάλιστα ἡ ἀπάτη· τὸ γὰρ ψεῦδος τούτοις οἰκεῖον, *omnis enim intemperantia, et diuitiarum gloriaeque spes ab his proficiscuntur, et maxime fraus: nam mentiri his proprium est*. ὅτι ψεύστης ἐστὶ, καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ] *sane mendax est*, *mendaciique auctor*. ὅτι, *sane*, *vtique*, vid. ad 1, 15. πατὴρ, *auctor*, Hebr. אב, Iob. 38, 28. Plato Menexen. c. 10. πατέρες τῆς ἐλευθερίας. add. Sophocl Oed. Tyr. 886. Sic *parens* ap. Cic. p. Red. ad Quir. c. 5. cf. *Krebsius* de Audiend. Poet. c. 2. p. 130. interpp. ad Iac. 1, 17. αὐτοῦ scl. ψεύδους, quod vocabulum latet in nomine ψεύστης, quod praecessit. Saepe enim pronomina ita ponuntur, vt referantur ad nomina, quae verbis superioris orationis continentur, v. *Abreschius* Dilucc. Thucydd. p. 527. et *Fischerus* Animaduu. ad *Wellerum* Vol. 3. P. 1. p. 268. — 45. ἐγὼ δὲ ὅτι τὴν ἀλήθειαν λέγω, οὐ πιστεύετέ μοι] mihi autem fidem denegatis, meam doctrinam non admittitis, quoniam veritatem, veram doctrinam profiteor. ἐγὼ δὲ nominatiuus absolutus, *quod me attinet*, vt Ps. 73, 28. vbi v. τοὺς ό cf. *Lud. de Dieu* ad h. l.

46. 47. τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας;] *quisnam vestrum me erroris conuincere poterit?* interrogatio est negantis, nemo vestrum me erroris conuincere poterit.

Xenoph. Apol. §. 18. μηδὲν δύναιτ' ἂν ἐξελέγξαι με, ὡς ψεύδομαι. Nomen autem ἁμαρτία non *peccatum*, *pravitatem*, *flagitium* indicat, sed vt omnis orationis feries affatim docet, *fraudem*, *errorem*, *mendacium*, quam vocabuli notionem etiam fcriptoribus exteris haud inufitatam effe oftendit ad h. l. *Kypkius*. Loquitur Iefus de fua doctrina v. 47. opponuntur fibi inuicem ἀλήθειαν λέγειν v. 45. atque λαλεῖν ψεῦδος v. 44. et hoc ipfo v. 46. ἁμαρτία atque ἀλήθεια. εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω κ. τ. λ.] *quodfi vero doctrina mea vera eft*, adeoque fide digna et amplectenda, *cur mihi fidem non habetis?* quare eam repudiatis? — 47. Ad hanc interrogationem Iefus ipfe ita refpondet: ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ. *qui Deum colit, Dei doctrinam admittit, vos Deum non colitis, ideo doctrinam ipfius repudiatis.* ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι proprie notat *ex Deo genitum*, vel, *natum effe*, vid. *Kypkius* ad h. l. noftro autem loco huic formulae v. 44. opponitur ἐκ πατρὸς τοῦ διαβόλου εἶναι, quod idem eft ac, υἱὸν, τέκνον τοῦ διαβόλου εἶναι, i. e. fimilem effe genio malo, eum imitari, eius voluntati obtemperare; v. 42. igitur: εἰ ὁ Θεὸς ὁ πατὴρ ὑμῶν, ἠγαπᾶτε ἂν ἐμὲ, ergo ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι eft id. qd. υἱὸν, τέκνον τοῦ Θεοῦ εἶναι atque ἐκ τοῦ Θεοῦ γεννηθῆναι, quae formulae 1 Ioh. 5, 18. 19. copulantur, fed 3 Ioh. 11. *ex Deo effe*, et *Deum cognitum habere atque colere*, inter fe permutantur. Itaque vis formulae ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι h. l. eft: Deum imitari, probitatis et pietatis ftudiofum effe, eum colere. τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούει, *admittit Dei doctrinam*, meam doctrinam; nam Χριστῷ πιστεύειν v. 46. et τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούειν funt formulae idem valentes. Etiam aliis in locis ἀκούειν notat: *affentiri*, *probare*, *admittere doctrinam*, Matth. 10, 14. Luc. 10, 16. Ioh. 5, 24. et per τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ *ipfa Chrifti doctrina* fignificatur v. 38. Ioh. 3, 34.

48. 49. Cum Chrifti vocem primores populi refutare non poffent, neque vero etiam veritatem illius agno-

fcere vellent, eum conuiciis profcindebant. οὐ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης εἶ σὺ, καὶ δαιμόνιον ἔχεις; *nonne recte contendimus, te esse Samaritanum et a genio malo agi?* Σαμαρείτης, *Samaritanus*, i. e. haereticus, vid. not. ad. 4. 9. καὶ δαιμόνιον ἔχεις, genius malus te agit, infana profers, v. Matth. 11, 18. 4, 24. vbi v. Ioh. 10, 20. 7, 19. — 49. ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω — ἀτιμάζετέ με] *neutiquam a genio malo agor, fed patrem meum honoro, quamquam vos me contumeliis afficitis*, me haereticum et infanum nominatis. Affirmarat Iefus v. 29. fe patris voluntati fatisfacere, add. v. 55. profeffus erat, v. 46. fe veram doctrinam, doctrinam diuinam v. 38. proponere; et v. 40. dixerat: quoniam veram doctrinam vos doceo, ideo me interficere vultis. Itaque τιμᾷν τὸν πατέρα, *honorare, colere patrem, honorem ipfius promouere*, eft, Dei mandata exfequi, nominatim Dei doctrinam tradere 7, 17. 18. καὶ, *quamquam, etfi*, vt Hebr. ו, Cohel. 9, 16. 1 Sam. 1, 5. vid. *Graeuii* Lectt. Hefiodd. c. 8. *Valckenarius* ad Eurip. Phoen. v. 277. et not. ad Luc. 18, 7. alii vertunt: *quare*, v. ad Marc. 3, 22. alii: *tamen*, v. ad Matth. 6, 26.

50. 51. ἐγὼ δὲ οὐ ζητῶ τὴν δόξαν μου] *fed meum honorem non vindicabo*. Sit ita! profcindite me conuiciis, non vindicabo meum honorem. ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων, *eft qui eum vindicet et fententiam ferat.* Deus honori meo confulet, efficiet, vt dignitas et auctoritas mea innotefcat, vindicabit meum honorem et fententiam feret, dignitatis meae contemtores puniet, eosque qui eum agnofcunt, praemiis ornabit, v. 24. 35. — 51. ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ κ. τ. λ.] *veriffime vobis affirmo, eum qui doctrinae meae obtemperauerit, nunquam effe moriturum.* Exemplo illuftrat Iefus, quae antea v. 50. dixerat, docet his verbis, quomodo Deus fuum honorem vindicaturus fit, cultores, inquit, mei feliciffimi erunt. τηρεῖν, vid. ad Matth. 19, 17. μένειν ἐν τῷ λόγῳ fupra v.

31. οὐ μὴ εἰς τὸν αἰῶνα, Hebr. לְעוֹלָם לֹא, *nunquam*, id. qd. οὐδέποτε, vt 4, 14. 13, 8. v. *Vorftius* de Hebraifm. *N.* T. p. 730 fq. *Fifcherus* ad *Leufden.* de Hebraifm. N. T. p. 160. θεωρεῖν τὸν θάνατον proprie denotat, *mori*, vt ἰδεῖν τὸν θάνατον, Luc. 2, 25. et fimilis formula ᾅδην εἰσιδεῖν, Eurip. Heraclidd. 515. Sed quoniam mors Hebraeis eft perpetua imago miferiae et infelicitatis, propterea formulae ἰδεῖν, θεωρεῖν τὸν θάνατον ita quoque vfurpantur, vt fignificent, *miferum*, *infelicem effe*, Hebr. 11, 5. et Iefum formulam θεωρεῖν τὸν θάνατον, hoc ipfo fenfu noftro loco vfurpaffe, fatis manifefte docent et orationis cohaerentia, et loci Ioh. 6, 50. 3, 36. 5, 24. 11, 25. 26.

52. 53. Pharifaei ira et odio exacerbati, Iefu fententiam peruertebant, et quae protulerat verba, fenfu capiebant proprio. *Iam*, inquiunt, *in aprico pofitum eft*, nouo argumento ex ipfis tuis verbis petito, veriffima effe cognofcimus, quae tibi modo obiecimus, *te infana loqui; Abrahamus et prophetae* Deo ob infignem pietatem ac probitatem inprimis dilecti, *mortui funt*, *et tu dicis*, *qui meae doctrinae obfecutus fuerit*, *ille non morietur*! De formula γεύσεσθαι θανάτου, *experiri mortem*, *mori*, vid. ad Matth. 16, 28. — 53. μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν κ. τ. λ.] *esne tu praeftantior parente noftro Abrahamo*, *qui mortuus eft*, *et prophetis*, *qui mortui funt*, qui fe ipfos immunes a morte reddere non potuerunt, multo minus fuos adfeclas, *quem te venditas?* ad quam infanam impudentiam te tuus faftus agit!

54. 55. Concedit Iefus tacite, fe Abrahamo reliquisque prophetis effe praeftantiorem, fed propriae et vanae gloriae cupidinem a fe amolitur. ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἐμαυτόν, ἡ δόξα μου οὐδέν ἐστιν] *fi ipfe mihi*, proprio aufu, vanae gloriae cupiditate ductus, *dignitatem* maiorem Abrahami prophetarumque, i. e. dignitatem Meffianam v. 56 fqq. *arrogarem*, *vana foret mea dignitas.* Vox οὐδέν ἐστι a fcriptoribus tam facris, quam profanis, vtriusque linguae,

vſurpatur *de re falſa, vana, irrita*, et *nullius pretii* 1 Cor. 8, 4. Prou. 13, 4. Eccleſ. 3, 19. Polyb. 4, 34. τὸ τολμᾶν περιττὸν εἰς ἄνοιαν, καὶ εἰς τὸ μηδὲν καταντᾶν εἴωθεν, *nimia audacia in amentiam et nihilum abire ſolet.* Plaut. Mil. Glor. 1, 1. *Py. iſtuc quidem nihil eſt edepol. Ar. Nihil hercle quidem hoc.* δοξάζειν ἑαυτὸν, *auctoritatem, dignitatem ſibi arrogare, plus aequo de ſe ſentire;* Thucyd. 3, 45. καὶ μετὰ πάντων ἕκαστος ἀλογίστως ἐπὶ πλέον τι ἑαυτὸν ἐδόξασεν. ἔστιν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με κ. τ. λ.] *pater meus mihi dignitatem* legati diuini, Meſſiae 5, 36. 8, 18. *tribuit, quem Deum veſtrum eſſe dicitis*, et ille τὴν δόξαν μου ζητεῖ καὶ κρίνει v. 50. Verba: ὃν ὑμεῖς λέγετε, ὅτι Θεὸς ὑμῶν ἐστι poſita ſunt pro, Θεὸν ὑμῶν εἶναι, cuius conſtructionis exempla plura congeſſerunt ad h. l. *Kypkius*, et ex Arriano *Raphelius*, vid. et 9, 41. Senſus autem horum verborum eſt: cuius cultores vos profitemini, coll. v. 41. 47. Pro ὑμῶν plures codd. habent ἡμῶν, vt adeo ipſa verba Iudaeorum laudentur, ſed haec lectionis mutatio a librariis, quos conſtructio offenderet, profecta videtur. — 55. καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτὸν, *quamquam vos eum non* recte, vere *noſtis*, eius conſilia de ſalute hominum per me reſtituenda non intelligitis, neque de iis per me edoceri vultis, me meamque dignitatem non agnoſcitis, meam doctrinam reiicitis, vid. 7, 28. ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτὸν, ego vero voluntatem, conſilia ipſius accuratiſſime noui 1, 18. τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ, *mandata ipſius* exſequor v. 29.

56. Abrahamus, pergit Ieſus, de quo parente veſtro gloriamini, non ita animatus erat, vt vos eſtis, qui neutiquam de meo in has terras aduentu laetamini, imo me repudiatis, et me interficere cupitis v. 39. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη] *Abrahamus pater veſter, laetabundus deſiderauit videre tempora mea, vidit et laetatus eſt.* Excitare voluit Ieſus his verbis Iudaeos, vt rectius de ſua perſona

et dignitate ſtatuerent, eosque edocere, ſe maiorem et praeſtantiorem Abrahamo, ſe Meſſiam eſſe; et cum dixerit, Abrahamum viuere et felicem fuiſſe videndo, inde etiam colligere poterant auditores, ipſum antea v. 51. non de morte naturali locutum eſſe. Iudaeorum enim abſurdam obiectionem, quam v. 53. continet, pluribus refellere non opus erat. Verbum ἀγαλλιᾶσθαι, *laetari, exſultare,* quod alias cum particula ὅτι conſtruitur, vt Matth. 5, 12. Luc. 1, 47, 48. Apoc. 19, 7. h. l. comitem habet particulam ἵνα, quae finem declarat, ad quem mens intenta eſt, quae adeo particula pro indicio habenda eſt, in verbo ἠγαλλιάσατο aliud quaſi verbum latere, cuius generis verborum, quae praegnantia dici ſolent, magnum numerum congeſſerunt *Glaſſius* in Phil. S. p. 185 ſ. *Dath.* et *Gatackerus* Aduerſ. Miſcell. poſthum. c. 31. p. 761. add. *Elſnerus* ad h. l. Itaque ἠγαλλιάσατο eſt: *laetabundus optabat vt videret diem meum,* ſiue, vt alii vertunt: *exſultabat dum ſperaret, fore, vt videret diem meum.* ἡμέραν τὴν ἐμὴν, *tempus meum,* aduentum meum in has terras, tempora Meſſiana. Sic Matth. 24, 37. ἡμέραι τοῦ Νῶε, eſt *tempus quo Noachus vixit.* add. Hebr. 5, 7. Formula autem ἰδεῖν τὴν ἡμέραν notat: *tempus viuendo attingere,* inprimis quod auide exſpectamus et optamus, vt eo perfruamur. Luc. 17, 22. ἐπιθυμήσετε μίαν τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἰδεῖν. Homer. Odyſſ. ζ, 311. ἵνα νόσιμον ἦμαρ ἴδηαι, *vt reditus diem videas.* add. Odyſſ. θ', 466. Eurip. Cycl. 436. εἰ γὰρ τήνδ' ἴδοιμεν ἡμέραν, Κύκλωπος ἐκφυγόντες ἀνόσιον κάρα. Cic. ad Diu. 15, 12. *vtinam praeſens illum diem mihi optatiſſimum videre potuiſſem!* Terent. Hecyr. 4, 3. 39. *hunc videre ſaepe optabamus diem!* vid. et *Kypkius, Raphelius* Polyb. ad h. l. *Boſius* Exercitt. p. 63. Dum autem h. l. Abrahamus perhibetur geſtiiſſe teſtis eſſe et ſpectator felicitatis temporis Meſſiani, reſpicitur ad promiſſiones Abrahamo datas, quas Iudaei ad Meſſiam referebant, vid. Gen. 18, 18 ſq. 22, 18. add. Gal. 3, 16 ſs. Caeterum quod h. l. de Abrahamo affirmatur, eum videre

cupiiſſe tempora Meſſiana, hoc idem Chriſtus alio tempore de prophetis aliisque viris ſanctis affirmauit, vid. Matth. 13, 17. Luc. 10, 24. καὶ εἶδε καὶ ἐχάρη] *et laetabundus vidit*, nempe viuens in ſedibus beatorum, in Orco; non in coelo, vt vulgo explicant, de coelo non cogitabant Ieſu auditores, vid. Luc. 16, 23. ibi not. add. not. ad Matth. 22, 32. εἶδε, *vidit*, nempe mente et animo, cognouit meum in has terras aduentum, gaudiumque inde percepit. Verbum ἰδεῖν, quod antea propria ſignificatione adhibitum erat, iam ſignificationem tropicam obtinet; ſolet autem Iohannes ſaepius verba duplici ſignificatu ponere, vid. ad 1, 33. Erat caeteroquin communis veterum, etiam Hebraeorum opinio, homines poſt mortem apud inferos eadem agere, quae in hac vita, magno quodam animorum impetu perſequi ſoliti eſſent, *eandem curam*, eadem ſtudia, *quae viuis fuiſſent, tellure repoſtos ſequi* (Virg. Aen. 6, 655.), vid. Aeſchyl. Agam. 1156 ſq. Ouid. Met. 4, 444. Ieſ. 29, 22. 23. vbi Iacobus in orco poſterorum fata curare dicitur. Phil. 2, 10. vid. *Potti* Exc. 3. ad 2 ep. Petr. et *Mitſcherlichius* ad Horat. 2, 13. 21. — Alii verba Chriſti hunc in modum explanant: *Abrahamus parens veſter laetus praeuidebat hoc meum tempus, ſane laetus illud praeuidebat.* Abrahamus praeuidebat tantum mea tempora et laetabatur, vos αὐτόπται, me Meſſiam ab Abrahamo exſpectatum contemnitis et reiicitis. Particulam ἵνα poſitam accipiunt pro ὅτι· de qua harum particularum permutatione vid. *Schleuſneri* Lex. h. v. Verbum autem ἰδεῖν vim habere praecipiunt compoſiti προϊδεῖν, vt Ioh. 18, 4. Act. 20, 22. atque adeo idem eſſe quod πόῤῥωθεν ἰδεῖν Hebr. 11, 13. obſeruant, etiam interpretes Alexandrinos verbum ראה interdum reddidiſſe verbo προϊδεῖν Gen. 37, 18. et Latinos quoque ſcriptores verbum *videre* ita vſurpare ſolere, vt ſit id. qd. *praeuidere*, vt Cic. ad Diu. 4, 9. *an tu non videbas mecum ſimul, quam illa crudelis futura eſſet victoria?* Virg. Aen. 2, 125. *ventura videre.* Cic. l. c. 6, 3. *ſumma tamen eadem eſt, et idem exitus, quem ego iam video*

animo, quam ea quae oculis. Caeterum laudant etiam ad h. l. Plin. Panegyr. 21. *Itaque soli omnium contigit tibi, vt pater patriae esses, antequam fieres. Eras enim in animis, in iudiciis nostris.* Ouid. Met. 15, 62. *Isque licet coeli regiones remotos Mente deos adiit, et quae natura negabat Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.* — Zieglerus in *Henckii Magazin für Religionsphilosophie, Exegese und Kirchengeschichte* B. 5. St. 2. p. 227 sqq. monet: Iudaeos tunc temporis sibi cogitasse Messiam cum Deo coniunctissimum, ita, vt etiam locus V. T. vbi de apparitionibus Numinis sermo sit, de Messia explicuerint, vid. *Schoettgenius* Hor. Hebr. T. 2. p. 6. 7. Itaque *diem Iouae* et *diem Messiae*, vnum idemque declarare, sed *diem Iouae* notare tempus, quo Deus maiestatem suam manifestet Ioel. 2, 1. Amos. 5, 18. Ioh. 12, 41. iam vero *gestire, desiderare diem Iouae*, idem esse quod, desiderare maiestatem Iouae, quae sit simul maiestas Messiae, hanc autem maiestatem Iouae s. Messiae, h. l. suadente orationis serie, indicare immortalitatem et felicitatem in altera vita. Sensum ergo esse: *Abrahamus* videre desiderauit maiestatem Dei et meam, *immortalitate et felicitate summa apud Deum frui optauit, et huius desiderii post mortem particeps factus est.* Abrahamus post mortem felix euasit, et haec quoque sors erit eius, qui meam doctrinam tenet v. 51. — *Tittmanus* in Praefat. quam praemisit *Thalemani* versioni lat. Euangg. p. 16. et Meletem. p. 548. *Eckermanus*, alii, quos laudauit *Wolfius* in Curis ad h. l. verba ita explicanda putant: *Abrahamus gentis vestrae auctor, vehementer gauisus fuisset, si his meis temporibus ipsi viuere contigisset*, etenim iam de iis, quae *videbat*, de me cognouerat, *laetatus est*. Hae vero interpretationes omnes, partim nimis quaesitae sunt, partim iis vsus loquendi et contextus aduersantur. Praeferenda igitur vulgaris interpretatio, quae simplicitate sese commendat, vsu loquendi confirmatur, et Iudaeorum sentiendi ac cogitandi rationi, atque orationis seriei cummaxime consentanea est. Interrogarant Iudaei: tune es maior parente Abrahamo no-

ſtro, qui mortem ſubiit? reſpondet Ieſus: Sum Abrahamo maior, cupiuit videre tempus meum, et poſt fata meum tempus laetabundus vidit. Alias aliorum ſententias attulerunt *Wolſius* in Curis et *Koecherus* in Analectis ad h. l. vid. et *Hackſpanium* in notis philoll. ad h. l. et *Oertelii Chriſtologie* Th. 2. p. 496 ſq.

57. Et haec Chriſti verba: Ἀβραὰμ ἠγαλλιάσατο κ. τ. λ. in alienam ſententiam detorquebant Phariſaei; reſpondebant: *tu nondum attigiſti aetatis annum quinquageſimum, et Abrahamum vidiſti?* eius aequalis fuiſti, cum eo conuerſatus es? Exceſſerat Ieſus annum aetatis triceſimum, vid. Luc. 3, 1. 23. ibique not. quaeritur ergo, qua ratione Iudaei illi dicere potuerint, eum nondum attigiſſe aetatis annum quinquageſimum? Fuerunt inter veteres, qui putarent Ieſum tunc temporis iam annum aetatis XL exceſſiſſe, vt Irenaeus adu. haer. 3, 22. p. 148. edit. *Maſſuet.* vid. *Lampius* ad h. l. Chryſoſtomus contra pro πεντήκοντα legi volebat τεσσαράκοντα. *Grotius* et *Heinſius* arbitrati ſunt Iudaeos ad Iubilaea ſingulis annis L. recurrentibus celebrari ſolita reſpexiſſe, vt ſenſus ſit: ne vnum quidem Iubilaei ſpatium tu viuendo adhuc emenſus es. Alii, quos laudavit *Heumanus* ad h. l. ſuſpicati ſunt, ob durius vitae genus, curas et labores Ieſum ea facie fuiſſe, vt multo grandior natu videretur, quam eſſet. *Beza* monuit, eos ſic eſſe locutos, vt facere ſoleant, qui aduerſario gratificentur ita, vt plus concedant, quam flagitare auſit. Bene; ſed ſic non explicatur, cur memorarint annum quinquageſimum. Nempe quinquageſimo aetatis anno a munere ceſſabant Leuitae et habebantur emeriti, annus aetatis quinquageſimus erat fixus aetati virili terminus, v. Num. 8, 24. 25. 4, 39. 47. *Lightfootus* ad h. l. Dicebant ergo: tu nondum aetatem virilem exceſſiſti, quomodo ergo fieri potuit, vt Abrahamum conſpiceres?

58. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι] *id vobis affirmo, antequam Abrahamus eſſe coepiſ-*

fet, me extitiſſe. Formula πρὶν Ἀβρ. γενέσθαι reddi poteſt: *ante Abrahamum natum*, vt ap. Arrian. Diſſert. Epictet. 2, 17. πριν Ἱπποκράτη γενέσθαι. Herodo. 2, 11. πρότερον ἢ ἐμὲ γενέσθαι. add. Rom. 1, 3. Gal. 4, 4. vid. *Raphelius* Obſſ. Polybb. et Xenophh. atque *Wetſtenius* ad h. l. proprie autem verba πρὶν Ἀβρ. γενέσθαι ſignificant: *antequam Abrahamus eſſet*, ſ. *exiſteret*, et de induſtria adhibita ſunt, cum Iudaei praeexiſtentiam animorum ſtatuerent, v. ad 9. 2. Meſſiae autem ſpiritum ante mundi initia extitiſſe putarent, v. Prolegg. §. 7. et Ieſus hoc ipſum dicere vellet, ſe extitiſſe ante mundi initia. ἐγώ εἰμι, *ego eram*. Praeſens tempus ſaepius ita ponitur, vt vim habeat imperfecti, maxime tum, cum res quae fuiſſe dicatur aliquando, etiam nunc eſſe pergat. Ier. 1, 5. πρὸ τοῦ με πλάσαι σε ἐν κοιλίᾳ, ἐπίσταμαί σε. add. Pſ. 90, 2. Prou. 8, 25. Luc. 15, 31. σὺ πάντοτε μετ' ἐμοῦ εἶ. Inprimis haec enallage Iohanni frequens eſt, v. 1, 9. αὕτη ἐστιν (ἦν) ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάννου, ὅτε ἀπέστειλαν οἱ Ἰουδαῖοι — καὶ ὡμολόγησε. 14, 9. τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι. add. 15, 27. 9, 8. 25. 1 Ioh. 3, 8. al. etiam formula Hebraica אני הוא tam praeſens, quam imperfectum exprimitur, v. Ieſ. 43, 13. Verbum εἶναι h. l. notat *exiſtere*, vt 1, 33. 12, 26. Matth. 2, 18. Etenim in obiectione Iudaeorum ſermo erat de exiſtentia Abrahami temporibus, de exiſtentia ergo etiam ſermo eſſe debet in reſponſione. Obiectio Iudaeorum erat: tu nondum quinquageſimum aetatis annum attigiſti, ergo non Abrahamum vidiſti. Ex hac quamuis abſurda Iudaeorum reſponſione Ieſus occaſionem ſumſit, nouum argumentum excellentiae ſuae, qua Abrahamum ſuperaret, afferendi, atque hoc Iudaeis affirmandi, ſe tanta eſſe dignitate et magnitudine, vt tametſi homo ſit Abrahamo multo iunior, tamen ex alia parte ſpectatus, ante Abrahamum extiterit; reſpondet ergo: antequam eſſet Abrahamus, ego extiti. Haec reſponſio conueniens erat obiectioni; cumque Iudaei praeexiſten-

etiam Messiae, spiritus Messiani, naturam coelestem, quae Messiae partes susceptura esset, ante initia mundi extitisse, statuerent, vid. Prolegg. §. 7. not. ad 1, 1. 15. ex his ipsis verbis facile intelligere poterant, Iesum se profiteri Messiam. Atque ita etiam Iohannem haec Christi verba intellexisse et a lectoribus intelligi voluisse, docet Euangelii Prologus, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος κ. τ. λ. et consilium, quod Iohannes in conscribendo Euangelio secutus est. Haud pauci tamen interpretes aliter hunc locum interpretantur, neque de praeexistentia Christi sermonem esse statuunt. Ac *Faustus Socinus* quidem Opp. T. 2. p. 379. et 504 sq. verbis Christi hunc sensum tribuit: *antequam Abraham fiat Abraham*, i. e. *pater multarum gentium*, (sensu phraseos mystico) *ego iam sum* l. *fui* scl. *Messias*; quam tamen interpretationem cum contextui, tum verbis ipsis vim inferre, non longa eget demonstratione. Verbum γενέσθαι legitur quidem etiam de futuro tempore, v. Ioh. 14, 29. sed h. l. intelligi debet de tempore praeterito, cum Iudaei ex Iesu quaesierint, an viderit Abrahamum? Per se intelligebatur, Iesum Messiae personam agere debere, antequam Abrahamus per religionis Christi propagationem, fieri posset pater (spiritualis) multarum gentium. Prorsus absona fuisset haec responsio. Quod cum probe intelligerent alii, verba explanarunt: *ego sum* l. *eram* ante Abrahami tempora, ἐγώ εἰμι scl. ὁ Χριστὸς l. ὁ ἐρχόμενος Χριστὸς, *Messias* np. *promissus*, vel *destinatus*, *praefinitus diuino decreto*, vid. *Wetstenius* ad h. l., *Loefflerus* in ed. sec. versionis vernaculae libelli *Souverainiani*, *Versuch über den Platonismus d. Kirchenväter* p. 385 sq. *Paulus* ad h. l. His vero paulo durioribus verborum interpretationibus opposuerunt alii haec: a) ita satis obscure Iesus locutus fuisset. b) non apta fuisset responsio, Iudaei enim diserte de Iesu aetate locuti erant, et mirabundi dixerant: tune Abrahamum vidisti? c) verbum εἰμὶ per se spectatum non significat *destinatum*, *praefinitum esse*, nec suppleri potest ὁ Χριστὸς l. ὁ ἐρχόμενος Χριστὸς, cum haec

verba non praecesserint, vt Ioh. 4, 26. vbi praecessit nomen Μεσσίας. d) Qui vertunt: *ego sum* l. *eram Messias promissus* l. *agnitus, creditus*, vt adeo sensus sit: ego sum Messias Patriarchis ante Abrahamum promissus, iis et hoc obstat, quod idoneis argumentis probari non possit, Messiam Adamo, Henocho, Noacho fuisse promissum, aut Iudaeos hoc credidisse. vid *Rosenmüllerus* ad h. l. *Storrii christl. Dogmatik herausgeg. v. Flatt.* p. 347 sq. *Oertelii Christologie* Th. 2. p. 501 ss. — *Paulus* ad h. l. verba: πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι referri posse opinatur ad ea, quae v. 56. leguntur, vt haec sententia procedat: *priusquam Abrahamus natus esset, ego sum is, cuius aduentum Abrahamus videre gestiit. Messias*; πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι ἐκεῖνος, οὗ ἵνα τὴν ἡμέραν ἴδῃ, ἠγαλλιάσατο. Contra hanc vero interpretationem *Storrius* Opusc. T. 3. p. 251 f. praeter alia monuit haec: „vsus loquendi formulam ἐγώ εἰμι, ad id de quo *proxime* sermo erat, referri quidem patitur, sed *praeterito sermone proximo*, *longe* repeti ea, quae intelligenda sint, nequaquam sinit. Si ergo verbis ἐγώ εἰμι, non subiecta esset ea vis, quam habent *per se ipsa* (*ego eram, extiti*), cogitando *adiungi* oporteret non longe remota, sed quae statim e *proxima* enuntiatione v. 57. intelligi poterant; quo pacto tamen Iesus affirmasset, se *fuisse* ante Abrahamum natum. Hoc enim dixisset: ego quamuis nondum habeam quinquaginta annos, tamen sum *is, qui vt vos dixistis* v. 57. *Abrahamum vidit*, eumque etiam, antequam nasceretur (Ier. 1, 5. Ps. 139, 15 sq.), cognitum habuit.“

59. Christi assertio adeo ad iram prouocabat Iudaeos illos, vt ad lapides prouolarent, quibus eum obruerent. Docebat Iesus haud dubie in atrio templi, et lapides omnino ad manus esse poterant, cum, vt *Lightfootus* ad h. l. annotauit, facile ad aliquid in aedificio tam vasto et amplo adaptandum aut reparandum requirerentur; addere potuisset, cum et Agrippae II. demum tempore stru-

ctura templi absoluta fuerit, vid. ad 2, 20. Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, καὶ ἐξῆλθεν κ. τ. λ.] *Iesus autem occulte e templo exiit, transiens per medios illos, et ita euasit.* ἐκρύβη καὶ ἐξῆλθεν, ineſt his verbis hendiadys, *occulto, clam exiit.* Bene *Lightfootus* ad Ioh. 9, 6.: ſenſus eſt; occultatus eſt, per multitudinem ſcil. illi amicam, atque eum circumcingentem, ne furorem ſuum in eum exſequerentur eius inimici. Vltima verba: διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν· καὶ παρῆγεν οὕτως merito ſuſpecta viſa ſunt *Erasmo*, *Grotio*, *Millio*, *Semlero*, *Griesbachio*, aliis. Ea enim in aliis libris deſunt, in aliis pronomen αὐτῶν excipit verbum ἐπορεύετο, in aliis pro παρῆγεν legitur ἐπορεύετο, in aliis deeſt particula καὶ, quae haud raro index eſt additamenti in textum recepti, vid. ad Marc. 6, 51. Luc. 21, 19. Haec ipſa lectionis varietas ſatis aperte grammaticorum ſtudia prodit. Vera ſcriptura eſt: καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, reliqua verba ex Luc. 4, 30. et init. cap. ſeq. in hunc locum irrepſerunt.

C A P V T IX.

1. 2. Cum Ieſus diſceſſiſſet e templo, incidebat in via in hominem a natiuitate coecum, mendicantem v. 8. παράγειν, *diſcedere*, vt Matth. 9, 9. vbi v. not. ἐκ γενετῆς, *a natalibus.* Diod. Sic. p. 214. C. τὰ παιδία παρ᾽ αὐτοῖς ἐκ γενετῆς ὑπάρχει πολιὰ κατὰ τὸ πλεῖσον, *pueri apud illos a primo vitae ortu plerumque cani ſunt.* Exempla huius locutionis plura alia e ſcriptoribus optimae notae Graecis congeſſerunt *Raphelius* Obſſ. Herodo., *Münthius* et *Wetſtenius* ad h. l. Hominem autem illum a natiuitate fuiſſe coecum, non temere, ſed conſulto et induſtria annotauit Euangeliſta, ad declarandam nimirum miraculi a Ieſu patrati magnitudinem. Videtur homo ille Chriſti diſcipulis haud incognitus fuiſſe, coll. v. 8. hinc Ieſum interrogabant: *magiſter, quisnam peccando culpam contraxit, num*

ipſe aut parentes, vt coecus naſceretur? Iudaeos ſatis praecipitanter morbos grauiores, infortunium quoduis peccati poenam exiſtimaſſe et dixiſſe, notatum eſt ad Matth. 9, 1. Luc. 13, 2. cf. et Sir. 18, 21. 38, 10. 15. atque *Schoettgenius* ad h. l. exiſtimabant vero etiam poenas a parentibus promeritas, nec tamen ab illis perlatas a liberis repeti, in eosque transferri. Sir. 11, 28. πρὸ τελευτῆς μὴ μακάριζε μηδένα, καὶ ἐν τέκνοις αὐτοῦ γνωσθήσεται ἀνήρ. add. Tob. 3, 3. 4. 3 Efdr. 8, 77. Hinc explicanda diſcipulorum quaeſtio: *num huius parentes peccarunt?* id eſt, in hac orationis ſerie, num peccando promeruerunt, vt hic coecus naſceretur? ἁμαρτάνειν peccando culpam contrahere, vt חטא Gen. 43, 9. Interrogabant vero etiam Ieſum diſcipuli, num ille a natalibus coecus, ſibi ipſe peccatis ſuis hanc poenam contraxiſſet? Fuerunt qui haec referrent ad μετεμψύχωσιν, animarum migrationem in alia corpora, vt *Beza*, *Grotius*, *Hammondus*, *Clericus*, *Heumanus*, alii, ſed Iudaeos Chriſti aetate μετεμψύχωσιν admiſiſſe, argumentis firmis atque idoneis demonſtrari nequit, vid. *Lightfootus* ad h. l. *Sartorius* de Metempſychoſi Pythagorica a diſcipulis Chriſti et gente Iudaica ante excidium Hieroſolymitanum ſecundum non recepta, Lübbenae 1760. 4. *Zieglerus* in *theologg. Abhandlungen* B. 2. p. 243 ſs. et *Knappius* Opuſcc. p. 351. Alii, praeeunte Cyrillo Alexandrino Comment. in Ioh. Opp. T. 4. p. 588. hanc diſcipulorum quaeſtionem explicandam ſtatuerunt ex opinione Iudaeorum de praeexiſtentia animarum (de qua opinione Iudaica vid. not. in Prolegg. §. 7. D. 2. c. et *Lightfootus* ad h. l. add. Sap. 8, 19. 20.), vt adeo diſcipuli credidiſſe putandi ſint, hominem illum in ſtatu praeexiſtentiae fuiſſe peccatorem, et iam poenam peccatorum tunc patratorum ferre. Erat vero etiam Rabbinorum opinio, infantes poſſe in vtero matris peccare, quam in rem laudabant exemplum Iacobi. Bereſchith R. 34. 12. *Antoninus rogauit R. Iudam: a quo tempore malus affectus in animo hominis praeualere incipit, an poſtquam exiuit ex*

vtero matris, an dum adhuc in eo est? Dicit ei R. dum adhuc est in vtero. Tum, inquit Antoninus, calcitrabit in vtero matris et erumpet. Dixit R. hoc didici ab Antonino et consentit scriptura S. D. Gen. 4, 7. Schir. R. 1, 6. *Dum* adhuc *estis in vtero matris vestrae, committitis idololatriam, quia mulier grauida intrat in idoleum.* Arbitror igitur omnino has Iudaicorum magistrorum sententias de praeexistentia animarum et infantibus in vtero peccantibus respexisse discipulos, ex Iesu quaerentes, num homo ille ante natiuitatem peccasset?

3. Praeiudicatae discipulorum opinioni ita occurrebat Iesus, vt negaret hominis coecitatem esse poenam peccati ab ipso vel parentibus commissi: *οὔτε οὗτος ἥμαρτεν, οὔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ*, nempe *ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ*, quo verbum *ἁμαρτάνειν* referendum est. Etenim discipuli non simpliciter interrogarant, vtrum coecus an parentes peccassent? sed vtrum ita peccassent, vt hac poena affici debuissent? Itaque Iesus interrogationi accommodate, non simpliciter negat eos peccasse, sed negat eos prae aliis ita peccasse, vt hanc poenam promeruerint, vid. et not. ad Luc. 13. init. vt et de ellipsi vocum coniunctarum ex membro praecedente repetendarum *Glassius* p. 636. ed. *Dath.* Post particulam *ἀλλὰ* repeti quoque debent verba *τυφλὸς ἐγεννήθη*, sed *ἵνα* h. l. vt infra v. 39. aliisque in locis pluribus, (v. *Glassius* p. 538 ss.) *euentum* indicat, ita, vt sensus sit: verum quod coecus natus fuit, hunc euentum habet etc. Bene *Rosenmüllerus* mentem Christi his verbis expressit: nolite quaerere, an coecitas huius hominis sit poena peccati; discite potius ex eo quod iam eueniet, quomodo Deus auxilio suo hunc et alios miseros exhilaret. *ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ, vt in eo appareat, quantum Deus efficere possit ac velit* up. per me, coll. v. 4.

4. 5. Sanatio coeci a Iesu peracta est die sabbati, coll. v. 14. cum ergo Iesus v. 3. declarasset, se homini illi

oculorum lumina reftituere velle, videntur eum nonnulli difcipulorum dehortati effe, ne id faceret, metuentes Pharifaeorum inuidiam, vid. 7, 23. Hac fententia admiffa facilius perfpicitur, cur Iefus ea disferuerit, quae v. 4. leguntur. ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με] *me oportet perficere opera, quae ille, qui me mifit, mihi iniunxit.* V. 3. praecefferat: coecum exemplo fore, quid Deus efficere, quomodo homines miferos auxilio benefico exhilarare poffit, ἵνα φαν. τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ· poftquam Iefus ea dixerat, quae v. 4. et 5. leguntur, fe perficere debere τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντος etc.: tribuebat homini coeco vim et beneficium videndi. Itaque per τὰ ἔργα opera, a patre Chrifto iniuncta, intelligi debent, fanationes miraculofae, infignia Chrifti facta. ἕως ἡμέρα ἐςίν· ἔρχεται νὺξ, ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι] *quamdiu dies eft, venit nox, qua nemo operari poteft.* Notio vniuerfalis eft: tempus opportunum agendi eft dies, nox eft tempus importunum. Cum vero Iefus haec refpectu fui dixerit, ac praeterea v. 5. adiecerit: ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ, planum eft, fenfum verborum conftitui debere hunc in modum: non curo maleuolorum inuidiam, mihi facta falutaria a patre demandata peragenda funt, quamdiu his in terris verfor, quouis die, mox discedam, nec amplius eiusmodi operibus falutaribus vacabo. *Nox*, νὺξ, etiam apud fcriptores exteros eft frequens *mortis* imago, vid. *Lampius* ad h. l. et *Rupertius* ad Sil. Ital. 2, 574. Var. Lectt.. Caeterum pro ἐμὲ in aliis libris extat ἡμᾶς, quae lectio inde orta videtur, quoniam paulo poft legitur οὐδείς. — 5. ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ, φῶς εἰμι τοῦ κόσμου] *quamdiu inter homines verfor, iis inftar folis fum.* φῶς *lux*, *fol*, vid. 1, 5. Matth. 17, 2. fed notat etiam vt Hebr. אוֹר *felicitatem*, *felicitatis auctorem*, vid. Ief. 45, 7. 59, 9. ad Matth. 5, 14. Alias quidem φῶς eft imago *doctoris*, vid. 1, 4. 8, 12. fed h. l. omnino *felicitatis auctorem* indicat, nam Iefus in eo erat, vt hominem miferum felicem redderet, vt coeco oculorum lumina reftitueret. Senfus ergo eft: quamdiu inter homines ver-

for, felicitatis eorum auctor fum et effe debeo, atque adeo aegrotis et miferis, etiam die fabbati auxilio meo fuccurro et fuccurrere debeo; itaque et nunc agam, quod me agere decet.

6. Iam cogitatione adiiciendum eft, Iefum adduci iuffiffe coecum, vel ad eum propius acceffiffe, et cum eo collocutum effe. Eiusmodi leuioris momenti περιςάσεις Euangeliftae haud raro filentio praetereunt. ταῦτα εἰπὼν, ἔπτυσε κ. τ. λ.] *his dictis, fpuit in terram, lutumque e fputo factum oculis coeci illeuit.* Obferuant interpretes, lutum e fputo factum, oculis coeci iniunctum, per fe ad fanationem hominis non fuffeciffe; fed prohibuiffe Pharifaeos fputum oculo illinere fabbato, quamuis oculis aeftimaretur falubre, ne religio fabbati violaretur. Tanchuma f. 10, 2. *Dixit Samuel: etiam fputum ieiunum ponere vetitum eft fuper palpebras fabbato. Dixit R. Chaia f. Abba nomine R. Leui, vetitum eft ponere fputum fuper palpebras fabbato, quia eft ficut medicina fabbato.* Maimon. Schab. c. 21. *non indunt vinum in oculo fabbato, at ponunt fuper fupercilia. Verum non licet faliuam infulfam ponere vel fuper palpebras.* Plin. H. N. 28, 7. *credamus ergo* (faliuae) *ieiunae illitu affidue — arceri — lippitudines, matutina quotidie velut inunctione.* Iefum ergo lutum e fputo feciffe, et oculis coeci illeuiffe, vt oftenderet difcipulis, reliquisque praefentibus fpectatoribus, quam vana effet doctorum Iudaicorum fuperftitio, qui ab omni etiam leuiffimo labore die fabbati abftinendum effe praeciperent, vid. ad 5, 9. voluiffe vero etiam eum hac actione fymbolica fidem coeci corroborare, et fimul declarare, a fe ipfo prodiiffe hanc virtutem falutiferam, et fanationem effe certo fecuturam. Compara fimiles locos Marc. 8, 23. 7, 32.

7. ὕπαγε, νίψαι εἰς τὴν — ἀπεσαλμένος] *abi, et oculos in pifcina Siloam (quod vocabulum miffum fignificat) ablue.* εἰς pofitum eft pro ἐν, vt faepius, v. *Glaffius* Phil.

S. p. 451. not. ad Marc. 1, 9. 39. 2, 1. 13, 3. 9. 16. κολυμβήθρα, vid. ad 5, 2. E fonte Siloam riui ducti erant in duas piscinas, quarum altera *superior*, sita in extremo limite australi Hierosolymorum s. montis Sionis, erat opus Salomonis regis, altera *inferior*, parata in vsum eorum, qui ciuitatem inferiorem habitabant, post Salomonis aeuum constructa erat, vid. quos laudauimus ad Luc. 13, 3. add. *Rosenmülleri* et *Baueri* Scholia ad Ies. 7, 3. *Hezelius* ad 2 Chron. 32, 3. Quaenam piscina h. l. intelligenda sit, definiri nequit. Σιλωάμ Hebr. שִׁלֹחַ Ies. 8, 6. שֶׁלַח Neh. 3, 15. *emissio* scl. aquae; dicitur Graece Σιλωαμ; litera ח euphoniae caussa in α mutata, vid. *Lampius* ad h. l. Non satis recte explicata est h. l. Hebraica vox, Graeca ἀπεσταλμένος, nam ἀπεσταλμένος est Hebr. שָׁלוּחַ, videntur autem omnino verba: ὁ ἑρμηνεύεται, ἀπεσταλμένος glossema redolere, a male sedulo adiectum, qui Hebraicum nomen explicare vellet, cum sciret, Iohannem aliis in locis Hebraica nomina explicuisse. Esse autem haec verba pro additamento grammatici habenda, eo quoque confirmari potest, quoniam Iohannes non vbiuis nomina Hebraica interpretatus est, vid. 5, 2. Reperiuntur quidem haec verba in omnibus codd. et verss. antiquis, sed occurrunt et alii loci interpolationibus corrupti, vbi omnes libri scripti lectionem falsam continent, vid. ad Marc. 15, 25. *Fischerus* ad Theophr. Char. 8, 4. Xen. Cyr. 2, 4. 2. Ablegauit autem Iesus hominem ad piscinam Siloam, vt monuerunt ad h. l. interpretes, quo hominis fidem exerceret, et vt essent quam plurimi sanationis die sabbati peractae testes. Haec eadem fuit quoque Chrysostomi sententia, cuius verba sunt: ἵνα μάθῃς τοῦ τυφλοῦ τὴν πίστιν, καὶ ἵνα ἐπιστομισθῇ τῶν Ἰουδαίων ἡ ἀγνωμοσύνη· εἰκὸς γὰρ ἦν ἅπαντας ὁρᾷν αὐτὸν ἀπιόντα, τὸν πηλὸν ἔχοντα ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς κεχρισμένον κ. τ. λ. Caeterum ἦλθε βλέπων ex Hebraismo positum est pro ἔβλεψε.

8 — 10. καὶ οἱ θεωροῦντες αὐτὸν τὸ πρότερον ὅτι τυφλὸς ἦν] *et qui eum antea viderant coecum.* Pro τυφλὸς in aliis libris legitur προςαίτης (*rogator* Martial. 4. 30. 13. *coecus rogator.* Hesychius: προςαίταις· πτωχοῖς); quam lectionem *Griesbachius* in ordinem recepit, an recte fecerit, non parum dubito; contextus enim vulgarem lectionem requirere videtur, et facile a grammaticis nomen προςαίτης in margine enotari, vel inter versus scribi potuit, cum versu extremo legatur προςαιτῶν, nonnulli etiam libri vtramque lectionem exhibent interposita particula καὶ, τυφλὸς καὶ προςαίτης, vid. not. ad 8, 59. extr. θεωροῦντες vim habet praeteriti τεθεωρηκότες, id quod adiectum τὸ πρότερον planissime docet. — 11. ἄνθρωπος, *vir, quidam* 1, 6. 8, 40. εἰς τὴν κολυμβήθραν, *ad* s. *versus piscinam*, de qua particulae εἰς potestate vid. not. ad 4, 5. ἀνέβλεψα cum homo ille a natiuitate coecus fuisse dicatur, ἀνέβλεψα vim habet verbi simplicis ἔβλεψα, quod ipsum verbum v. 7. et 21. legitur.

13. ἄγουσιν αὐτὸν πρὸς τοὺς Φαρισαίους τόν ποτε τυφλὸν] *ducebant hominem olim coecum*, vt Iesum violatae religionis sabbati accusarent, *ad Pharisaeos* h. e. ad synedros, nam in sequentibus de interrogatione instituta sermo est, et qui h. l. Φαρισαῖοι dicuntur, infra v. 18. nominantur Ἰουδαῖοι h. e. synedri, coll. v. 22. add. 5, 9. (vbi v.), 7, 32. 45. 50. Memorantur autem Pharisaei pro reliquis synedrii assessoribus, quoniam Pharisaei potiorem partem synedrii absoluebant.

16. 17. παρὰ τοῦ Θεοῦ, *a Deo missus*, legatus diuinus, propheta vt v. 33. coll. v. 17. vid. ad Marc. 3, 21. ὅτι τὸ σάββατον οὐ τηρεῖ] *quoniam sabbatum violat*, potuisset sanationem coeci in sequentem diem differre, cum non adesset vitae periculum, vid. ad Matth. 12, 9. Alii vero synedrorum dicebant: πῶς δύναται ἄνθρωπος ἁμαρτωλὸς τοιαῦτα σημεῖα ποιεῖν;] *quomodo homo peccator tam*

insignia facta edere potest? ἁμαρτωλὸς cum ei opponatur ὁ ὢν παρὰ τοῦ Θεοῦ, est, *impostor, doctor falsus, deceptor populi*, vt 2 Thess. 2, 3. Erant in synedrio plures, qui Iesu fauerent, vid. 7, 50 ss. 12, 42. hi ergo suffragia ferre iusti censebant, impostorem talia ac tanta efficere non posse, neque adeo Iesum, qui tanta efficeret, pro impostore posse haberi. Hanc sententiam suam munire et confirmare poterant, partim eo quod, ex ipsis magistrorum Iudaicorum decretis, legato diuino nouas leges dare, et latas abrogare liceret, vid. ad Ioh. 5, 11. Matth. 12, 11. partim etiam eo, quod ex nonnullorum Rabbinorum decreto oculorum aegrorum inunctio laboribus die sabbati vetitis non esset annumeranda. Aboda Sara f. 28. 2. *Dixit R. Sutra f. Tobiae, dixisse Rabum: licet sabbato inungere oculum inflammatum stibio.* Itaque extitit inter eos dissidium καὶ σχίσμα ἦν ἐν αὐτοῖς. — 17. Opponebant synedri Iesu inimiciores collegis eius caussam agentibus, rem omnem ex composito esse peractam, mendicum coecitatem simulasse, eum esse Iesu asseclam, eiusque famam augere velle; adeoque contendebant hominem illum vlterius interrogandum esse; cumque iterum in consessum vocatus esset, hanc ei quaestionem proponebant: τί λέγεις περὶ αὐτοῦ, ὅτι ἤνοιξέ σου τοὺς ὀφθαλμούς; *quid tu de eo sentis, cum oculos tuos aperuerit?* nempe die sabbati. τῷ τυφλῷ h. e. qui antea fuerat coecus, vid. ad Matth. 26, 6. *Glassius* Phil. S. p. 8. Respondebat: ὅτι προφήτης ἐστιν, *prophetam eum esse existimo.*

18 — 21. Synedri illi, audita responsione hominis hoc ipsius honorifico de Iesu testimonio suspicionem suam confirmari aiebant, simulabant tamen (v. 24.) se credituros esse, hominem fuisse coecum natum, si hoc ipsius parentes affirmarent, hos ergo arcessendos esse dicebant. — 19. καὶ ἠρώτησαν αὐτοὺς, λέγοντες· οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς κ. τ. λ.] quaestio, quam arcessitis proponebant, composita erat ad terrorem hominibus plebeiis et simplicioribus incutien-

dum, vt ex iis aliquid elicerent, quod coeci narrationem fufpectam redderet, et ipfa percunctatione oftendebant, quale refponfum defiderarent, nempe filium faltem non fuiffe a natiuitate coecum, hinc vtebantur verbis: ὃν ὑμεῖς λέγετε ὅτι τυφλὸς ἐγεννήθη, *quem coecum natum effe dicitis*, quibus verbis haud obfcure parentes ipfos quoque doli infimulabant. — 21. Tres quaeftiones propofuerant illi fynedri; ad fingulas eodem, quo propofitae erant, ordine parentes coeci refpondebant. Profitebantur hominem hunc praefentem effe ipforum filium, et a natiuitate fuiffe coecum, fed metu fynedrorum ad illam quaeftionem, *qui fit vt nunc vtatur oculis?* accurate refpondere declinabant, ne nominare quidem Iefum volebant, fed fe nefcire fimulabant, quomodo nunc filius cernat, et quisnam ei vim videndi conceffcrit, ac refponfionis onus in filium reiiciebant. ἡλικίαν ἔχει, *adultus eft*, *matura iam eft aetate*, vt fciat quid ipfi euenerit, et refpondere poffit. Formulam ἡλικίαν ἔχειν etiam optimae notae fcriptoribus exteris vfitatam effe, abunde comprobarunt *Heinfius* Exerc. p. 228. *Raphelius* Obff. Xenophh. et Herodo., *Albertius*, *Kypkius*, *Loefnerus*, *Wetftenius* ad h. l. αὐτὸς περὶ αὐτοῦ λαλήσει, *ipfe de fe profiteatur* l. profiteri poterit, vt ἐπιγνώσεσθε, dignofcere poteritis Matth. 7, 16.

22. ταῦτα εἶπον οἱ γονεῖς αὐτοῦ κ. τ. λ.] *ita vero refpondebant ipfius parentes Iudaeorum formidine; Iudaei enim legem fanxerant, vt fi quis Iefum Meffiam effet profeffus, facrorum communione prohiberetur.* ἀποσυνάγωγος γένηται tria vulgo ftatuuntur excommunicationis genera נִדּוּי, חֵרֶם et שַׁמְתָּא. Leuiffimum excommunicationis genus erat נִדּוּי, per XXX tantum dies durabat, ab vxoris adeo et domefticorum confuetudine ad quatuor cubitos excludebat, neque tamen a fynagoga excludebat, fi modo excommunicatus quatuor cubitorum fpatio a reliquis fegregatus federet. Grauius excommunicationis genus erat חֵרֶם, exclufio a conuentibus facris cum diris et maledictionibus

coniuncta; nullum plane commercium, nulla confuetudo cum homine hac poena affecto habenda erat. Grauiffimum genus fuiffe dicitur שַׁמְתָּא, exclufio a conuentibus facris et populo Iudaico perpetua. cf. *Buxtorfii* Lex. Talmud. p. 827. 1503. 2466. *Vitringa* de fynag. vet. L. 3. P. 1. c. 9. 10. *Witfius* Mifcell. Sacr. Vol. 2. p. 47 fqq. et *Lampius* ad h. l. Secundum excommunicationis gradum h. l. intelligendum effe, perquam probabile eft. συνετέθειντο vid. ad 7, 49. Decreuerant fynedri excommunicationem in Iefu affeclas, non autem in Iefum ipfum, ne nimis irritarent populum, et quoniam, vt videtur, fynedri Iefu fauentes collegis de eo excommunicando deliberantibus intercefferant, vid. 7, 51 fq. 12, 42. Metus populi forte etiam cauffa fuit, vt *Lampius* fufpicatur, cur lenioribus verbis hoc decretum fuerit conceptum, et ftricte tantum in eos directum, non qui Iefum pro egregio doctore, fed qui pro Meffia haberent. αὐτὸν, *eum*, i. Iefum, vt 20, 15. Saepius enim pronomina pertinent ad nomen diferte non expreffum, fed ex contexto fermone cognofcendum, notante *Glaffio* Phil. S. p. 158 fqq. quem vide. ἐφοβοῦντο τοὺς Ἰουδαίους metuebant; hominis parentes, ne fi Iefum fanationis auctorem profiterentur, aut verbulum aliquod in eius fauorem proferrent, in fufpicionem venirent, fe a partibus Iefu ftare, eum pro Meffia habere.

24. 25. Cum fynedri e parentibus coeci nihil elicere potuiffent, quod eius narrationem fufpectam reddidiffet, rurfus eum ipfum comparere iubebant, eumque alloquebantur verbis his: δὸς δόξαν τῷ Θεῷ· ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι ὁ ἄνθρωπος οὗτος ἁμαρτωλός ἐστιν] *Deum reuerere*, vt verum haud diffitearis, *exploratum enim habemus, hunc hominem effe fceleratum*. δὸς δόξαν τῷ Θεῷ, formula ab Hebraeis adhibita, cum vellent aliquem ad veritatem, velut coram Deo profitendam excitare, v. Iof. 7, 19. 1 Sam. 6, 5. Similis formula Matth. 26, 63. Senfus eft: verum fatere, nihil retice aut disfimula, fuiftine vere a natiuitate coecus,

atque ab isto sanatus? Quo prius ex eo elicerent responsum tale, quale desiderabant, suam fidem interponentes affirmabant, Iesum esse doctorem falsum, qui adeo tale miraculum patrare non potuerit. Iesum nominantes ἁμαρτωλὸν, *peccatorem*, *flagitiosum*, Matth. 5, 46. *religionis contemtorem*, respiciebant eo quod sabbatum, ex ipsorum sententia, violarat; sed quoad sensum ἁμαρτωλὸς h. l. notat *doctorem falsum*, *impostorem*, vt supra v. 16. Neque tamen homo ille auctoritate synedrorum stabat, sed irritatus eo, quod Iesum, quem ipse prophetam habebat, coll. v. 17. ἁμαρτωλὸν dixerant, respondebat: εἰ ἁμαρτωλός ἐστιν, οὐκ οἶδα, ἓν οἶδα κ. τ. λ.] *an sceleratus sit*, quod vobis constare dicitis, *equidem nescio*, *hoc tantum scio*, *me antea fuisse coecum*, *et nunc oculis uti*. Fuerunt, qui in his verbis notam aliquam inconstantiae et timiditatis obseruarent, quasi dissimulasset, se eum nosse, quem antea prophetam dixisset. Alii modestiae laudem sanato tribuunt, et hunc verbis ipsius sensum substituunt: non est mearum partium, vt ego excutiam, vtrum sceleratus ille sit, nec ne, ego homo indoctus et imperitus id decernere nequeo. Sed quae sequuntur, satis dilucide docent, ironiam his verbis inesse, hominemque modestiam et simplicitatem simulando irrisisse synedros. ἓν οἶδα, *hoc certo scio*, hac formula vtebantur, quibus de aliqua re persuasissimum erat. Terent. Andr. 1, 5. 46. vnum hoc scio, hoc meritam esse, vt memor esset *sui*. Phorm. 1, 2. 81. O Geta, quid te futurum est? Nescio hercle, vnum scio: quod fors feret, feremus aequo *animo*, v. *Wetstenius* ad h. l. ὢν habet vim praeteriti, cum sequatur ἄρτι βλέπω, v. ad 8, 58.

26. 27. Repetebant synedri eandem quaestionem, quam iam antea v. 15. proposuerant. Denuo edoceri volebant modum sanationis. Sperabant hominem illum nonnulla, quae a priori responso discreparent, prolaturum esse, vt adeo eum mendacem declarare possent, aut addi-

turum nonnulla, e quibus appareret, non fuiſſe veram et natiuam ipſius coecitatem. — 27. Probe intelligebat homo, quo tenderet iterata quaeſtio, nempe vt ipſum perturbarent, ex eoque aliquid elicerent, quo rem ſuſpectam redderent, neque adeo diutius indignationem ſummam cohibebat, ſed in hanc vocem erumpebat: εἶπον ὑμῖν ἤδη, καὶ οὐκ ἠκούσατε — γενέσθαι;] *iam vobis dixi, neque tamen mihi fidem habuiſtis, quare denuo audire cupitis?* num forte ſententiam veſtram mutaſtis? *num vos quoque eum ſectari decceuiſtis?* ἀκούειν duplici ſenſu h. l. poſitum legitur, cuius loquendi rationis exempla plura in Iohannis commentariis occurrunt, v. ad Ioh. 1, 34. nempe ἀκούειν primo loco poſitum notat: *probare, fidem habere*, id. qd. πιστεύειν v. 18. quod verbum etiam in nonnullis codd. ex interpretamento legitur. Neque adeo neceſſe eſt, vt cum *Heumanno* verba: καὶ οὐκ ἠκούσατε interrogatiue poſita putemus, aut cum nonnullis, praeeunte interprete vulgato, particulam οὐκ, quam omnes codd. et verſſ. reliquae retinent, e textu eiiciamus.

28. 29. Bilem mouebat ſynedrorum haec coeci reſponſio, quare ἐλοιδόρησαν αὐτὸν, *eum conuiciabantur.* λοιδορεῖν, *conuiciari, conuiciis proſcindere*, vt 1 Cor. 4, 12. 1 Petr. 2, 23. 2 Macc. 12, 14. Theophr. Char. 6, 1. Xen. Anab. 3, 4. 30. στρατιῶται παίουσι καὶ βάλλουσι καὶ λοιδοροῦσι τὸν Σωτηρίδαν. item, *obiurgare*, Xen. Cyr. 1, 4. 8. Anab. 3, 4. 30. Particula οὖν in pluribus libris deeſt, in aliis eius loco legitur δέ· quae inconſtantia gloſſema prodit, vnde recte *Griesbachius* eam ex ordine eiecit. σὺ εἶ μαθητὴς ἐκείνου, *tu es iſtius* nouatoris et impoſtoris *ſectator.* ἡμεῖς δὲ τοῦ Μωσέως ἐσμὲν μαθηταὶ, *nos ſumus Moſis ſectatores*, nos auitam religionem fideliter ſeruamus et ſeruabimus. — 29. ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι Μωσῇ λελάληκεν ὁ Θεὸς, *nos ſcimus, per Moſen Deum eſſe locutum*, eum fuiſſe Dei interpretem, a Deo miſſum. τοῦτον δὲ οὐκ οἴδαμεν πόθεν ἐστὶν, *a quonam autem hic* profanator ſabbati et impoſtor

miſſus ſit, *ignoramus*, populariter dictum pro, non eſt a Deo miſſus, ſuopte impulſu doctoris partes agit. πόθεν ἐστὶ non poteſt h. l. de patria explicari, *vnde ſit ortus*, ſed intelligi debet de Chriſti munere et auctoritate, cum Moſi opponatur, cf. Matth. 21, 25. Ioh. 3, 2.

30 — 33. ἐν γὰρ τούτῳ θαυμαστόν ἐστιν κ. τ. λ.] *hoc profecto miri quid habet*, *vos ignorare vnde hic venerit*, eum eſſe a Deo miſſum, legatum diuinum, *cum tamen mihi oculorum viſum conceſſerit*. καὶ vid. ad Matth. 6, 26. ἐν τούτῳ ſcl. τῷ μέρει, *ex hac parte*, *hactenus*, 2 Cor. 3, 10. 1 Petr. 4, 16. γὰρ h. l. vt ſaepius vim aſſeuerationis habet, vt Hebr. כי, v. *Perizonius* ad Ael. H. V. 8, 12. *Raphelius* Obſſ. Xenophh. ad Act. 4, 27. 16, 27. *Palairetus* ad h. l. *Noldius* Concordd. Particc. p. 394. ὑμεῖς cum emphaſi poſitum, vos qui ſcientia prophetas veros et falſos diiudicandi inſtructos vos eſſe dicitis, v. ad Ioh. 1, 19. — 31. οἴδαμεν δὲ ὅτι ἁμαρτωλῶν ὁ Θεὸς οὐκ ἀκούει] *nouimus autem Deum ſceleratorum preces non exaudire*. οἴδαμεν, *ſcimus*, nos inferioris ordinis homines a vobis edocti ſcimus. E miraculo a Ieſu patrato ſanatus colligit Ieſum eſſe verum prophetam. Eſt ergo ſermo de imploratione auxilii diuini ad patranda miracula, et ἁμαρτωλὸς, vt ſupra v. 16. 24. indicat, *impoſtorem*, *qui ſe legatum diuinum venditat*. Fruſtra ſibi impoſtor auxilium diuinum expetit. Haud improbabilis eſt *Semleri*, *Hezelii* et *Boltenii* coniectura, Ieſum cum ſanare vellet coecum, ſublatis in coelum oculis, vt Ioh. 11, 41. al. Deum adiutorem ſibi hac ratione adſtantibus oſtendiſſe, et preces dixiſſe. ἀλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ κ. τ. λ.] *ſed eum tantum adiuuare*, *qui pius ſit*, *eiusque mandata exſequatur*. θεοσεβὴς, qui pietatis eſt ſtudioſus, eamque promouere ſtudet, Dei cultor, non ſeductor populi. τούτου ἀκούει, huic Deus vim patrandi miracula concedit, hunc auxilio ſuo adiuuat. Vſus eſt homo ille vocabulis θεοσεβὴς et ἁμαρτωλὸς, quoniam ſynedri ipſi nomine ἁμαρτωλὸς v. 16. vſi erant. — 32. ἐκ τοῦ αἰῶ-

νος οὐκ, *nunquam*, vid. ad Luc. 1, 70. et *Wetstenius* ad h. l. οὐκ ἠδύνατο ποιεῖν οὐδὲν, nisi hic esset a Deo missus, et Dei vis ei adesset, *nil eiusmodi efficere possot.*

34. Synedri per hanc hominis liberam de Iesu professionem in rabiem acti, *dicebant:* ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος — αὐτὸν ἔξω] *tu qui totus vitiis obrutus natus es, nos edocere audes? eumque eiiciebant.* Verba ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεν. ὅ. non generatim continent summae flagitiositatis, hyperbolicam hominis pessimi descriptionem, sed iis haec sententia inest: iam ante natiuitatem tuam animus tuus vitiis infectus erat, ideo Deus te coecitate notauit, corporis natiuum vitium tuam vitiositatem arguit, vid. not. ad. v. 2. ἡμᾶς non sine emphasi positum, nos doctores populi, quorum est prophetas discernere, edocere conaris, quid de Iesu sit statuendum? ἐξέβαλον αὐτὸν, eum apparitorum ope eiiciebant, simulque excommunicabant; excommunicationem enim simul intelligendam esse suadere videtur v. 22.

35 — 38. Paulo post offendit Iesus hominem eiectum, cumque probe sciret, qua poena fuisset adfectus, quaue animi constantia de Iesu diuinitus adiuto persuasionem professus fuisset, vt hominis fidem confirmaret et augeret, eum ad persuasionem de dignitate sua Messiana perduceret, ita interrogabat eum: σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ; *visne ei, qui Messias est, fidem habere?* eius sectator fieri? Sanatus, qui vel e voce Iesu audita, vel ex sermonibus discipulorum, qui Iesum comitabantur, colligebat, Iesum esse eundem, cuius beneficio visum accepisset, profitebatur desiderium, Messiam cognoscendi, animumque promtum et paratum ad probanda ea, quae Iesus ei hac de re patefacturus esset. Respondebat igitur: τίς ἐστι, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν; *quisnam est, domine, vt eum fide complectar?* in eius disciplinam me tradam. Iesum prophetam quidem habebat, coll. v. 17. sed nondum Messiam.

Pro υἱὸν τοῦ Θεοῦ in nonnullis libris e glossemate legitur υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, quo nomine Iesus vulgo se insignire solebat. — 37. καὶ ἑώρακας αὐτὸν, καὶ ὁ λαλῶν μετὰ σοῦ, ἐκεῖνός ἐστιν, *nunc eum vides, qui tecum loquitur, ipse est* (Messias). ἑώρακας vim praesentis habet, vt 1 Ioh. 3, 6. προσεκύνησεν αὐτὸν, *supplex eum veneratus est*, v. ad Matth. 2, 2. 4, 9.

39. Diuersissimi sunt interpretes in explicanda voce κρίμα. Nonnullis κρίμα est *sententia condemnatoria*, *poena*. Sed haec significatio propterea non commode locum habere potest, quoniam in sequentibus etiam de *oculatis*, *de iis*, *qui oculorum visum accipiunt*, sermo est, nec fauent huic interpretationi loci Ioh. 3, 17. 12, 47. 5, 45. Quare nec adstipulari possum *Storrio*, qui Opuscc. T. 3. p. 237. verba explicat: meus in hanc terram aduentus coniunctus est huic *malo* (poenae), vt *etiamsi* videant coeci in hac caussa, *tamen coecutiant* bene videntes oculi. Scilicet κρίνειν omnino etiam notat *statuere*, *sententiam ferre*, dicere quid de re quapiam, de homine quopiam alicui videatur, vid. Luc. 7, 43. Ioh. 7, 24. et κρίμα est omnino *iudicium*, quod de aliqua re aut persona fertur, pronuntiatur. Hinc verba nostra explicari possunt: eo consilio in has terras veni, vt de hominibus iudicem, vt pronuntiem, quaenam sit eorum conditio, quid iis faciendum, hoc institutum meum hunc euentum habet, vt alii edoceantur, ad meliorem frugem redeant, et meam doctrinam admittant, alii se contumaces praebeant nec resipiscant, nec meam doctrinam admittant; vt adeo ἵνα indicet euentum, quem non spectauit, sed cuius aliquam occasionem et ansam habuit aduentus Christi v. *Storrius* l. c. Cum vero κρίνειν proprie sit *discernere*, et κρίμα *discretio*, *discrimen*, potest quoque verbis nostris hic sensus substitui: meus in has terras aduentus occasionem praebet, vt homines discernantur, veni ad discrimen proborum improborumque hominum per meam doctrinam patefaciendum, ita, vt qui ca-

rerent rerum diuinarum intelligentia et praua fequerentur, intelligentia illa imbuerentur et emendarentur, eorum autem, qui fe rerum diuinarum fcientia praeditos, probitatisque ftudiofiffimos temere putarent, infcitia atque improbitas planiffime appareret. Etiam particula εἰς vt ἵνα euentum indicat Luc. 2, 34. Hanc interpretationem praeferendam puto. Paulo durior videtur *Flatti* verborum expofitio Symbolar. ad illuftranda grauiora quaedam Iefu dicta in Eu. Ioh. P. 1. p. 28. aduentus meus, tanquam iudicis diuerforum hominum conditionis, hoc discrimen affert, vt, qui coecitatis fibi confcii lucis recuperandae fint cupidi, luminis reftituti veluti praemio afficiantur, qui vero (quamuis vere coeci) fanis oculis fibi effe videantur, maioris coecitatis poenam ferant. Caeterum, vt fatis conftat, in literis facris haud rarenter τυφλοὶ, *coeci*, tropice dicuntur omnino ii, qui in ignorantia verfantur, praua et falfa fequuntur; contra *videntes*, *oculati*, βλέποντες, qui meliori et accuratiori rerum diuinarum cognitione fruuntur, et quae vera ac recta funt, fequuntur v. ad Matth. 15, 14. Luc. 4, 18. Hoc loco tamen οἱ μὴ βλέποντες, flagitante orationis ferie (v. 41. λέγετε· ὅτι βλέπομεν), vt fere πτωχοὶ τῷ πνεύματι, Matth. 5, 3. dicuntur ii, qui agnofcunt et fentiunt, quam rudes fint doctrinae diuinae, qui fibi nullam rerum diuinarum fcientiam arrogant, hi *vifum accipiunt* (βλέπωσι), edocentur, accuratior iis rerum divinarum cognitio contigit, emendantur. Iam vero vi oppofitionis οἱ βλέποντες funt ii, qui fe fapientes et probos exiftimant (Luc. 18, 9.), qui fe videre folos putant, adeoque contumaces doctrinam Chrifti diuinam repudiant, quales erant fynedri et Pharifaei, hi *coeci fiunt* (τυφλοὶ γένωνται), coecitatis, infcitiae, improbitatis, arguuntur, coeci apparent.

40. 41. Pharifaei, qui interea acceffferant, cum probe intelligerent, fe Iefu oratione peti, indignabundi eum interrogabant, an et ipfos in numero coecorum po-

neret? Iis respondebat Iesus: *εἰ τυφλοὶ ἦτε, si coeci esse-tis*, h. e. si vos rerum diuinarum ignaros, a probitatis studio alienos putaretis et fateremini. *οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν*, peccati culpa vobis non inhaereret, non essetis rei culpae et poenae, mihi fidem haberetis, meam doctrinam admitteretis. *νῦν δὲ λέγετε κ. τ. λ.*, *iam vero gloriamini, vos oculatos esse*, in tanta vero vestra peruersitate vobis sapere videmini, omnemque mentis medicinam respuitis, ergo culpa vestra manet et poenas subibitis, *ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν*, 8, 24.

CAPVT X.

Fuerunt, qui putarent, quae in prima huius capitis sectione v. 1 — 22. leguntur, a Iesu alio tempore esse dicta, vt *Schulzius* in *Anmerk.* ad h. l. et *Bertholdtus* Verosimil. de Orig. Eu. Ioh. p. 39. Sed quae h. l. leguntur, cum iis, quae proxime praecesserunt, cohaerere praeter orationis Christi argumentum, vel docet formula *ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν*, quae alias quidem in responsionibus et vberiori doctrinae explicatione, vt 5, 24. 25. 6, 26. 32. 8, 34. 12, 34. etc. nunquam vero statim initio orationis occurrit. cf. etiam v. 19 sqq. Pergit Iesus disputare contra Pharisaeos, praesentibus discipulis, atque imagine a pastoribus et ouibus desumta, docet, nonnisi eos esse doctores populi hoc nomine dignos, qui ab ipso instituti essent, suamque doctrinam traderent; Pharisaeos contra, qui ipsum doctorem falsum et seductorem populi vocarent, v. 9, 28. nec Messiam legatumque diuinum agnoscerent, errores spargerent, et doctrinae diuinae cupidos, illius cognitione priuare, et impedire studerent, quo minus ad eam peruenirent, v. Luc. 11, 52. Ioh. 9, 22. esse doctorum nomine prorsus indignos, cum furibus potius atque latronibus comparandos 1 — 11. Pluribus deinde affirmat,

se esse verum Messiam et doctorem τῶν τυφλῶν, hominum doctrinae diuinae rudium, sed veritatis amantium verissimum, optimum. Caeterum, vt iam *Bengelius* obseruauit, cui etiam *Paulus* ad h. l. et *Bertholdtus* l. c. adstipulantur, perquam probabile est, Iesum in loco quodam campestri parabolas, quae h. l. leguntur, proposuisse, sub vespe. ram, cum greges ouium in septum cogerentur, et Iesus forte Bethaniam se conferre vellet. Solebat enim Iesus a rebus obuiis praeceptorum suorum illustrationem petere.

1. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ μὴ εἰςερχόμενος κ. τ. λ.] *mihi credite, qui non per ianuam ouile ingreditur, sed ex alia parte transcendit, is est fur et latro.* αὐλή, *ouile*, septum subdiale, quale habebant pastores Bethlehemitici, ruri degentes, et noctu greges custodientes, v. ad Luc. 2, 8. Phauorinus: αὐλή, ὁ περιτετειχμένος καὶ ὕπαιθρος τόπος. Per τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων intelligitur, omissa imagine, populus Iudaicus, melioris institutionis indigus et cupidus, coll. v. 16. Etiam in libris V. T. populus Dei saepius cum grege, doctores cum pastoribus comparantur, v. Ezech. 34, 11. Ier. 23, 4. 5. etc. Cum Christus ipse v. 7. 9. se θύραν dixerit, per quam introitus in ouile pateat, atque v. 2. is, qui intrat, pastor dicatur: patet, per τὸν εἰςερχόμενον διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν intelligendum esse doctorem coetus a Christo constitutum; atque adeo per τόν ἀλλαχόθεν ἀναβαίνοντα significari, doctorem a Christo non constitutum, doctorem falsum et illegitimum, malis artibus et fraudibus auctoritatem sibi conciliantem. ἀλλαχόθεν id. qd. ἄλλοθεν (vid. Thomas Magister, Moeris et Hesychius), *ab alia septi parte*, non per ianuam. ἐκεῖνος κλέπτης ἐςὶ καὶ λῃςής] eiusmodi doctor furi atque latroni est comparandus, est homo pessimus, doctoris nomine prorsus indignus, suis tantum commodis, honoribus et diuitiis studet, magno cum detrimento populi. Tales erant inprimis Pharisaei, reliquique ductores populi. κλέπτης καὶ λῃςής aucta sunt vocabnla, quae parum inter

ſe differunt, vt ſignificaretur homo turpiſſimus et peſſimus.

2. 3. ὁ δὲ εἰςερχόμενος διὰ τῆς θύρας ποιμήν ἐςι τῶν προβάτων] *qui vero per ianuam ingreditur, is paſtor eſt ouium*, cui per me aditus ad gregem datur, eſt doctor legitimus. Non eſt h. l. de Chriſto paſtore ſermo, nam ſe modo nominauerat θύραν, compararat ſe cum ianua, per quam aditus ad gregem pateret, nec legitur ὁ ποιμήν, ſed intelliguntur ſocii paſtoris domini, ſerui, qui paſtorem dominum in paſcendis et tuendis gregibus adiuuant, vel eius vices explent. διὰ τῆς θύρας ſcl. εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων. Caeterum appoſite *Chr. Godofr. Müllerus* in Animaduu. in Ioh. 10, 1 ſs. Leucopetrae 1788. 4. ad h. l. notauit haec: fieri quidem poteſt, vt et fur interdum irrumpat in ouile per ianuam, et paſtor transſiliat ſeptum, verum in parabolis verba non ſunt nimis premenda, ſatis eſt, declarare id, quod plerumque fit. Popularitas non anxie philoſophatur, nec ſubtilitates et exceptiones curat. — 3. τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει, καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει] *ianitor ei oſtium aperit, eiusque vocem oues agnoſcunt.* θυρωρὸς eſt *ianitor*, Heſychio interprete, φύλαξ τῆς θύρας. Iudaei opulentiores alere ſolebant ianitorem, qui dicebatur שֹׁעֵר 2 Regg. 7, 10. Ez. 44, 11. Etiam Graeci et Romani ſuos habebant oſtiarios, qui erant e ſeruorum genere, v. *Pignorius* de ſeruis p. 443 ſs. De his vero ſeruis h. l. non eſt ſermo, ſed intelligi debet vnus ex paſtoribus, qui in ouili verſatur, et compaſtori pulſanti ianuam aperit, atque eatenus θυρωρὸς nuncupatur. Erant enim ouilia quoque maiora, in quae non vnus et alter, ſed multi paſtores ingredi, ibi habitare atque dormire ſolebant. Quae autem h. l. de θυρωρῷ notata ſunt, pertinent ad ornatum parabolae, vid. not. ad Matth. 13, 3. p. 392. Luc. 15, 11. neque adeo ſingula ad latum vnguem reſecanda ſunt, nec quaerendum eſt, quinam per θυρωρὸν paſtorem ianuam aperientem, ſignificetur, nam verbis τού-

τῷ ὁ θυρωρὸς — αὐτοῦ ἀκούει omnino haec ſententia exprimitur: diſciplinae meae alumni, a me doctores conſtituti, a veritatis diuinae cupidis et ſtudioſis doctores agnoſcuntur. τῆς φωνῆς ἀκούει, ei vocanti obediunt, nam οἴδασι τῆς φωνῆς αὐτοῦ, eius vocem noſcunt, v. 4. Vocabulum φωνή, vt Hebr. קול, de quouis ſono adhibetur, atque adeo de paſtore gregem ducente ſignificare poteſt, alloquium lene et increpationem, fremitum oris quemcunque, ſibilum labiorum, clangorem fiſtulae (Longus Paſtoral. L. 4. c. 11. p. 437. ed. *Boden*), vt bene obſeruauit *Müllerus* ad h. l. καὶ τὰ ἴδια πρόβατα καλεῖ κατ' ὄνομα] *oues ſuas nominatim vocat.* Solebant paſtores et etiamnum ſolent, bobus, hircis, ouibus, nomina indere, v. Eurip. Cycl. v. 49. *Wartonus* ad Theocrit. Id. 5, 101. Longus Paſt. 4, 19. p. 475, *Boden.* καὶ τὰς αἶγας προςεῖπε, καὶ τοὺς τράγους ἐκάλεσεν ὀνομαςὶ, *allocutus eſt capras, hircosque ſuis compellavit nominibus.* ib. c. 17. ὁ δὲ Δάφνις καὶ ἐκάλεσέ τινας αὐτῶν ὀνομαςὶ, *vocauit aliquas earum* (capellarum) *nominatim.* Indicatur autem his verbis, et iis, quae v. 4. leguntur, omnino, paſtoris cura, amor et ſtudium quo ouibus praeeſt. Pro καλεῖ in aliis libris legitur φωνεῖ, e gloſſemate, cui praecedens φωνή occaſionem dedit. τὰ ἴδια, *ſuas,* ſuae curae concreditas. καὶ ἐξάγει αὐτὰ, nempe ἐκ τῆς αὐλῆς ἐπὶ νομὰς, *e ſtabulo in paſcua.*

4. 5. καὶ ὅταν τὰ ἴδια πρόβατα ἐκβάλῃ] *quando oues ſuas ducit.* ἐκβάλλειν id. qd. ἐξάγειν v. 3., quo ſenſu etiam Hebraica verba שלח et גרש ponuntur v. τοὺς ὁ Iob. 23. 7. Hab. 1, 4. et verbum נחה Alexandrini interpretes Ier. 23, 12. expreſſerunt verbo ἐξάγειν, ſed 2 Par. 13, 9. ἐκβάλλειν. Verba ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται ornatus cauſſa addita ſunt. — 5. ἀλλοτρίῳ δὲ οὐ μὴ ἀκολουθήσωσιν — τὴν φωνήν] *alienum vero non ſequuntur, ſed eum fugiunt, quoniam non ipſius vocem agnoſcunt.* ἀλλότριος, *alienus;* innuuntur hoc nomine doctores falſi, Phariſaei; eos veritatis amantes, doctrinae diuinae cupidi aſpernantur et

fugiunt. Haud dubie respexit quoque Iesus his verbis coeci illius integritatem et constantiam, qui minas synedrorum contemserat, neque eorum voluntati paruerat, v. 9. 24 sq.

6. 7. παροιμία Hebr. משל id. qd. παραβολή, *collatio*, *similitudo*, v. *Vorstius* de Hebraism. N. T. p. 148 sq. 788 ss. ed. *Fisch.* et quae de Christi parabolis notauimus ad Matth. 13, 1. οὐκ ἔγνωσαν] Pharisaeos adeo fuisse stupidos, vt non intellexerint, se a Iesu tangi et reprehendi, parum probabile est, quare οὐκ ἔγνωσαν reddi potius debet: *intelligere nolebant*, v. ad Marc. 14, 51. Luc. 1, 59. 74. 4, 42. 5, 6. Ioh. 8, 27. 43. simulabant se verbis Christi non moueri. Iesus igitur parabolam ante propositam breuiter repetebat, ita, vt imaginem ipsam retineret, verba tamen propria atque perspicua adderet. — 7. ἐγώ εἰμι ἡ θύρα τῶν προβάτων, *ego sum caulae ianua*. *Weberus* in Diss. inscripta: Parabola Christi Ioh. X. noua ratione explicatur. Viteb. 1789. 4. θύρα h. l. pro θυρωρός, *ianitor*, positum putat, et per *ianitorem* h. l. vt v. 3. *pastorem dominum* ad ianuam excubias agentem intelligit. Iam quamquam negari nequit, abstracta saepius poni pro concretis, vt v. c. ὁδὸς pro ὁδηγός, magnam tamen duritiem h. l. haec interpretandi ratio habet, nam in parabola ipsa θύρα et θυρωρός, *ianua* et *ianitor*, diserte distinguuntur, nec v. 3. ὁ θυρωρὸς est *pastor dominus*, Christus, sed pastor socius, et Christus iam in eo est, vt parabolam explicet, ac bis repetit vocabulum θύρα, quomodo ergo in explicatione parabolae *ianua* pro *ianitore* posita esse possit, non perspicio. Sunt etiam, qui putent, inde ab hoc versu Christum non loqui de ecclesiae doctoribus, sed omnino de iis, qui regnum Messianum adire, in ecclesiam christianam recipi velint, cum in vniuersum commemorentur πρόβατα et Iesus vsus sit verbis θύρα τῶν προβάτων, nec dixerit θύρα εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, cum et verba, εἶπεν οὖν πάλιν perspicue doceant, nouam orationem h. l.

incipere. Verum enimuero, quae v. 7 fqq. leguntur, accurate cohaerent cum antegreffis, addita funt vt explicaretur parabola, quae praeceffit, eft etiam v. 8. de Pharifaeis, doctoribus falfis fermo, et θύρα τῶν προβάτων concife dictum eft pro θύρα εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, vt fupra v. 2. εἰςέρχεσθαι διὰ τῆς θύρας dictum eft pro εἰςερχ. διὰ τ. θ. εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων. Caeterum comparatio Chrifti cum ianua paulo audacior videri poffit, fed ea ex genio orientalium metienda eft, et fimiles comparationes leguntur 6, 33. 14, 6, 15, 1.

8. πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταὶ] *quicunque ante me venerunt, funt fures et latrones.* Mirifice exercuit interpretum induftriam hoc Chrifti effatum, inprimis eos valde torferunt verba πρὸ ἐμοῦ. Hinc nonnulli haec ipfa verba πρὸ ἐμοῦ tanquam fpuria delenda cenfuerunt, et reliqua verba reddiderunt: *omnes qui venerunt f. veniunt in feptum* fcl. non per ianuam, per me, *fures et latrones funt habendi.* In multis quoque codd. et verff. antiquis verba πρὸ ἐμοῦ non leguntur, fed plures optimae notae codd. et verff. ea retinent, et facilius omitti potuerunt, quam addi, deleta nimirum funt a grammaticis et librariis, quibus offenfioni effent, iis abutebantur etiam, vt Theophylactus notauit, Manichaei, ad minuendam V. T. auctoritatem, explicabant nimirum ea de Mofe et prophetis V. T. v. *Millius, Wetftenius et Griesbachius* ad h. l. — *Müllerus* l. c. legendum effe coniicit χωρὶς ἐμοῦ, *fine me.* Haec fane lectio, fi locum habere poffet, fenfum contextui apprime conuenientem praeberet, fed ea eft omni auctoritate critica deftituta, nec facile demonftrari poterit, quomodo πρὸ ἐμοῦ loco χωρὶς ἐμοῦ in textum irrepferit. Iam cum verba πρὸ ἐμοῦ omnino genuina effe videantur; haud pauci exiftimarunt, Iefum tangere eos, qui fibi ante ipfum Meffiae dignitatem arrogaffent. Ita ex antiquioribus Chryfoftomus, Cyrillus, ex recentioribus *Grotius, Hammondus, Heumanus, Morus, Eckermanus,* alii, fta-

tuerunt, quorum nonnulli etiam praepofitionem πρὸ vim habere putarunt praepofitionis ὑπὲρ, *vice*, *loco meo*, vt ap. Eurip. Alc. 466. Sed eiusmodi homines, qui fibi Mefſiae dignitatem arrogaffent, *ante* Chriftum extitiffe, idoneis argumentis demonftrari nequit, v *Mofchius* in *Erklärung d. Sonntags-Evangelien* ad h. l. Nempe fermo eft de doctoribus falfis, qui iam fupra v. 1. *fures et latrones dicebantur*, et loquitur Iefus de temporibus fuis, loquitur populariter, ita vt fenfus fit: a me inftituuntur et conftituuntur doctores hoc nomine digni, *omnes fere*, plerique (Matth, 21, 26.) *qui*, his temporibus, antequam ego ianua apparui, Meffias et doctor fummus prodii, a quo doctores inftituuntur et conftituuntur, *doctores populi fuerunt*, ad ouile accefferunt, *erant homines peffimi*, doctores hoc nomine indigni, lucri commodorumque cupiditate ducebantur, auctoritate fua abutebantur, eorumque conatus perniciem populi fpectabant. Tales autem erant Pharifaei, coll. Matth. 23. quos potiffimum h. l. Iefus refpicit. Pro εἰσὶ in paucis quibusdam libris e gloffemate legitur ἦσαν. Recte autem *Bengelius* in Gnom. ad h. l. monuit, verbum εἰσὶ, *funt*, in praefenti, indicare, illud ἦλθον, *venerunt*, accipiendum effe, de tempore praeterito proximo. ἀλλ' οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα] *fed oues*, populos, Iudaei veri amantes, pietatisque ftudiofi, ita animati, vt ille coecus erat, *eos non audiuerunt*, iis non obtemperarunt, eos repudiarunt et contemferunt.

9. Quae fequuntur, alii ad *doctores et oues*, vt *Rofenmüllerus*, alii, ad *oues* referenda putant, vt *Storrius* Opufcc. T. 3. p. 148. Sed vt recte monuerunt alii, nominatim *Müllerus* l. c., omnia referenda funt ad paftores f. doctores, non ad populum. Iefus enim totum hunc locum tractauit non populi, fed Pharifaeorum cauffa. Etiam v. 10. de doctoribus falfis fermo eft. δι' ἐμοῦ ἐάν τις εἰςέλθῃ fcl. εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, qui aufpiciis meis et doctrina mea recipienda ac feruanda praeeft populo do-

cendo et regendo. σωθήσεται, *felix erit*, amoris, obedientiae, reuerentiae officium ei praeftabit populus, grex; τὰ πρόβατα τῆς Φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει v. 3. 4. oppolita formula v. 8. οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα, felici fucceffu munere fuo fungetur, et populum, gregem, ducet via ad felicitatem perennem, νομὴν εὑρήσει. Felicitas eiusmodi doctoris genuini per imagines adumbratur: καὶ εἰςελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται] *ingredietur et egredietur*. Eft forma loquendi Hebraica, quae adhibetur de muneris adminiftratione, vt Num. 27. 17. et de felici rerum fucceffu, vt Deut. 28. 6. Pf. 121, 8. vtrumque h. l. coniungendum, *felici fucceffu munus fuum adminiftrabit*. Appofite *Müllerus*: videtur Iefus vfus effe hoc loquendi genere, vt inhaereret allegoriae, et in memoriam auditorum reuocaret verba: εἰςέρχεσθαι εἰς τὴν αὐλὴν v. 2., τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει, καλεῖ, ἐξάγει τὰ πρόβατα v. 3. καὶ νομὴν εὑρήσει] *atque pafcua* optima habebit, in prata laeta ducet gregem, nunquam eius ouibus deerit paftus. Animus eius femper plenus erit praeceptis diuinis, quibus adhortetur, confoletur, excitet et confirmet animos hominum.

10. 11. ὁ κλέπτης οὐκ ἔρχεται κ. τ. λ.] *fur non venit, nifi furandi, mactandi et perdendi cauffa.* Cum haec verba Pharifaeos reliquosque ductores populi peruerfos fpectent, fenfus eft: doctores falfi, feductores illi populi, nonnifi id agunt, vt lucrum, commoda, honores captent, et populum perdant. — 11. Inde ab hoc verfu, miffa comparatione a ianua defumta, ad aliam imaginem Iefus transit. *Ego veni*, doctor prodii, *vt vitam feruarent et bonis abundarent*, vt perfruerentur felicitate fumma, maxima.

12. 13. Locutus erat hactenus Iefus de virtutibus et ornamentis doctorum ecclefiae a fe conftitutorum, iam vero verba facit de fe ipfo gregis paftore, et fe opponit μισθωτῷ, qui non habeat oues fibi proprias, οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια. Defcribit ergo fe tanquam paftorem dominum,

(γινώσκω τὰ ἐμὰ v. 14. ἄλλα πρόβατα ἔχω v. 16.) ἀρχιποιμένα 1 Petr. 5. 4. atque hac imagine ſe non modo gentis Iudaicae doctorem, ſed etiam eius dominum, ſeu regem, Meſſiam declarat, vt adeo in vocabulo ποιμὴν non modo notio doctoris, ſed etiam regis et domini, Meſſiae lateat. Quam quidem interpretationem vſus loquendi confirmat. Etenim ποιμαίνειν omnino notat ſaluti alicuius proſpicere, maxime docendo, cohortando, conſulendo etc. Solent vero etiam ſcriptores Graeciae antiquiſſimi, reges et principes vocare ποιμένας λαῶν, vt Hom. Il. α', 263., vbi ſcholiaſt. ποιμένα λαῶν explicat, βασιλέα ὄχλων· et in libris V. T. haud vno in loco reges ac principes, *paſtores* nominantur, v. Ier. 22, 22. 23, 1 ſ. Ezech. 34, 2. cf. et *Loeſnerus* ad h. l. Iam verba ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς haud pauci interpretes vertunt: *ego ſum ille paſtor verus*, quem expectatis l. promiſſus, i. e. Meſſias, vt adeo Chriſtus alluſerit ad vaticinia prophetarum, qui ipſum paſtorem, Meſſiam fore cecinerint. Sed comparatio h. l. deſumta eſt e vita communi. Neque adeo, etſi non negauerim, articulum aliis in locis ſaepius vim aliquam habere, noſtro loco articuli repetitio vrgenda videtur, vt nec 15, 1. in verbis ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, quae verba nemo facile interpretabitur: *vitis vera in V. T. promiſſa*, cum hanc imaginem V. T. neſciat. καλὸς id. qd. ἀληθινὸς, i. e. hoc nomine dignus, optimus, fideliſſimus, v. 15, 1. 6, 32. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων] *vitam ouium ſalutis cauſſa deponit*, ne vitae quidem ſuae parcit, mortem obire paratus eſt. τιθέναι ψυχὴν eſt Latinorum *animam* (i. e. vitam, vid. *Burmanus* ad Ouid. Met. 7, 590.) *deponere* (Corn. Nep. V. Hannib. c. 1. *odium paternum erga Romanos ſic confirmauit, vt prius animam quam id depoſuerit.* Valer. Max. 6, 9. 13. *in publicis vinculis ſpiritum depoſuit.* add. Propert. 1, 13, 17.) et Hebraeorum שׂוּם נֶפֶשׁ 1 Sam. 19, 5., vbi οἱ ὁ· καὶ ἔθηκα τὴν ψυχήν μου ἐν τῇ χειρί μου· add. 28, 21. Iudd. 12, 3. Polybium vero etiam et Hippocratem formulam ψυχὴν τιθέναι

vſurpaſſe, probauit *Kypkius* ad Ioh. 11, 36. Et hoc quidem loco, vt illis in locis e libris Sam. et Iudd. laudatis, haec formula intelligenda eſt de periculis mortis, vt ſenſus ſit: paſtor hoc nomine dignus, mortem non declinat, ſe mortis periculis, ouium ſalutis cauſſa, impauidus obiicit, ſiue mors ſequatur, ſiue illa non ſequatur. *ὁ μισθωτὸς δὲ*] *mercenarius autem.* *ὁ μισθωτὸς*, qui a domino gregis et ſeruis paſtoribus diſtinguitur, proprie eſt, mercenarius, paſtor ouium a domino gregis mercede conductus; hoc loco autem malo ſenſu hoc vocabulum accipiendum eſt, vt omnis orationis contextus, inprimis v. 13. docet; nec Chriſtus, qui ſibi opponit *μισθωτὸν*, ſe ſimpliciter dixit *ποιμένα*, ſed *ποιμένα καλόν*. Sunt quidem etiam mercenarii boni, ſed quoniam rari ſunt, propterea plerumque hoc vocabulum in malam partem ſumitur, vt h. l. Quosnam vero hoc nomine inſigniuerit Chriſtus, quaeritur. Equidem adſtipulor iis, qui de Phariſaeis, reliquisque populi curatoribus et ductoribus cogitant. Obiecerunt quidem *Michaelis* et *Roſenmüllerus*, Ieſum antea Phariſaeos nominaſſe fures et latrones, neque adeo eosdem h. l. commode cum mercenariis comparare potuiſſe; eſſe potius haec vniuerſe dicta, vt in vita communi: mercenarius, quatenus eſt mercenarius, ſi comparetur cum paſtore, non magnopere curat oues, huic non tanta eſt cura gregis, vt pro eius ſalute periculo mortis ſe exponat. At enimuero Ieſus ipſe h. l. munus officiumque ſuum ſub variis imaginibus deſcripſit, antea ſe nominauerat *ianuam*, iam vero *paſtorem* dicit, ſic ergo etiam variare poterat in deſcribenda Phariſaeorum reliquorumque curatorum populi peruerſa cogitandi et agendi conſuetudine, et commode eos comparare poterat cum mercenariis, quoniam honoribus vnice et turpi lucro inhiantes, oues perire ſinebant, ſalutis populi nullam curam habebant, et contumeliis, minis, poenis, ſectatores Ieſu ab eo abſtrahere et ad ſuas partes perducere ſtudebant. Erat praeterea Hebraeis familiare in allegoriis ab vna imagine ad alte-

ram, etiam a priori quam maxime diuerſam ſubito transire. Sic Hoſ. 13, 13. Iſraelitae primo comparantur cum femina grauida, quam partus dolores corripiunt, et paulo poſt cum filio naſcituro. Ezech. 34, 1 ſqq. principes Iſraelitarum comparantur cum paſtoribus, ſed v. 10. cum lupis, v. 17. cum hoedis et arietibus. *καὶ οὐκ ὢν ποιμὴν, qui* (*καὶ* id. qd. *ὃς*) nempe vtpote talis *non eſt paſtor*, gregis dominus, ita enim accuratius horum verborum ſenſus conſtituitur, additis verbis: *οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια, qui non habet oues proprias. ἴδιος* in hoc contextu eſt *proprius. ἐρχόμενον* pro *εἰςερχόμενον, irruentem* in gregem. *καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ, καὶ σκορπίζει τὰ πρόβατα, ita vt* (*καὶ* vid. ad Matth. 12, 45.) *lupus oues diripiat, et* reliquum gregem *diſſipet. σκορπίζειν, diſſipare,* vt 16, 32. 1 Macc. 6, 54. Matth. 12, 40., vbi *συνάγειν* et *σκορπίζειν* ſibi inuicem opponuntur.

14. 15. Formula *γινώσκω τὰ ἐμὰ* opponitur verbis v. 13. *οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων, non curam gerit ouium,* et explicatur verbis vltimis v. 15. *καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων, ouium ſalutis cauſſa vitae periculum ſubeo*, et formula v. 15. *γινώσκει με ὁ πατὴρ,* explanatur v. 17. *ἀγαπᾷ με ὁ πατὴρ,* quoniam nimirum *ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχήν μου,* coll. v. 15. planiſſimum ergo eſt, *γινώσκειν* h. l. eſſe, *amare*, quo ſenſu et alias vt Hebr. ידע adhibetur, vid. ad Matth. 7, 23. *Glaſſius* Philol. S. p. 829. ed. *Dath. καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν, et a meis redamor.* In nonnullis libris legitur: *γινώσκουσί με τὰ ἐμὰ*, quae verba a grammaticis adſcripta fuiſſe videntur, quoniam ſequitur: *καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ κ. τ. λ.* Verba autem *καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα* adiecit Chriſtus ad exprimendam amoris magnitudinem, eo amore eos amplector quo me proſequitur pater, et quo ego patrem proſequor i. ſummo.

16. *Praeterea mihi ſunt aliae oues, non ex hoc ouili, pariter a me adducendae, voci meae obtemperabunt*, doctri-

nam meam fuscipient, *et erit vnus grex, vnus paftor;* erit focietas hominum, quae vnam eandemque religionem profiteatur, vnum eundemque dominum ac doctorem colat. μία, *vna eademque*, vt 1 Macc. 1, 43. πάσῃ τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ εἶναι πάντας λαὸν ἕνα, voluit rex Antiochus, *vt omnes regni ipfius ciues vnam eandemque profiterentur religionem.* Per τὰ ἄλλα πρόβατα *gentiles* intelligendi funt. Etenim in coetu Iudaeorum Iefus hactenus vixerat, Iudaeos docuerat, eorum paftorem fe effe afferuerat, cum ergo alias oues iis opponat, intelligendi funt gentiles, quos πρόβατα nominat per prolepfin, cum non modo vellet vt inter eos doctrina fua propagaretur Ioh. 17, 18. Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. fed etiam praeuideret eos quoque religionem fuam fufcepturos effe, vid. Matth. 8, 11. Luc. 13, 28 f. Matth. 13, 37. 38. coll. 24 — 30. 21, 43. 24, 14. Marc. 13, 10. *Paulus* tamen in *Kommentar* ad h. l. et Th. 3. p. 209. 404 f. 917 fs. per *oues alias* intelligendos putat *Iudaeos extra Palaeftinam viuentes*, a qua opinione nec *Wolfius* in Curis ad h. l. alienus fuit, qui tamen inprimis de gentilibus cogitandum effe ftatuit. Animaduertit nimirum *Paulus*, Iefum nihil vnquam tradidiffe aut egiffe, e quo pateat, fe gentiles, nifi Iudaeorum religionem amplecterentur, in regnum Meffianum recipere voluiffe; Iefum ad gentiles fe non conuertiffe; a more prophetarum his bona quaeuis offerendi, fi Iudaeorum religionem amplecterentur, non deflexiffe; et Petrum tum demum, cum ad Cornelium arcefferetur, certo cognouiffe, gentilibus quoque aditum ad religionem chriftianam patere Act. 10, 9 fqq. Docte et accurate contra hanc fententiam disputauit *Rauius* in: Commentatiuncula de Iefu gentilium paftore ad Ioh. 10, 16. Erlang. 1807 4. Monet, Iefum, etfi confilium fuum de vocandis ad religionem fuam gentilibus, generatim tantum atque vniuerfe expofuerit, interdum tamen talia dixiffe et egiffe, ex quibus prudentiores colligere potuiffent, ipfi hoc propofitum effe, vt Mofaicam religionis formam aliquando abrogaret, eumque

certam fpem habuiffe, fore, vt irrita fieret. Prouocat hanc in rem *Rauius* ad Ioh. 4, 20—24. Matth. 26, 28. Marc. 14, 29. Luc. 22, 20. vbi per *nouum foedus*, noua religionis forma, veteri Mofaicae oppofita, intelligenda fit. Obferuat non obftare locum Matth. 5, 17 fs. ibi enim per legem non eam intelligi, quae ad facros Iudaeorum ritus fpectet, fed legem moralem et aeternam, omnium hominum mentibus infixam Rom. 2, 15. Iefum profeffum quidem effe Matth. 15, 24. *fe* nonnifi ad gentem Iudaicam miffum effe, cum vero aliis temporibus fignificauerit, fibi propofitum effe, vt omnium gentium homines falutari doctrina imbuerentur; ea quae ibi mulieri Syrophoeniffae dixit, tantum hoc innuere, *fe ipfum* nolle beneficia fua offerre gentilibus, fed hoc per alios fieri debere (Vid. quae notauimus ad Matth. 10, 5. c. 21. p. 568); quae porro a *Paulo* l. c. de prophetis gentiles ad fuscipiendam religionem Iudaicam inuitantibus afferantur, ea rem, de qua nunc fermo fit, non tangere, Iefum enim illis prophetis fuperiorem fuiffe, et de Iudaica religione aliter, quam eos fenfiffe; Petrum denique, antequam ad Cornelium vocaretur, ignoraffe quidem, legem cerimonialem effe fublatam, nec mentem magiftri fui fatis perfpectam habuiffe, fed Petri exemplum nil nifi hoc docere, eum adhuc non omnibus, quas imbibiffet, praeconceptis opinionibus valedixiffe. Notat praeterea *Rauius*, ipfa verba v. 16. ἄλλα πρόβατα ἔχω κ. τ. λ. pro vulgari interpretatione pugnare. Iefum nimirum oppofuiffe *alias oues*, iis de quibus hactenus locutus effet i. e. Iudaeis, quorum paftorem fe effe affirmaffet. His non potuiffe eum opponere Iudaeos extra Palaeftinam viuentes, cum omnes Iudaei, fiue Palaeftinam incoluerint, fiue inter exteras gentes difperfi fuerint, licet varias fequerentur fectas, vnam tamen eandemque religionem profiterentur. Difperfos per terrarum orbem Iudaeos, ad celebrandos dies feftos Hierofolymam effe profectos, eoque ipfo fignificaffe, fe cum Iudaeis Palaeftinenfibus arctiffimo religionis vinculo effe

coniunctos; illos igitur et hos fuisse *vnum gregem*; multos etiam Iudaeos exteros Iesum, Hierosolymis palam in templo docentem, audiuisse, adeoque eius doctrinam cognitam habuisse; nec solum Iudaeos omnes, vbicunque locorum essent, Iesum πρόβατα ἀπολωλότα τοῦ οἴκου Ἰσραὴλ dixisse Matth. 15, 24. eoque nomine a gentilibus discreuisse, sed in aliis quoque N. T. locis Iudaeos a profanis gentibus per alia nomina diligenter discerni. Atque haec quidem argumenta docere quemque posse opinamur, vulgarem loci interpretationem omnes partes, notas ac numeros veritatis habere.

17—21. *Propterea me pater amat, quoniam vitam meam deponam, ita vt eam recipiam.* τιθέναι τὴν ψυχὴν cum ei opponatur πάλιν λαμβάνειν h. l. est, *vitam deponere.* ἵνα vt saepius euentum indicat. — 18. οὐδεὶς αἴρει αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ, *nemo mihi* inuito *eam eripere potest, sed sponte eam deponam.* De morte Christi voluntaria vid. not. ad Matth. c. 21. p. 567. add. 16, 21, ἐντολὴ *mandatum, der Auftrag*, demandauit mihi pater hanc prouinciam, hoc negotium exsequendum. — 19. Cum Iesus discessisset, *denuo*, πάλιν (respicitur ad ea quae 9, 16. leguntur) dissidium inter primores populi, Pharisaeos praesentes (9, 40.) *extitit*; obscura iis inprimis erant dicta Iesu quae v. 16 sqq. continent. — 20. δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται, *a genio malo correptus insanit*, vid. ad 8, 48. δαιμόνιον autem v. 21. est id. qd. δαιμονιζόμενος, *mente captus*, vnde et in nonnullis codd. e glossemate legitur δαιμόνιον ἔχων et δαιμονιῶν.

22, 23. ἐγένετο δὲ τὰ ἐγκαίνια ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις κ. τ. λ.] *cum dies festi instaurationis templi Hierosolymis agerentur, et pluuia tempestas esset, adeoque Iesus in templo, in porticu Salomonis obambularet.* Ἐγκαίνια, quod nomen in versione Alexandrina respondet Hebr. חֲנֻכָּה. vid. Esdr. 6, 16, 17. generatim notat: *festum in memoriam rei alicuius dedicatae renouatae et repurgatae, institutum.* Suidas:

ἐγκαίνια· ἑορτὴ καθ' ἣν ἐκαινουργήθη τι. Hoc loco ſignificatur, feſtum in memoriam dedicationis et repurgationis templi ab Antiocho profanati, a Iuda Maccabaeo inſtitutum, 1 Macc. 4, 59. vbi ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ dicitur, et celebratum eſſe die XXV. menſis Cisleu, qui reſpondet fere noſtro XV Decembris. Apud Ioſephum Ant. 12, 7. 7. vocatur Φῶτα *lumina*, quoniam per octo dies noctu lucernae in domibus in ſignum laetitiae accendebantur. Celebrabatur autem hoc feſtum, non tantum Hieroſolymis, vt feſtum Paſchatos, Pentecoſtes et tabernaculorum, quae nonniſi Hieroſolymis peragi poterant, ſed celebrabantur Encaenia vbiuis per totam regionem, vid. *Lightfootus* ad h. l. Verba καὶ χειμὼν ἦν haud pauci interpretes explicant: *hiemis tempore*, et *Bengelius* notat, adieciſſe haec verba Euangeliſtam, eorum lectorum cauſſa, quibus non notum eſſet tempus, quo Iudaei Encaenia celebraſſent. Sed longe probabilior videtur ſententia *Clerici*, *Erasmi Schmidii*, *Lampii*, *Heumani*, *Semleri*, aliorumque, qui ſtatuunt, continere haec verba rationem, cur Ieſus non ſub dio, ſed in porticu templi egerit, adeoque χειμὼν Lat. *hiems*, h. l. notare tempeſtatem malam, inclementem; pluuioſam, quo quidem ſenſu vocabulum χειμὼν haud raro poſitum comparet, vid. Xen. Cyrop. 5, 4. 3. εἰς λιμένα ἐκ χειμῶνος προσφέρεσθαι add. Matth. 16, 3. Act. 27, 20. vbi v. *Kypkius* Antonin. Lib. 26. ἐγένετο χειμὼν καὶ σάλος. Ael. H. V. 9, 20. 30. Pollux 1, 108. *Cuperus* Obſſ. 2. 10. *Munkerus* ad Antonin. Lib. 26. p. 175.

Verh. — 23. ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Σολόμῶντος] porticus illa, opus Salomonis, verſus orientem ſpectabat, eamque ob cauſſam a Ioſepho Ant. 20, 9. 7. dicitur στοὰ ἀνατολική. Haec porticus in deuaſtatione templi Babylonica illaeſa manſit, vnde etiam Agrippa rex, vid. ad 2, 20. quamuis rogatus a populo, induci non potuit, vt hoc opus peruetuſtum demoliretur et de nouo excitaret, Ioſeph. l. c. ἤδη δὲ τότε καὶ τὸ ἱερὸν ἐτετέλεστο — ἔπειθον τὸν βασιλέα τὴν ἀνατολικὴν στοὰν ἀνεγεῖραι· ἦν δὲ ἡ στοὰ τοῦ μὲν

ἔξωθεν ἱεροῦ, κειμένη δὲ ἐν Φάραγγι βαθείᾳ τετρακοσίων πηχῶν τοῦ τείχους ἔχουσα· ἐκ λίθων δὲ τετραγώνων κατεσκεύαστο καὶ λευκῶν πάνυ. τὸ μὲν μῆκος ἑκάστου λίθου πήχεις εἴκοσι· τὸ δὲ ὕψος ἕξ. Ἔργον Σολομῶντος τοῦ βασιλέως πρώτου δειμαμένου τὸ σύμπαν ἱερόν· Ὁ βασιλεὺς δὲ — ἠρνήσατο μὲν περὶ τούτου δεομένοις.

24. ἐκύκλωσαν οὖν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι — εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ] *Iudaei eum cingebant, atque his alloquebantur verbis: quousque tandem animos nostros*, de tua persona et auctoritate *suspensos detines? si Messias es, dic nobis aperte*, non verbis formulisque subobscuris. Vt, responsio Christi sat euidenter docet, coll. etiam v. 31. illi primores populi neutiquam Iesum Messiam esse suspicabantur, ab eoque edoceri cupiebant, sed hanc quaestionem ei proponebant, vt occasionem nanciscerentur, eum cauillandi et seditionis accusandi. Fraudes tegebant verborum fuco et lenociniis, simulabant se cupiditate flagrare, ipsum Messiam agnoscendi. Formula τὴν ψυχὴν αἴρειν, est Lat. *detinere aliquem suspensum*, vid. Cic. ad Attic. 10, 1. *exspectatione suspendere aliquem*, vid. Plin. epp. 2, 20. Scilicet αἴρειν vt μετεωρίζειν, vid. not. ad Luc. 12, 29. cuius synonymum est ap. Philon. de vit. contempl. p. 890. B. vid. *Loesnerus* ad h. l. proprie notat: *in altum erigere, tollere*, atque in versione septuagintauirali respondet verbis הָרִים Ies. 49, 22. et נָשָׂא Gen. 29, 1. Ps. 28, 2. deinde vt μετεωρίζειν significat: *spem alicuius alere, aliquem in spem erigere* Ier. 22, 27. Timaeus Lex. Platon. ἐπάρας· ἀναπείσας, vbi vid. *Ruhnkenius*, etiam, *vana spe aliquem alere* 4 Regg. 18, 29. μὴ ἐπαιρέτω ἡμᾶς Ἐζεκίας λόγοις, *ne verbis vos Ezechias in vanam spem inducat*, tum vero etiam, vt μετεωρίζειν notat: *aliquem inter spem metumque suspensum, dubium detinere*, vt h. l. Philostrat. 2, 4. κἀμὲ πάνυ αἴρει ὁ λόγος ὃν εἴρηκεν. *Elsnerus* verba nostra interpretanda putat: *quamdiu nos enecas? diuturna mora nos excrucias?* quam rationem *Wolfius* quoque probauit in Curis ad h. l. sed

haec formulae interpretatio nullo exemplo confirmari potest, et quae *Elsnerus* ei confirmandae loca adduxit, sunt prorsus ἀπροςδιόνυσα.

25. 26. *Tum Iesus: iam vobis professus sum* (dignitatem meam Messianam), *vos vero mihi fidem denegastis. Ipsa facta, quae patris mei auctoritate edo, de me loquuntur,* de mea dignitate Messiana testimonium exhibent. εἶπον ὑμῖν, *dixi vobis;* non semel, sed saepius, vid. 5, 19 sqq. 8, 36. 56. 10, 1 sqq. al. non totidem quidem verbis, quibus ipsi volebant, satis tamen aperte attente eum audientibus et intelligere volentibus, enuntiauerat se Messiam esse, neque tamen talem qualem ipsi exspectarent. τὰ ἔργα ἃ ποιῶ loquitur de factis, quae hactenus ediderat, ea infra v. 32. dicuntur καλὰ ἔργα, *opera benefica,* et v. 37. τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς, *facta qualia Deus solus perficit,* opera plane insignia et extraordinaria, quae homo sibi relictus, suis viribus perficere nequit, nisi Deus ipse eum singulari suo auxilio adiuuet, atque per eum talia facta perficiat. Non ergo intelligi possunt cum nonnullis, quaeuis Christi facta, proba, honesta, ad exemplum Dei composita, neque intelligi potest Christi doctrina, ipse enim 14, 10. 11. τὰ ῥήματα sermones, doctrinam distinguit ab ἔργοις, sed intelligi debent Christi facta insignia, miracula, vid. *Storrius über Matth.* 17, 27. in *Flatti Magazin für christl. Dogmatik und Moral* St. 2. p. 82. *Schottus* in Diss. de consilio quo Iesus miracula ediderit etc. p. 62. et not. ad 5, 19 sq. 36. ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, *auctoritate patris mei,* tanquam Dei socius atque minister, ab eo, cuius caussam ago, adiutus. — 26. οὐ πιςεύετε, non creditis me esse Messiam. οὐ γὰρ ἐςε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν, *quippe quod non estis ex numero ouium mearum,* quoniam non ita animati estis, vt ii sunt qui me sectantur, quoniam non habetis sincerum et docilem animum, coll. v. 27. Pro οὐ γὰρ in pluribus libris legitur ὅτι οὐκ quae lectio verior videtur; potuit ea, vt scite obseruauit

ad h. l. *Paulus*, mutari in οὐ γὰρ ambiguitatis euitandae cauſſa, ab iis, qui putarent verba ὅτι οὐκ facile coniungi poſſe a lectoribus cum verbis antegreſſis, quaſi Ieſus dixiſſet: mihi non creditis, vos non eſſe ex ouium mearum numero. Vltima verba καθὼς εἶπον ὑμῖν quae in multis optimae notae codd. deſunt, a grammaticis adiecta videntur, vt docerent, Ieſum verbis v. 27. reſpexiſſe parabolas, quae in prima huius capitis parte leguntur. Quamquam autem v. 26. 27. paucioribus verbis repetita leguntur, quae praeter alia pluribus v. 1 — 16. Ieſus dixerat, exinde tamen non ſequitur, Ieſum illas parabolas reſpexiſſe, non enim eodem die, quo illas ſimilitudines propoſuit, ſed alio tempore hunc ſermonem habuit.

27 — 29. τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούει, *vocem meam audiunt*, mihi obtemperant. κἀγὼ γινώσκω αὐτὰ amo, probo eas v. 14. vid. et ad Matth. 7, 23. καὶ ἀκολουθοῦσί μοι, *nam me* paſtorem praeeuntem *ſequuntur*, me Meſſiam agnoſcunt, mihique obtemperant. — 28. *Iis felicitatem perennem tribuam, nunquam peribunt* (οὐ μὴ εἰς τὸν αἰῶνα, *nunquam*, v. 8, 51. 13, 8.), *neque quisquam eas mihi eripiet*, nemo, nulla vis hoſtium cultores meos, quibus de meae doctrinae veritate perſuaſum eſt, qui me Meſſiam agnouerunt, a me abalienare, eosque felicitate iis deſtinata priuare poterit, vid. Rom. 8, 38. 39. Matth. 16, 18. ἐκ τῆς χειρός μου h. e. ſimpliciter, *mihi eripere*; etenim χεὶρ, vt Hebr. יד, centies redundat, v. *Vorſtius* de Hebraism. N. T. p. 363 ſ. 367 ſ. et not. ad Marc. 6, 2. Affert v. 29. Ieſus cauſſam, cur nemo ipſi cultores ſuos hoc nomine dignos erepturus ſit. ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί· κ. τ. λ.] *pater meus qui mihi illas tradidit*, ad me cultores meos adduxit, vid. 6, 37. 44. 45. *omnibus* aduerſariis meis meorumque *maior*, potentior *eſt*, *itaque* (καὶ v. ad Marc. 3, 22.) *nemo eas patri eripere poterit*, cultores mei ſunt patris cultores, cuius legatus ſum, cuius doctrinam trado, mea cauſſa eadem eſt quoque Dei

patris cauffa, ille cultores meos conftantes feruabit, irrita reddet aduerfariorum confilia atque conamina, Dei cauffam nulla vis humana euertere poteft, atque adeo mea inter hominum turbas et vexationes falua et inconcuffa manebit. Poft verba δέδωκέ μοι fubintelligendum eft αὐτὰ vt Luc. 15, 17. 13, 7. i. e. πρόβατα. Sed pro ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐςί, in aliis libris legitur: ὃ δέδωκέ μοι, μεῖζον π. ἐ., quam lectionem a nonnullis patribus etiam expreffam, praeferendam putat *Paulus*, et verbis fenfum fubftituit hunc: ei, quem mihi concredidit pater, nulla vis nocere poteft. Sed vulgaris lectio, quae plurimorum optimorumque codicum auctoritate nititur, et contextui apprime congruit, genuina eft. Inciderant librariorum oculi in praecedens ὁ, forte nonnullos etiam, etfi temere, offendit ellipfis pronominis αὐτά.

30. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν] *ego et pater unum fumus* i. ego fum patri coniunctiffimus, mea enim cauffa eft patris cauffa, ego et pater in eodem opere laboramus, Dei cauffam ago, fum Dei focius, qui me adeo auxilio plane fingulari adiuuat. Eft ergo fermo de confenfu voluntatis, ftudiorum, confiliorum, operumque Iefu atque Dei. Ita haec verba iam intellexerunt *Erafmus*, *Caluinus*, *Bucerus*, *Heumanus*, quos recentiorum interpretum plurimi fecuti funt. Alii tamen interpretes, cum veteres tum recentiores, ex his verbis probare voluerunt vnitatem effentiae Patris et Filii, cum Chriftus fibi h. l. tribuerit omnipotentiam. Euthymius: ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· παντοδύναμοι, εἰ δὲ ἓν κατὰ τὴν δύναμιν, ἓν ἄρα καὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ οὐσίαν, καὶ φύσιν. Sed priorem illam interpretationem orationis feries mirifice confirmat, vid. ad v. 29. confirmat eandem etiam locus Ioh. 17, 21. 22. 23. vbi eadem verba fenfu morali occurrunt, de coniunctione intima, quae inter Chriftum Deumque et Chrifti fectatores

hoc nomine dignos intercedit. cf. et *Oertelii Christologie* Th. 1. p. 313 ss. 323 ss.

31. 32. Primores populi, quorum peruersitatem et pertinaciam haud tecte Iesus castigarat, etsi vocem eius ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν probe intellexissent, eum tamen impietatis accusabant, quod plane singulari sensu Deum, Patrem suum dixisset, coll. v. 36. 5, 18. atque se Deum venditasset v. 33. adeoque iterum (πάλιν vid. 8, 59.) lapides tollebant, quibus eum obruerent. Neque tamen in eum lapides coniiciebant, cum forte ex ipsis primoribus populi nonnulli interuenirent, coll. 10, 19 ss. Iesus vero eos ita alloquebatur: πολλὰ καλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν ἐκ τοῦ πατρός μου] *multa inter vos facta benefica a patre adiutus perfeci, quodnam horum est quod vos moueat, vt me lapidibus petere velitis?* Verbum δεικνύειν notat, *exhibere, praestare, patrare*, quasi *videndum aliquid exhibere alteri*, ita, vt respondeat Hebr. הַרְאָה. Herodian. 2, 4. 70. ἐπιδειξαμένου — πολλὰ σώφρονα καὶ χρηστὰ ἔργα, vid. *Wetstenius* et *Palairetus* ad h. l. ὑμῖν vos testes et spectatores fuistis multorum beneficiorum, miraculorum beneficorum, quae exhibui. Etenim καλὸς est id. qd. ἀγαθὸς *salutaris, beneficus*, et in versione Alexandrina respondet Hebr. טוֹב, vt Gen. 44, 4. Num. 24, 13. Neh. 9, 13. sic et Gal. 6, 9. legitur καλόν ἐστι, vbi idem valet quod συμφέρει Matth. 18, 6. et καλῶς Marc. 7, 37. Itaque ἔργα καλὰ sunt *beneficia, opera salutaria*, per ea autem intelliguntur, miracula Christi benefica, coll. v. 25. 37. doctrina Christi intelligi nequit, eam enim homines illi non salutarem agnoscebant. ἐκ τοῦ πατρὸς supra v. 25. ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, *adiutus a patre meo*, de qua vi praepositionis ἐκ vid. *Schleusneri* Lex. h. v. ποῖον id. qd. τί *quodnam*, vid. ad Matth. 19, 18.

33. *Respondebant Iudaei: non ob benefacta tua te lapidibus petere volumus, sed quod tu, cum merus homo sis,*

te Deum vendites. περὶ id. qd. διὰ, coll. v. 32. vt Marc. 1, 44. Xen. Cyr. 2, 1. 9. περὶ ὁπόσων ἂν γένωνται ἀνθρώποις φιλονεικίαι. cf. et *Münthius* ad h. l. περὶ βλασφημίας ex legis praefcripto blafphemi lapidibus obruendi erant, vid. Leuit. 24, 14. not. ad Matth. 26, 66. ποιεῖς σεαυτὸν Θεὸν Deo fupremo parem, ἴσον τῷ Θεῷ 5, 18.

34. Summa apologiae Chrifti haec eft: cum magiftratus et iudices, quin et ipfi magiftratus iniufti, in literis facris nuncupentur Dii, quomodo me, quem pater Meffiam, adeoque omnium regum maximum, omnibus magiftratibus fuperiorem effe voluerit, et in has terras miferit, quomodo, inquam, me impietatis accufatis, cum me ne Deum quidem nominauerim, nedum fummum illum Deum effe dixerim, fed Dei filium, Meffiam, et vtpote talem me Deo patri coniunctiffimum effe, cum eoque per omnia confentire profeffus fim. Locus, qui profertur, extat Pf. 82, 6. atque inde patet vocabulum νόμος h. l. latiori fenfu pofitum effe, et notare, *libros Iudaeorum facros*, vt Ioh. 12, 34. 15, 25. 1 Cor. 14, 21. qui quidem vfus loquendi etiam apud Rabbinos dominatur. Sanhedrin fol. 91. 2. *Dixit R. Iofua: quomodo probatur refurrectio mortuorum ex Lege? Refp. quia dicitur (Pf. 84,5.): laudabunt te, non laudauerunt te — Dixit R. Chaia: quomodo probatur refurrectio mortuorum ex Lege? Refp. ex Ief.* 52, 8. Magiftratus, iudices, legatique diuini ab Hebraeis dicebantur אלהים, Θεοὶ, vid. Exod. 21, 6. 7, 1. quoniam nomine Dei ius dicebant Pf. 72, 1. eiusque auctoritate agebant, Dei vicem his in terris gerebant. Gentiles quoque, reges, principes, et magnos viros, deorum titulo ornare folebant, quam in rem notabilis locus eft ap. Diod. Sic. 1, 90. διὰ δὲ τὰς αὐτὰς αἰτίας nempe animi grati cauffa, quod bene de ipfis merentur) δοκοῦσι Αἰγύπτιοι τοὺς ἑαυτῶν βασιλέας προςκυνεῖν καὶ τιμᾷν, ὡς πρὸς ἀλήθειαν ὄντας θεούς. Ἅμα μὲν οὐκ ἄνευ δαιμονίου τινὸς προνοίας νομίζοντες αὐτοὺς τετευχέναι τῆς τῶν ὅλων ἐξουσίας, ἅμα

δὲ τοὺς βουλομένους τε καὶ δυναμένους τὰ μέγιστα εὐεργετεῖν, ἡγούμενοι θείας μετέχειν φύσεως, *hisque de caussis Aegyptii reges, non secus ac si veri essent dii, adorare et religiose colere videntur. Nam et non sine diuina quadam prouidentia ipsos summam potestatem esse adeptos, et cum velint ac possint maxima hominibus beneficia conferre, diuinae naturae participes esse putantur.* Alios locos v. apud *Lampium* et *Wetstenium* ad h. l. Psalmi autem l. c. (v. 1. et 6.) magistratus et iudices iniusti, אלהים, Θεοί, dicuntur.

35. 36. εἰ ἐκείνους εἶπε Θεοὺς, πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐγένετο κ. τ. λ.] *iam cum eos appellauerit Deos, quos ille Dei sermo spectat, neque irritum reddi possit scripturae effatum, quomodo me, quem pater muneri* Messiae *consecrauit, et in has terras misit, impia verba protulisse contendere potestis, quod me Dei filium dixerim?* εἰ, *cum*, vid. ad Matth. 22, 45. Verba πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐγένετο non necesse est, vt cum *Heinsio* in Aristarch. Sacr. L. 4. c. 7. vertamus: *aduersus quos Dei sermo directus est*, cum πρὸς etiam notet, *aduersus, contra*, vt Act. 9, 5. vid. *Fischerus* Animaduu. ad Wellerum Vol. 3. P. 2. p. 258. et magistratus iniusti ibi reprehendantur. Verba enim Psalmi non eatenus laudantur, quatenus contra eos directa sunt, quam potius quatenus ibi Θεοὶ nuncupantur, vt satis aperte sequentia verba docent. λύειν cum de lege, de scriptura sermo est, notat: *legem, scripturam auctoritate sua priuare*, vid. ad Matth. 5, 17. auctoritate autem sua priuatur, cum ei contradicitur, cum id quod tradit, negatur et repudiatur, atque irritum redditur, vid. *Kypkius* ad h. l. Itaque sensus verborum: οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφὴ omnino est, concedere debetis, eos, qui nomine et auctoritate Dei agant, dici posse θεούς. — 36. ὃν (pro ἐκεῖνον ὃν) λέγετε, *num eum quem* etc. num iure contendere potestis, me impie loqui? inepte et iniuste me impietatis accusatis. Verbum ἁγιάζειν, vt Hebr. קדש, proprie notat, *ab vsu communi et vulgari separare, atque vsui sacro desti-*

nare, id. qd. ἀφορίζειν, speciatim autem *deligere aliquem ad munus sacrum obeundum, conferre alicui munus sacrum*, atque dicitur de prophetis et sacerdotibus, vid. Exod. 28, 1. 41. 29, 1. 44. Leuit. 8, 30. Ier. 1, 5. Sir. 45, 4. 5. vbi eius synonymum est ἐκλέγεσθαι. Sed Messias κατ' ἐξοχὴν dicebatur ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, Deo consecratus, v. not. ad Marc. 1, 24. et cum in omni hoc loco Christus de se, tanquam Messia, locutus sit; ὃν ὁ Θεὸς ἡγίασε explicari debet: *quem Deus Messiam constituit, cui Messiae munus demandauit.*

37 — 39. Me Dei filium, Messiam esse, Deoque coniunctissimum, opera mea loquuntur. εἰ οὐ ποιῶ τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου, μὴ πισεύετέ μοι] *si patris mei opera non perago, fidem mihi denegate.* Per τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς intelliguntur opera, qualia Deus facit, opera e quibus luculenter apparebat, Iesum esse legatum diuinum, Messiam, Deo coniunctissimum, ab eoque singulari auxilio adiutum i. miracula, vid. ad v. 25. 32. κἂν ἐμοὶ μὴ πισεύητε, *etiamsi mihi credere nolitis*, ἐμοὶ dictis meis, affirmationi meae. ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, *me patri esse coniunctissimum*, voluntatis, consiliorum consensu, operum consortio, meque adeo singulari auxilio Dei frui, coll. v. 30. 14, 10. 11. 20. ἐζήτουν οὖν πάλιν κ. τ. λ. rursus, vid. 7, 30. 44. eum comprehendere cupiebant, sed saluus euadebat; cum forte plures sectatorum Iesu accederent, eum comprehendere non audebant.

40 — 42. πέραν τοῦ Ἰορδάνου intelligitur Bethania, ad ripam Iordanis, in deserto Iudaeae (vid. ad Matth. 3, 1.) sita; vid. 1, 28. Eo se Iesus contulit finito Encaeniorum festo, quoniam ibi tutior erat ab insidiis synedrii, et benignius se ibi exceptum iri, praesciebat. καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ, *ibique commoratus est* aliquamdiu; non negatur his verbis Iesum inde itinera in Peraeam suscepisse, vid. *Lampius* ad h. l. p. 731. not. *l. Paulus* Th. 2. p. 365 ss. ed. 1. ὅπου ἦν Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων,

vbi Iohannes primum baptizauerat. Alii ἀπῆλθε πέραν τοῦ Ἰορδάνου explicant: *abiit in Peraeam.* Hac explicatione admiſſa πρῶτον reddi debet *antea* l. *olim*, vid. not. ad 1, 28. Aduentus Ieſu pluribus illius loci incolis, qui Iohannis partes ſecuti erant, in memoriam reuocabat teſtimonium magiſtri de Chriſto exhibitum. Multi ergo ad Ieſum accedebant, atque dicebant: Iohannes quidem nulla edidit inſignia facta, ſed ſe prophetam vel eo demonſtrauit, quod quae de hoc praedixit (εἶπεν pro προεῖπεν), veriſſima fuerunt. Itaque teſtimonio Iohannis, et Chriſti inſignibus factis atque doctrina permulti permouebantur, vt eum ſectarentur, eumque pro Meſſia haberent. Nomen Ἰωάννης v. 41. loco pronominis repetitum eſt ex Hebraiſmo, ſed et exteris probae notae ſcriptoribus hanc loquendi rationem non inuſitatam fuiſſe, ex Herodoto probauit *Raphelius* ad h. l.

CAPVT XI.

Narrationi de Lazaro a Ieſu in vitam reuocato adeo aperta veritatis veſtigia impreſſa ſunt, ſiue orationem illius et formam, ſiue argumentum ſpectes; ea etiam cum reliqua Ieſu hiſtoria adeo accurate cohaeret, et cauſſas proximorum euentuum adeo clare et perſpicue continet, vid. Ioh. 11, 46—57. 12, 1. 9—19. vt de hiſtoriae h. l. a Iohanne (cuius veracitatem et fidem tota etiam Euangelii ipſius indoles arguit) enarratae veritate dubitari nullo pacto poſſit, vid. *Oertelius*, *Langius* ad h. l. *Reinhardus über den Plan Ieſu* p. 152 ſ. *Heubneri* miraculorum ab Euangeliſtis narratorum interpretatio grammatico-hiſtorica, Viteberg. 1807. 4. p. 31 ſqq. Suſpecta quidem viſa eſt nonnullis haec hiſtoria etiam propterea, quod eam ſolus Iohannes retulerit, reliqui Euangeliſtae ſilentio praeterierint, ſed afferri poſſunt plures huius ſilentii cauſſae haud impro-

babiles. Nempe Euangeliftae nolebant vitam Iefu omnem exponere, fed tantum ἀπομνημονεύματα literis confignare, vid. Prolegg. in Matth. eorum quisque e magna rerum memorabilium a Iefu geftarum multitudine delectum faciebat; ac Matthaeus quidem, Marcus et Lucas res potiffimum in Galilaea a Iefu geftas perfecuti funt, et praetermiferunt plura a Iefu, auctore Iohanne, in Iudaea et Hierofolymis peracta. Euangeliftis reliqua miranda Iefu facinora, aeque certa et grauia legationis ipfius diuinae, et dignitatis Meffianae documenta erant, ac Iairi filiae, adolefcentis Nainitici et Lazari in vitam reuocatio, cumque iam enarraffent Matthaeus 9, 18 fqq. Marc. 5, 22 fqq. Luc. 8, 41 fs. Iairi filiae, et Luc. 8, 41. adolefcentis Nainitici in vitam reuocationem (quam hiftoriam reliqui Euangeliftae etiam omiferunt): non neceffe effe putabant hiftoriam quoque Lazari rediuiui literis confignare. Iohannes vero, res a Iefu, potiffimum in Iudaea, Hierofolymis et in huius vrbis vicinia geftas memoriae prodidit, adeoque etiam quae reliqui Euangeliftae de Iairi filia et adolefcente Nainitico a Iefu vitae reftitutis enarrarunt, filentio praetermifit; cumque vltima Iefu fata copiofius et accuratius exponere vellet, vtpote fcriptor hiftoriae pragmaticus, inprimis e re fua effe putabat, hiftoriam Lazari rediuiui, cum hiftoria mortis et calamitatum Chrifti arcte cohaerentem, literis mandare. Haud improbabilis quoque cauffa filentii reliquorum Euangeliftarum de Lazaro in vitam reuocato ea eft, quam attulerunt *Grotius*, *Lilienthalius die gute Sache der Offenbarung* Th. 10. p. 842. *Schulteffius die Gewifsheit der Schrifterklärung erprobt an d. Evangelifchen Erzählung von der Wiederbelebung des Lazarus*, Zürich 1808. p. 127 fq. alii. Monuerunt nimirum, eo tempore quo Matthaeus, Marcus et Lucas fcriberent, adhuc vixiffe Lazarum, praeteriiffe ergo eos hoc infigne factum Chrifti, ne Lazaro eiusque familiae negotium faceſſerent, coll. 12, 10. vid. et quae notata funt ad Matth. 26, 51. Concedenda ergo omnino eft, vt vel ex hactenus dictis patet,

rei in facto pofitae veritas. Sed fuerunt etiam qui miraculi veritatem negarent, adeoque narrationis modum et rationem varie tentarent, vt quicquid in ea effet miraculi, tollerent ac remouerent, quique eo progrederentur, vt ipfius facti modum e fraudibus et artibus malis explicare conarentur, vt *Woolftonius*, auctor *Hori*, *Bahrdtius* alii, quorum nugas et ineptias fatis accurate refutarunt *Lilienthalius* l. c. p. 838 fqq. *Mayr Vertheidigung der chriftl. Religion* B. 2. p. 588 fs. *Oertelius* ad h. l. *Heubnerus* l. c. p. 34 fqq. *Gablerus* in *Journal für auserlefene theol. Literatur* B. 3. p. 235 fqq. Inter recentiores interpretes, qui varias coniecturas protulerunt, quo facilius fibi rem h. l. enarratam explicarent, ingenii acumine et eruditionis copia eminent *Paulus* (in *Kritifch. Kommentar* ad h. l.) et *Gablerus* (in *Journal für auserlef.* etc. l. c.). Scilicet *Paulus* et *Gablerus* (qui *Pauli* fententiam accuratius exornauit) ftatuunt, Lazarum non vere mortuum, fed fopore alto, f. animi deliquio (fyncope) obrutum fuiffe, aëris in fepulcro temperiem et exhalationes balfamicas feciffe, vt vires reciperet (vid. tamen not. ad Matth. 27, 50. p. 797.), cumque faxo ab oftio fepulcri deuoluto, et liquido ac puro aëre admiffo, reuixiffe, vid. *Gablerus* l. c. p. 282. negant praeterea *Paulus* atque *Gablerus*, Iefum Lazari in vitam reditum praeuidiffe et praedixiffe. Hanc fententiam impugnarunt, et Lazarum veram mortem fubiiffe, atque Iefum eius in vitam reditum certo praeuidiffe et praedixiffe, pluribus demonftrarunt: *Heubnerus* l. c., *Rufswurmius* in *Henkii Mufeum für Religionswiffenfchaften* etc. B. 2. St. 1. *Sauppe* obferuationes fuper hiftoria Lazari in vitam per Iefum reuocati, Dresdae 1808. 8. *Flattus* in Comment. *Etwas zur Vertheidigung des Wunders der Wiederbelebung des Lazarus Ioh.* 11, 1 — 44. in *Süfkindii Magazin für chriftl. Dogmatik u. Moral* St. 14. p. 91 fqq. *Schultefsius* l. c. *Schottus* in Comment. de confilio, quo Iefus miracula edidit etc. P. 2. 1810. p. 24 fs. *Befenbergius*, *Lazarus, oder über das Unftatthafte der natürlichen Erklärung der Wunder-*

geſchichten im N. T. Erlang. 1810. 8. Nos quidem argumenta in vtramque partem prolata pro inſtituti noſtri ratione afferamus.

Lazarum igitur non vere mortuum, ſed mera ſyncope oppreſſum fuiſſe, et Ieſum eius in vitam reditum non praevidiſſe, argumentis ex ipſa narratione Euangeliſtae petitis defenditur his: 1) „Cum Ieſum ſorores Lazari de morbo fratris certiorem feciſſent, et optaſſent, vt huius morbo mederetur; reſpondebat Ieſus v. 4.: αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔςι πρὸς θάνατον, quorum quidem verborum ſimpliciſſima interpretatio eſt: *hic morbus non eſt letalis.* Ieſus ergo tunc temporis neutiquam praeuidebat, Lazarum moriturum eſſe, neque propterea eo loco, quo tunc verſabatur, per biduum commorari conſtituebat, vt poſtea reſuſcitationi Lazari illuſtrius legationis ſuae diuinae documentum ederet, ſed ſperabat fore, vt Lazarus conualeſceret, ſi medicamentis vteretur, quae ei commendaſſet per nuntium, e quo morbi indolem percontatus eſſet (*Paulus* p. 536.), aut ſuſpicabatur Ieſus, criſi ſalubri morbum leuatum iri, adeoque conſtituebat poſt aliquot dies Bethaniam proficiſci, et Lazaro valetudinem priſtinam reſtituere; eo ſpectant verba: ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ δι᾽ αὐτῆς v. 4. quae tamen verba forte etiam a Iohanne ipſo addita ſunt, cum et alias ſententiis a Ieſu prolatis explicationes adiicere ſoleat (*Gablerus* p. 273.), cum Ieſus poſtea nuntium *inexſpectatum* accepiſſet, Lazarum mortuum eſſe, in animo eius ſuborta eſt ſuſpicio ſyncopes, et ſpes aliqua medelae adhuc afferendae. *Paulus* p. 537. *Gablerus* p. 274.“ *a*) Sane verba, quae Ieſus v. 4. dixiſſe fertur: αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔςι πρὸς θάνατον, ſi propriam eorum ſignificationem ſequimur, notant: *morbus non eſt letalis*, adeoque hac interpretatione admiſſa Ieſus ſimpliciter negaſſet, Lazarum diem obiturum eſſe. Iam haec verba ſpectari poſſunt, tanquam iudicium hominis artis medicae periti. Qui vero tunc factum, vt protinus

de morbi genere et exitu certiſſimam ferre potuerit ſententiam? Reſpondet, eum e nuntio morbi indolem percontatum eſſe. Sed hac de re Iohannes ne verbulum quidem habet, vt nec de medicamentis, quae Ieſum per nuntium commendaſſe ſumunt. Quid vero etiam ad morbum cognoſcendum deſcriptionis hominum artis medicae imperitorum, nuntii, ſororumque Lazari? Quam difficile cenſent noſtra aetate medici peritiſſimi iudicium ferre de aegroto, qui procul abeſt, et quam multa ad illud ferendum requirunt! Si Ieſus nonniſi humanam opem ferre poterat, nonne ei in mentem venire debebat, ſe errare poſſe? nonne officium et amicitia ſuadebant, vt amico grauiter aegrotanti cito ſuccurreret? Sed Ieſus cunctabatur, iter differebat, et per biduum eo loco, vbi erat, commorabatur. Nonne ergo, ſi Lazarus vere mortuus fuiſſet, neque in vitam rediiſſet, pars culpae in Ieſu haeſiſſet, qui mature ſubueniens vitae diſcrimini amicum eripere potuiſſet? Quodſi etiam e medicis rationibus ſuſpicatus eſſet, Lazarum ſyncope opprimi poſſe, nonne ei metuendum erat, cum Iudaei mortuos maturius componere ſolerent, ne ſyncopen vera mors ſequeretur? Quam inconſiderate Ieſus reſpondiſſet et egiſſet, cum ſpes medica eum fallere poſſet! et ſane eum fefelliſſet, ſi ſimpliciter affirmaſſet, morbum non eſſe letalem. Quomodo vero haec inconſiderantia atque temeritas cum Chriſti grauitate, ſapientia et prudentia, de qua aliunde ſatis conſtat, conciliari poſſet? Quomodo illa Ieſu cunctatio, accepto de morbo Lazari, amici, nuntio, cum eius humanitate, ad auxilium afflictis ferendum paratiſſima, componi poſſet, niſi certo cognitum habuerit, Lazarum ipſius beneficio in vitam reuocatum iri? Sed Ieſu iudicium de morbo Lazari ſpectari etiam poteſt, tanquam iudicium legati diuini, atque ita illud ſpectandum eſſe, docent verba: *ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ δι᾽ αὐτῆς.* Iam ſi verba: *αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον* ſimpliciter ſonarent: *hic morbus non eſt letalis*, eum mors non ſequetur; Ieſus

legati diuini perfonam agens, vana promififfet! Poffent quidem haec verba, quo cum ipfo euentu concilientur, et Iefus ab erroris fufpicione liberetur, eo fenfu accipi, vt Iefus dixiffe putetur, morbum, quo amicus decumberet, non veram, fed fpeciofam tantum mortem ei allaturam effe, plura tamen huic fententiae, de Lazaro alto fopore oppreffo obftant, vt deinceps videbimus (vid. n. 3. 9.). Itaque Iefus verba αὕτη ἡ ἀσθένεια κ. τ. λ. hac mente nuntio a fororibus Lazari ablegato dixit, vt tecte innueret *Lazarum mox in vitam reuocatum iri*, adeoque mortem ipfius pro nulla effe habendam. Ambiguitate quadam orationis vfus eft, quo vim et efficaciam fiduciae in ipfo collocandae tentaret et exploraret, vid. *Schottus* l. c. p. 29. qui bene verborum fenfum ita expreffit; *hic morbus non eft eius generis, vt eum mors perpetua, diuturna fequatur, immifit Deus Lazaro morbum letalem, quo praeftantior mihi opportunitas contingeret, illo e mortuis refuscitando* (facto infigni edendo et prorfus extraordinario) *cum fummam Dei potentiam reddendi confpicuam, tum meae dignitatis Meffianae atque auxilii diuini me iuuantis documentum exhibendi luculentiffimum.* Verbis fimilibus Ioh. 9, 3. morbum hominis coeci, ipfius beneficio fanandi, eo fpectare oftendit, vt fumma Dei efficacia fiat manifefta. *b*) Verba ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ κ. τ. λ. per fe quidem, cum *Gablero* explicari poffent de gloria, quam Chriftus per Lazari fanationem confecuturus effet, fed cum Iefus, vt vel ex hactenus dictis patet, et pluribus demonftrabitur, certo praeviderit Lazari mortem; omnino haec verba explicanda funt de gloria ex Lazari refuscitatione in Iefum redundante. Verba ἀλλ' ὑπὲρ κ. τ. λ. non a Iefu pronuntiata, fed a Iohanne adiecta effe, vt *Gablerus* fufpicatur, propterea improbabile eft, quoniam omnis Euangelii Iohannis indoles fcriptorem veracem, fidum, fobrium prodit, nihil proprio ingenio fingentem; quoniam fcriptoris diligentia veri ftudiofa, in hac refuscitationis Lazari hiftoria inprimis confpicua eft; quoniam, cum alias Iohannes Iefu dicta in-

terpretatur, iudiciumque suum apponit v. 2, 21. 11, 13. ista interpretamenta facile discerni possunt a Iesu effatis, hoc loco autem verba illa reliquis Iesu verbis ita intertexta sunt, vt ab iis discerni nequeant, non legitur ἦν γάρ ὑπὲρ κ. τ. λ. c) Cum crisis salubris eiusmodi sit mutatio, qua morbus tollitur, aegrotusque sanitatem recipit, admissa *Gableri* coniectura, Iesum suspicatum esse crisi salubri morbum sublatum iri, Iesus non prius mederi voluisset Lazaro, quam is omni periculo remoto valetudinem recuperasset. At homini morbo iam liberato opitulari velle, estne viri boni? quanta vero gloria ex sanatione hominis restituti in Iesum redundatura erat! v. *Sauppius* l. c. p. 13. d) Quae de secundo nuntio finguntur, qui postea Iesum de Lazari morte certiorem reddiderit, non conciliari possunt cum scriptoris narratione accurata et copiosa, et ita composita, vid. v. 7 ss. 12. vt satis aperte declaret, Iesum, nemine intercedente, sed sponte, vi diuina, Lazari mortem veram habuisse cognitam, cf. et *Schultessius* p. 145 sq. Qui vero sponte, a nemine certior factus Lazari mortem cognouit, idem etiam mortem eius instantem praeuidere potuit. — 2) „Nuntius de subita Lazari morte grauiter percellebat Iesu animum, neque tamen concidebat animo, sed iam suspicabatur Lazarum syncope oppressum esse (hinc etiam eius mortem cum somno comparabat v. 11.), adeoque sperabat eum reuicturum esse, et constituebat nil inexpertum relinquere, quo amicus vitae restitui posset. Neque tamen spem certam fouebat sua opera Lazarum revicturum esse. Fieri enim poterat, vt syncopen vera mors sequeretur; fieri etiam poterat, vt Lazarus prius ad se rediret et reuiuisceret, quam ipse ad sepulcrum aduenisset. Verba igitur v. 11. πορεύομαι ἵνα ἐξυπνίσω αὐτὸν aut ita explicanda sunt: proficiscar Bethaniam operam daturus, vt Lazarus, si fieri possit, in vitam redeat, aut statuendum est, Iohannem Iesu ex euentu disertiora et clariora verba tribuisse, quam quibus ipse vsus fuisset. *Gablerus* p. 274 sq.“ Malebat Iesus, cum mortem amici discipulis nuntiaret,

acerbitatem nuntii imagine placida mitigare, hinc vtebatur euphemifmo illo, omnibus fere linguis communi, mortem cum fomno comparante. Adhibitum extat h. l. verbum κοιμᾶσθαι, quod in verfione Alexandrina refpondet Hebr. שכב, fed vt *Schultefsius* l. c. p. 140 fs. docuit, verbum שכב et in libris N. T. κοιμᾶσθαι fere femper de morte vfurpantur, contra καθεύδειν, quo Hebr. ישן exprimi folet, eft verbum de fomno folenne. Vocem Iefu ἐξυπνίσω αὐτὸν *Gablerus* ex vfu loquendi reddendam putat, *eum in vitam reuocare tentabo*, fed non attulit huius vfus loquendi exempla alia, vt iam notauit *Schultefsius* p. 143. et nusquam Iefus cum in eo effet, vt aegrotos fanaret, fpem adeo incertam fouiffe legitur. Praeterea admiffa *Gableri* interpretatione: operam dabo, vt Lazarus, fi fieri poffit, in vitam redeat, Iefus, nulla vrgente neceffitate, fpem incertam in animis difcipulorum excitaffet, cui fi euentus non refpondiffet, Iefus auctoritatem qua florebat fuam, ipfe imminuiffet. Cur non fpem incertam et vota fua intra animi cancellos continebat? cur non difcipulis dicebat, fe Bethaniam proficifci velle, vt vltimum videret Lazarum? Neque dici poteft Iefum audito nuntio de Lazari morte adeo animo commotum fuiffe, vt incertam fpem, quam foueret, incautius proderet. Talis enim imprudentia neutiquam conciliari poffet cum prudentia et temperantia Iefu propria; fi vehementius motus fuiffet, non vfus fuiffet imagine illa, quam v. 12. continet, erupiffet potius ftatim in vocem Λάζαρος ἀπέθανε, ea ipfa quoque, quae v. 9. 10. leguntur, fummam animi tranquillitatem produnt. Neque dici poteft Iohannem, memoria deceptum, non fatis accurate Iefu effatum attuliffe, eum, poft factum, a Iefu obfcurius dicta in magis perfpicua ac definita conuertiffe. Lazari enim in vitam reuocatio res adeo memorabilis erat, vt dubitari nequeat, Iohannem a Iefu illo tempore dicta, memoria cuftodiuiffe, eumque faepius amicis ac difcipulis rem enarraffe, vt vel propterea parum probabile fit, eum non accurate Iefu effata retuliffe. —

3) „Iesum de syncope cogitasse, qua forte oppressus esset Lazarus, huic sententiae non aduersantur verba v. 14. Λάζαρος ἀπέθανε. Ea enim explicanda sunt: renuntiatum est mihi de obitu Lazari. *Paulus* p. 540.“ Sed discipuli, qui nescirent, Iesum per secundum nuntium (vt fingitur vid. n. 1. d.) Lazari obitum comperisse, coll. v. 11. 12. haec magistri verba non aliter intelligere poterant, quam, Lazarum vere esse mortuum, v. *Schultessius* p. 148. Iesus si dicere voluisset: mihi de obitu Lazari renuntiatum est, si ei non persuasum fuisset, Lazarum vere mortuum esse, cautius locutus fuisset, planius mentem suam expressisset, vsus fuisset verbis: ἤκουσα l. ἔλεγέ μοι τις, ὅτι Λάζαρος ἀπέθανε, vel similibus, v. *Flattus* l. c. p. 107. Docent ergo omnino verba Λάζαρος ἀπέθανε Iesum neutiquam cogitasse de syncope, imo his ipsis verbis profitebatur eadem perspicuitate, Lazarum veram subiisse mortem, qua alio tempore Iairi filiam in vitam reuocaturus (Marc. 5, 39. Matth. 9, 24.) affirmauerat, eam non esse mortuam, sed obdormiuisse, v. *Schultessius* p. 141. *Schottus* l. c. p. 28. — 4) „Verba v. 15. καὶ χαίρω δὶ ὑμᾶς, (ἵνα πιστεύσητε) ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, interpretanda sunt: gaudeo vestra caussa, me moriente Lazaro, Bethaniae non fuisse, cum, si Lazarus, me praesente, mortuus esset, metuendum fuisset, ne fiducia in me vestra labefactaretur. *Paulus* p. 559. Vt verba v. 11. ita et haec huius v. verba sunt optantis et sperantis, neque tamen certo sperantis Lazarum in vitam rediturum esse; aut Iesus non adeo definite locutus est, vt eum Iohannes loquentem induxit. *Gablerus* p. 275.“ Si Iesus eam sententiam protulisset, quam *Paulus* verbis v. 15. expressam esse statuit, Iohannes potius scripsisset, vt iam recte *Gablerus* (p. 261.) et *Flattus* (p. 96.) monuerunt: ἵνα μὴ ἐκλίπῃ ἡ πίστις ὑμῶν (Luc. 22, 32.) non: ἵνα πιστεύσητε. Obstat enim *Pauli* interpretationi, quod sic parum cogitate et circumspecte Iesus locutus fuisset. Quodsi tamen Iesus, vt *Gablerus* vult, incertam spem resuscitationis Lazari tunc temporis declarasset, si di-

xiſſet: exinde quod moriente Lazaro non fuerim Bethaniae, fortaſſis in vos haec redundabit vtilitas, vt fides veſtra confirmetur; ſcribere debuiſſet Iohannes, notante *Flatto* p. 97. συμφέρει ἂν ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἦν ἐκεῖ, ἵνα πιστεύσητε, ſed quae h. l. leguntur verba, ſatis definite ſpem reſuſcitationis Lazari exprimunt, eorumque ſenſus nonniſi hic eſſe poteſt: *ſi Bethaniae fuiſſem, et Lazarum aegrotantem ſanaſſem, non tantopere confirmata eſſet fides veſtra, in diuina mea auctoritate et auxilio diuino me adiuuante, collocanda, vt nunc confirmabitur Lazari in vitam reuocatione.* Iohannem Ieſu verba non accurate reddidiſſe e rationibus ſupra n. 1. *b.* n. 2. extr. allatis, plane improbabile eſt. — 5) „Martha non ſperabat Ieſum, fratrem in vitam reuocaturum eſſe, ſed verbis, quae v. 22. leguntur: ἀλλὰ καὶ νῦν οἶδα ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν Θεὸν, δώσει σοι ὁ Θεὸς, *ſcio te a Deo impetraturum, quaecunque ab eo petieris,* omnino declarabat fiduciam ſuam, quam in Ieſu collocaſſet, non eſſe imminutam. Vulgo quidem his v. 22. verbis ſententiam ineſſe putant hanc: vbi rogaueris Deum, vt Lazarum in vitam reuocet, annuet precibus tuis; tu fratrem meum vitae reſtituere potes. Qui vero hanc interpretationem, tanquam ſimpliciſſimam praeferendam putant, ii, cum v. 24. ſatis aperte doceat, Martham non ſperaſſe, fratrem per Ieſum vitae reſtitutum iri, concedere debent, aut verba v. 22. pro additamento Iohannis eſſe habenda, aut Martham ſimilem ſententiam protuliſſe, a Iohanne non accurate redditam; [ſed v. not. ſupra n. 1. *b.* n. 2. extr.] *Gablerus* p. 276. *Paulus* p. 541. Ieſus Martham ita conſolabatur, vt ad futuram mortuorum reſurrectionem prouocaret, *Paulus* p. 541. non ei difertis verbis promittebat ſe iam fratrem ipſius in vitam reuocaturum eſſe, cum id quidem promittere non poſſet, ſed reſpondebat v. 23. ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου hoc ſenſu, *poteſt frater tuus in vitam redire;* cumque Martha Ieſu mentem non caperet, ſed eius verba de futura mortuorum reſurrectione intelligeret, cum ipſe non certo ſperaret Lazarum

reuicturum effe; omnino affirmabat, fe effe auctorem refurrectionis, vitae, et felicitatis, v. 25 fq. *Gablerus* p. 276 fq." Contextus flagitat, vt vulgarem verborum v. 22. interpretationem, quae et fimplicitate fua fefe commendat, retineamus. Infignia Iefu facta, eam fiduciam in animo Marthae excitarant, vt ei perfuafiffimum effet, fi Iefus adfuiffet, fratrem non moriturum fuiffe. Hoc ipfum cum declaraffet verbis v. 21. pergebat v. 22. ἀλλὰ καὶ νῦν οἶδα κ. τ. λ., quinam ergo alius his verbis fenfus ineffe poteft, quam hic: *at fcio, te, fi Deum rogaueris, vel mortuo fratri vitam reddere poffe?* Neque huic interpretationi obftant ea, quae v. 24. leguntur. Nempe Martha, quae Iefum venturum effe exfpectabat et fperabat, Lazaro mortuo, in eam cogitationem incidebat, Iefum vbi aduenitfet, forte fratrem in vitam reuocaturum effe. Hanc fpem in animo ipfius excitabat refponfio a Iefu nuntio data v. 4. et confirmabat recordatio refufcitationis filiae Iairi et adolefcentis Nainitici. Cum vero Iefus venire cunctaretur; dubitabat, an nuntius Iefu verba accurate retuliffet, et eo difficiliorem putabat Lazari refurrectionem, quo diutius ille in ftatu mortuorum effet. Itaque inter fpem et metum fluctuabat. Tandem quarto, poft Lazari mortem die, Iefus Bethaniae adueniebat, et Martha, cum eum vidiffet, intima eius aduentu laetitia perfufa, primo momento, omnem dubitationem abiiciebat, omnia a Iefu effici, ab eo etiam fratrem in vitam reuocari poffe putabat, et in haec quoque verba erumpebat: ἀλλὰ καὶ νῦν οἶδα κ. τ. λ. Iefus refpondebat ei: ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου. *Sauppius* p. 21, his verbis hunc fubftituit fenfum: recte mihi confidis, nam frater tuus vitae reftituetur, atque adeo ea continere putat luculentam promiffionem Lazarum mox vitae reftitutum iri. Equidem tamen adftipulor *Schottio*, qui l. c. p. 29. contendit, Iefum h. l. et v. 4. ambiguitate quadam orationis vfum effe, more fuo, quo fidem feminae tentaret et exerceret. Iam cum Iefus refpondiffet ἀναστήσεται, et adhibuiffet verbum de futura mortuorum refurrectione apud

Iudaeos folenne, neque tempus refurrectionis indicaffet, neque dixiffet, fe Lazarum in vitam reuocaturum effe: femina fpem ante conceptam abiiciebat, et non fine acerbitate quadam, vt *Flattus* ftatuit, refpondebat: fcio eum tempore refurrectionis in vitam effe rediturum. Martha igitur, cuius animus afflictus et vehementer perturbatus effet, fibi non conftabat, modo fratris in vitam reuocationem fperabat, modo eam in dubium vocabat. Iefus Marthae refpondebat v. 25 fq. ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωὴ κ. τ. λ., ego fum vitae et refurrectionis auctor, qui mihi fidem habet, cum in hac, tum in altera vita, felix erit. Mortuorum refuscitatio Meffiae tribuebatur, vid. 5, 21. 6, 39 fq. not. ad Matth. 25, 31. p. 696. Dum ergo Iefus fe Meffiam et refurrectionis auctorem profitebatur, et fidem fibi habendam effe declarabat; volebat, vt inde Martha colligeret, eum qui haberet poteftatem, mortuos quondam in vitam reuocandi, poffe etiam nunc fratrem ipfius in vitam reuocare. Simul vero etiam eius animum a nimio rerum terrenarum ftudio auertere (cf. Luc. 10, 41.), et ad ftudium bonorum in altera vita exfpectandorum conuertere ac dirigere volebat, eamque edocere, non effe quod mortui, qui ipfi fidem habuiffent et doctrinae ipfius conuenienter vixiffent, vehementer deplorentur, cum fint poft mortem feliciffimi. — 6) „Cum Iefus Mariam eiusque comites mortem Lazari vidiffet acerbe deplorantes, atque fepulcrum ipfe adiret, animo vehementer commotus et lacrymatus effe dicitur v. 33. 35. 38. quomodo vero tanto luctu et dolore eum afficere potuiffet Lazari obitus, fi mortui in vitam reditus proxime inftans ei certo fuiffet cognitus? *Paulus* p. 538. *Gablerus* p. 271. 264." Verbum ἐμβριμᾶσθαι non fignificat, *triftitia affici*, *lugere*, fed *indignari* (vid. not. ad v. 33.), vt v. 38. indignationem eius concitabat Mariae et reliquorum praefentium ἀπιστία. Maria animum oftendebat moerore plane oppreffum, omnique fpe orbatum, ad Iefu pedes prouoluta, in haec tantum erumpebat verba: domine, fi hic fuiffes, frater meus

non obiiſſet! neque quisquam reliquorum ſectatorum Ieſu praeſentium vllam ſpem prodebat, Ieſu opera Lazarum in vitam reuocari poſſe. Docent quidem reliqua verba, Ieſum triſtitia fuiſſe affectum, et lacrymas effudiſſe, cum conſpectus ſepulcri noua lacrymarum flumina et fletus miſerabiles Lazari ſororibus, earumque comitibus exprimeret, ſed exinde non conſequitur, Ieſum non certo praeuidiſſe Lazari in vitam reditum. Tangebatur Ieſus, vt appoſite *Schottus* l. c. p. 31. obſeruauit, cum ſorores Lazari eiusdemque cognatos et amicos mortem hominis, quem ipſe haud parum amauerat (v. 5.), acerbe vidiſſet deplorantes, eo miſericordiae et doloris ſenſu, qui facile ſubit animum hominis, alienum luctum ſuum exiſtimantis, mitem et humanum, etſi probe noſcat et praeuideat, fore, vt cauſſa luctus breui euaneſcat. Accedebat, quod eodem tempore laetitiam praeſentiebat, quam reſuſcitatio Lazari inter amicos et cognatos excitatura eſſet. Quis eſt, quem fugiat, haud raro eam eſſe laetitiae (illius potiſſimum, quae dolorem animi ſequatur, et veluti cum dolore pugnet) indolem atque naturam, quae homini lacrymas poſſit extorquere? (laudauit hanc in rem *Schulteſsius* p. 164. exemplum Ioſephi, lacrymas effundentis, cum Beniaminum fratrem conſpiceret, et ſeſe fratribus agnoſcendum praeberet.) Perturbabat denique Ieſu animum praeſentium ἀπιςία. Agitabatur eo diuerſiſſimorum animi affectuum certamine, quo ſatis idonea ratio et cauſſa continetur, quae lacrymis Chriſti explicandis ita inſeruiat, vt nihil profecto interpretem ſuſpicari iubeat, Ieſum de reſuſcitatione Lazari tunc temporis dubium fuiſſe atque haeſitantem. cf. et *Flattus* p. 104 ſq. atque *Schulteſsius* l. c. — 7) „Lazarum vere mortuum fuiſſe, neutiquam colligi poteſt e verbis Marthae v. 39. ἤδη ὄζει. Mortuum enim foeˈre, non experientia edocta, ſed e mera opinione et coniectura affirmabat. *Paulus* p. 566. *Gablerus* p. 278. Neque exinde quod Lazarus iam quartum diem in ſepulcro reconditus fuiſſe dicatur, argumentum peti poteſt, quo

comprobetur, eum vere obiisse; nam non desunt exempla hominum, quorum syncope vel aeque diuturna fuerit, vel diutius durauerit, v. *Paulus* p. 568 sq. Neque notauit Iohannes morbi genus, quo laborauerit Lazarus. Nulla omnino narratio vestigia continet, vnde medicis rationibus in auxilium vocandis affirmari possit, Lazari mortem veram fuisse." At enimuero Martha verbis τεταρταῖος γάρ ἐστι caussam explicat, vnde foetor ortus sit, ita, vt sibi hoc velit: *foetet iam, quod haud mirum est, cum iam sit quatriduo compositus;* atque mortuum foetere omnino scire poterat, cum aeque ac Maria saepius ingressa esset sepulcrum. Solebant enim Iudaei compositos inuisere. Massachet Semachoth 8. *Prodeunt ad sepulcra, atque* inuisunt mortuos *tribus diebus* — *Historia*: inuiserunt quendam *atque ille reuixit, vixitque XXV annos, et postea mortuus est, et alium, qui etiam reuixit et genuit quinque filios et postea obiit,* v. *Wetstenius* ad v. 39. et *Schultesius* p. 169. Caeterum neque Iohannis narratio vestigia continet, vnde medicis rationibus in auxilium vocandis affirmari et comprobari possit, Lazari mortem fuisse speciosam, eum syncope fuisse oppressum, id quod etiam concedere debent, qui de syncope cogitant, et concessit *Gablerus* p. 251. extr. — 8) „Cum Martha Iesum ad sepulcrum propius accedentem, et lapidem sepulcro impositum remouere iubentem, ab hoc molimine tanquam inutili et superuacaneo arcere vellet, Iesus, qui iam sperare, neque tamen certo sperare coeperat, fore, vt, procurante Deo, Lazarus syncope oppressus, in vitam redeat, ei respondebat: nonne tibi alio tempore dixi, beatum esse eum, qui fiduciam suam in Deo reponat, huius effati veritas, etiam nunc euentu *comprobari potest.* *Paulus* p. 542. 574. Iesus, qui iam spem certam alebat, Lazarum, auxiliante Deo, in vitam reuocandi, Marthae v. 40. respondebat: affirmo tibi, te, si modo fidem habueris, diuinae maiestatis documenta visuram. Verba οὐκ εἶπόν σοι, non necessario referenda sunt ad antea dicta, sed vt formula Hebraica:

הֲלֹא אָמַרְתִּי לְךָ interdum fimpliciter veritatem eorum, quae dicantur, affirmant, ita vt Hebraicum הֲלֹא vim obtineat vocis חַנָּה fanctiffime tibi affirmo; ὄψει autem fignificat: *videre potes.* *Gablerus* p. 265 fq. 279." Quam imprudenter vero et inconfulte Iefus fpem refurrectionis Lazari, in animo Marthae excitaffet, fi ipfe adhuc incertus de rei fucceffu fuiffet, fi non certo praefciuiffet Lazarum in vitam rediturum effe! Affirmat quidem *Gablerus* p. 278. Iefum iam certo fperaffe, Deum, cum ipfe tentaturus effet, an certis mediis Lazarum in vitam reuocare poffet, his conatibus felicem fucceffum largiturum effe, fed non oftendit, neque facile perfpicitur, qui factum fit, vt Iefus hactenus de rei fucceffu incertus v. 14. 15. 23. 32. *Gablerus* p. 275. 277. nunc temporis certo Lazari in vitam reditum fperarit, v. *Gablerus* p. 278. aut vt *Paulus* vult, fperare coeperit. Particula οὐκ interdum quidem refpondet Hebr. הֲלֹא, fed nullum exemplum in N. T. occurrit, quo comprobari poffit fenfus, qui formulae οὐκ εἶπόν σοι fubftituitur, nec apparet, cur non Iohannes, fi hunc fenfum exprimere voluiffet, folenni formula ἀμὴν, ἀμὴν λέγω σοι, vfus fit. Rectius igitur omnino ii ftatuere videntur, qui his ipfis verbis: οὐκ εἶπόν σοι ὅτι ἐὰν πιςεύσῃς, ὄψει τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ, *nonne tibi fignificaui fore, vt, fi modo fidem habueris, diuinae maieftatis documentum videas*, putant Iefum vel verba v. 23. ἀναςήσεται ὁ ἀδελφός σου circumfcripfiffe, vel potius refpexiffe ea, (quae v. 4. leguntur, vt adeo εἶπον reddendum fit: *nuntiandum tibi curaui.* —

9) „Deuoluto lapide Iefus folus infpiciens in fepulcrum (*Paulus* p. 542.) aut folus illud ingreffus (*Gablerus* p. 279.), citra omnem fpem et exfpectationem, Lazarum, fponte, Deo rem omnem ita moderante, vitae reftitutum videbat. Gratias igitur agebat Iefus, Deo patri, quippe qui fibi contingere iuffiffet, quod exoptaffet, et nouum prouidentiae plane fingularis documentum fibi et fectatoribus fuis dediffet. Ipfa haec gratiarum actio fatis aperte docet Lazarum, ftatim, aperto fepulcro, vitae figna dediffe, eum-

que non Chrifti beneficio, fed fponte, reuixiffe. Finitis precibus Iefus amicum rediuiuum verbis δεῦρο ἔξω faluta- bat et compellabat v. 43. *Paulus* p. 542 fq. *Gablerus* p. 279 fq.“ *a*) Iefum infpexiffe folum in fepulcrum, aut fo- lum illud ingreffum effe, tacet Iohannes, et v. 43. haud obfcure docet Iefum monumentum fepulcrale non intraffe, fed extra illud fubftitiffe, v. *Lampius* ad h. l. et *Schul- tefsius* p. 172. Quis vero etiam credat difcipulos, caete- rosque Iefu comites, inter quos effent quoque homines ei maleuoli, v. 37. 46. procul fubftitiffe, nec cum eo in fe- pulcrum infpexiffe? nonne potius probabile, omnes, pro ea, quae eft hominum noua fpectandi cupido, ad fepul- crum vna cum Iefu propius acceffiffe, vt quorfum res eua- fura effet, accuratius viderent, eosque non folum in Ie- fum, fed etiam in Lazarum conuertiffe oculos? et ad hanc fententiam comprobandam faciunt etiam verba, quae v. 41. leguntur: ὁ δὲ Ἰησοῦς ἦρε τοὺς ὀφθαλμούς. Iefum intro- fpexiffe aut ingreffum effe fepulcrum, et citra omnem fpem atque exfpectationem Lazarum iam vitae reftitutum deprehendiffe, huic coniecturae ea quoque repugnant, quae v. 41 fq. leguntur. Quis enim quaefo, vtor verbis *Heubneri* (l. c. p. 43.), tali adfpectu oblato preces inchoa- bit? Quem non animi impetus impellet, vt ftatim rem nouam cum aliis laetus communicet? quem non naturae vis attrahat quafi ad amicum ipfum tangendum, appellan- dum, educendum, fustentandum? Quod igitur Iefus a Lazaro, quem viuentem obferuaffe fumitur, fe auertit et precatur; hoc ab ipfis pfychologiae legibus, quae tanti fieri folent, prorfus abhorrere mihi videtur; hoc docet, Iefum nulla vitae figna in Lazaro vidiffe, imo ne potuiffe quidem, quia lapide remoto, non introfpexiffe, fed fta- tim oculos ad coelum conuertiffe dicitur, v. 41. *b*) E precibus Iefu, nominatim verbis: πάτερ, εὐχαριστῶ σοι ὅτι ἤκουσάς μου, non demonftrari poteft, Lazarum ftatim, aperto fepulcro, confpicua vitae figna dediffe, a Iefu, qui folus in fepulcrum infpexiffet, aut illud ingreffus effet,

obferuata. Nempe Iefus, qui fciret, fibi a Deo poteftatem effe datam, Lazarum in vitam reuocandi, dicebat: gratias tibi ago, quod precibus et votis meis tacitis annueris. Bene *Semlerus:* ὅτι ἤκουσάς μου, precatum fcilicet, vt tua virtute hoc miraculum iam hic efficere liceat. Poteft vero etiam aoriftus ἤκουσας vim habere futuri, cum aoriftus et praeteritum inprimis in oratione affectus plena, de re certo et breui futura adhiberi foleant, vid. 13, 31 fq. 16, 33. 17, 5. *Flattus* l. c. p. 112. vt adeo verba Chrifti hanc fententiam exprimant: gratias tibi ago, qui tacita animi mei vota iam exauditurus fis. Ex aliorum fententia Iohannes vltimam tantum precum Iefu partem attulit, vtpote grauiorem, et praeteriit priorem partem, quae imploratiouem auxilii diuini contineret, vt adeo ἤκουσας referendum fit ad preces omiffas. *c)* Neque exinde quod Iefus Lazari refuscitationem Deo tribuit v. 41. confequitur, Lazarum non per Iefum ipfum vi diuina adiutum vitae reftitutum effe, omnia enim Iefus ad Deum patrem referebat, affirmabat fe auctore et adiutore patre agere, et volebat, vt omnes praefentes Lazari in vitam reditum pro documento legationis fuae diuinae haberent, coll. v. 42. extr. Praeterea dixerat v. 11. ἐγὼ ἐξυπνίσω αὐτὸν, et v. 25. fe auctorem vitae et refurrectionis profeffus erat. *d)* Verba δεῦρο ἔξω, quae Iefus μεγάλῃ φωνῇ protuliffe perhibetur, non pro fermone amici amicum falutantis et compellantis haberi poffunt, fed habenda funt pro declaratione folenni, Lazarum iam vitae reftitutum iri, et valentem vegetumque foras prodíturum effe. v. Luc. 7, 14. *Flattus* l. c. p. 112 fq. — Ex iis, quae hactenus annotauimus, fatis apparere arbitramur, certis et idoneis argumentis neutiquam comprobari poffe: Lazarum fyncope fuiffe oppreffum, et Iefum eius in vitam reditum, non certo praeuidiffe; fed praeferendam omnino effe fententiam antiquiorum N. T. explanatorum, plurium quoque recentiorum interpretum ftudiis vindicatam: Iefum Lazari in vitam reditum certo praeuidiffe, atque hunc vere

mortuum, et a Iefu, vi diuina adiutum, refuscitatum effe. Qui de miraculo praeuifionis, vt vocant, cogitant, vt *Schultefsius*, alii, atque adeo negant per Iefum ipfum Lazarum vitae reftitutum effe, iis obftant ea, quae fupra n. 9. *c.* notata funt. Caeterum etiam ii, qui Lazarum fyncope oppreffum fuiffe ftatuunt, concedunt, Lazari in vitam reuocationem infigne fuiffe documentum legationis Chrifti diuinae, v. *Gablerus* p. 284 fq.

1. 2. ἦν δέ τις ἀσθενῶν Λάζαρός ἀπὸ Βηθανίας κ. τ. λ.] *aegrotabat Lazarus quidam oriundus Bethania, vico Mariae et Marthae eius fororis.* Verbum ἀσθενεῖν vt nomen ἀσθένεια adhibetur etiam de grauiter aegrotantibus, vt Matth. 10, 8. Luc. 4, 40. 7, 10. Xenoph. Anab. 1, 1. 1. ἐπεὶ δὲ ἠσθένει Δαρεῖος καὶ ὑπώπτευε τελευτὴν τοῦ βίου. Nec leui morbo laboraffe Lazarum, ipfa fororum ad Iefum legatio docet. Βηθανία vicus ad montem oliuarum fitus, quindecim ftadiis ab Hierofolymis diftans, Marc. 11, 1. Luc. 19, 29. 24, 50. Praepofitio ἀπὸ patriam et domicilium indicat, atque adeo ἀπὸ Βηθανίας reddi debet, Bethanienfis, vel Bethania oriundus, de quo praepofitionis ἀπὸ vfu vid. not. ad Matth. 15, 1. Etiam praepofitio ἐκ ita adhiberi folet, vt patriam et locum domicilii indicet, v. 1. 44. atque οἱ ἐκ τῆς πόλεως l. κώμης dicuntur oppidani l. vicani, etiam cum in oppido vel vico funt, v. Arrian. Exped. Alex. M. 1, 20. 11. 2, 22. 5. *Raphelius* Obff. Polybb. ad h. l. Cur verba τῆς κώμης κ. τ. λ. adiecta fint, notatum eft ad 1, 28. Bethania dicitur κώμη Μαρίας καὶ Μάρθας, quoniam erat Mariae et Marthae vicus patrius, et quoniam ibi habitabant, v. 18. Sine idonea ratione nonnulli arbitrati funt vici illius dominas fuiffe Martham et Mariam, v. *Lampius* ad h. l. — 2. Maria *fcilicet illa erat, quae* (poftea) *dominum vnxit, eiusque pedes capillis fuis abfterfit.* Per prolepfin vid. 12, 1 fqq. aliis quoque fcriptoribus haud inufitatam v. Gellius N. A. 10, 16. Virg. Aen. 1, 2. 4, 43. Sil. Ital. 2, 62. ibique interpp.

Euangelista, qui diu post vnctionem peractam scriberet, hanc rem attigit τὸν κύριον, *caput et pedes*, cf. Luc. 7, 46. Matth. 26, 6. vbi v. not.

4—6. Conf. supra notata n. 1. *a*. *b*. ἀσθένεια πρὸς θάνατον est morbus, qui mortem affert, vt ἁμαρτία πρὸς θάνατον dicitur de peccato θάνατον afferente 1 Ioh. 5, 16. cf. etiam Hebr. חָלָה לָמוּת 2 Regg. 20, 1. Continet autem hic versus responsionem a Iesu nuntio datam, vt iam recte iudicarunt Chrysostomus et Theophylactus, quos *Erasmus*, *Semlerus*, *Rosenmüllerus*, aliique secuti sunt. Quae v. 5. leguntur, adiecit Iohannes, partim, vt doceret, sorores non temere ad amorem Iesu erga Lazarum prouocasse, partim, vt ostenderet Iesum grauissimis de caussis eo loco, vbi tum versaretur, commoratum esse, eum nimirum iam certo cognitum habuisse, Lazarum ipsius beneficio vitae restitutum iri, quo Dei potentia redderetur conspicua, et dignitatis Messianae ac legationis Christi diuinae documentum exhiberetur luculentissimum, coll. v. 4. 40. 42. ἔμεινεν — δύο ἡμέρας] *commoratus est eo loco, quo erat, per duos dies*. Apposite monuerunt interpretes, illam Iesu tarditatem, qua, nuntio de morbo Lazari accepto, per biduum in ea regione, quam cum discipulis adierat, commoratus fuerit, neque defendi posse, neque cum humanitate Christi aliunde cognita, ad auxilium afflictis ferendum paratissima, conciliari posse, nisi statuatur, eum, Deo duce et auctore, omnia, vti narrantur, instituisse, eum certo praeuidisse, Lazarum ipsius beneficio vitae restitutum iri.

7. 8. ἔπειτα μετὰ τοῦτο] *deinde*, *postea*, postea demum. Etiam optimae notae scriptores Graeci solent haud raro rei augendae caussa, duas coniungere particulas, nulla interueniente copula, vt Plato Euthyphr. 4. εὖ μάλα πρεσβύτης, *valde grandis*. Ael. H. V. 9, 33. εὖ μάλα ὑψηλός. Neque haec loquendi ratio scriptoribus Latinis insolens et inusitata est. Terent. Andr. 3, 2. 3. *Nunc pri-*

mum fac, ifthaec vt lauet, poft deinde, quod iuffi ei dare bibere — date. Iuftin. 37, 1. 9. *denique ad poftremum difceffit.* Cic. pro Milo. 24. *deinde poftea fe gladio percuffum effe.* Exempla hanc in rem plura attulerunt *Wetftenius, Kypkius* ad h. l. *Fifcherus* ad Ariftoph. Plut. v. 25. *ἄγωμεν, eamus, proficifcamur,* vt Matth. 26, 46. cf. et *Kypkius* ad h. l. *εἰς τὴν Ἰουδαίαν*, vid. Matth. 3, 5. *νῦν, nuper, modo,* vt ap. Xen. Cyr. 4, 5. 48. 5, 2. 27. 7, 5. 53. Polit. 4, 40. *ἐν τῷ νῦν πολέμῳ, in bello nupero.* Hefychius: *νῦν — καὶ τὸ ἀρτίως.* it. *νῦν δὴ, ἀντὶ τοῦ ἄρτι.* Timaeus Lex. Platon. *νῦν δὴ, πρὸ ὀλίγου χρόνου,* vbi vid. *Ruhnkenius.* add. *Graevius* ad Lucian. Soloecift. p. 579. et *Kypkius* ad h. l. — 8. *ἐζήτουν σε λιθάσαι — ἐκεῖ*] Difcipulos de Iefu, et vero etiam fua vita metuiffe, interpretes fere omnes ftatuunt. At enimuero difcipuli Iefum Meffiam moriturum effe, non credebant v. 12, 34. regnum Meffianum terrenum perpetuum, et inftitutiorem illius propediem exfpectabant, hinc et fermones Chrifti de morte ipfius iis obfcuri erant Luc. 9, 45. Marc. 9, 32. Ioh. 12, 34. faepius quoque Iefus e Iudaeorum manibus, et nuper modo 8, 59. euaferat, nec vlla ratio apparet, cur nunc temporis difcipuli de vita Iefu metuerint; nec de fua vita metuebant, cum iis haetenus Iudaei nullas infidias ftruxiffent; vid. ad Luc. 22, 35. Itaque non Iefu, aut fibi metuentes, fed mirabundi dicebant: cur iam redire vis ad homines adeo tibi infenfos? ad fynedros, qui nuper modo te lapidibus obruere voluerunt? cur, nulla vrgente neceffitate, odio et inuidiae eorum te fubiicere vis?

9. 10. Collationis h. l. propofitae duplicem explanationem exhibuit Chryfoftomus; fenfum nimirum illius conftitui poffe putabat aut hunc in modum: qui bene agit, qui nullius flagitii fibi confcius eft, ei nihil timendum (3, 20. 21.); aut ita: quemadmodum qui luce fruitur, non offendit, ita ei, qui mecum, fum enim lux, verfatur, 12.

35. non impendet cafus aduerfi periculum. Chryfoftomum plures interpretes fecuti funt, ita vt vel priorem vel pofteriorem rationem praeferendam putarent. Alii, in his *Morus* et *Rofenmüllerus*, verbis Chrifti hunc fubftituunt fenfum: ficut ineptum eft, quod faciendum eft, non facere tum, cum id fieri poteft, fed differre in tempus, vbi non fieri poteft, ita et ego ineptus effem, fi nunc agere nollem, cum adhuc fit tempus agendi, et differre negotia a me peragenda ad id tempus, vbi agere non potero, coll. 9, 3. 4. Alii ita locum explanant: *dies fuas habet horas, certum eft et ftatum diei tempus* (mihi certum et conftitutum eft tempus, quo his in terris muneris mei officia mihi peragenda funt), *hisce diei horis tuto viator incedere poteft, non offendit*, (intra hoc tempus mihi conftitutum, dum adhuc durat illud tempus, quo e confilio patris inter homines mihi verfandum eft, nihil periculi mihi timendum,) *fane qui noctu ambulant, offendunt, cum ingruit nox, periculum imminet*, finito illo tempore mihi pericula et mors imminent; vt adeo omnino Iefus fententiam exprimere voluerit hanc: nulla mihi in Iudaea nunc temporis pericula imminent, non eft quod de me metuatis. Sed, vt fupra notauimus, difcipuli non metuebant de vita magiftri. Praeferenda igitur videtur *Mori* et *Rofenmülleri* locum interpretandi ratio. Scilicet dies proponitur tanquam tempus viatoribus cum maxime opportunum (haec notio ineft verbis οὐ προςκόπτει fcl. πόδα, coll. Matth. 4, 6.), nox tanquam tempus importunum (προςκόπτει). Imaginem a viatore Iefus defumfit, quoniam de itinere in Iudaeam fufcipiendo agebatur. Verbum autem περιπατεῖν, fi fenfum fpectamus, eft id. qd. ἐργάζεσθαι, vid. *Storrii* Opufcc. T. 3. p. 259. Ineft ergo verbis Chrifti fententia haec: certum et ftatum eft diei tempus, tempus opportunum agendi eft dies, nox eft tempus importunum. Negotia igitur a patre mihi demandata (v. 4. 42.) a me peragenda funt, quamdiu mihi tempus eft ea peragendi opportunum, non differenda ea funt ad tempus, quo peragi nequeant. Itaque mihi nunc temporis

proficiscendum est in Iudaeam, hoc iter est necessarium, synedrorum odium atque inuidiam non curo. Per noctem Iesus mortis suae tempus intelligit. Caeterum in collationibus non singula verba nimis premenda esse, tralatitium est. δώδεκα ὧραι Iudaei diem in duodenas partes sibi aequales diuidebant, vid. ad Matth. 20, 3. τὸ φῶς τοῦ κόσμου est periphrasis solis. οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ nonnulli, vid. *Lampius* et *Wolfius* ad h. l. referunt ad remotius vocabulum κόσμος, vt ἐν αὐτῷ sit idem quod ἐν τῷ κόσμῳ, ita vero inepta procedit sententia, vt contra *Michaëlem*, qui vertit: *das Licht ist nicht in der Welt*, iam monuit *Schulzius*, est potius ἐν αὐτῷ positum pro simplici αὐτῷ, vt saepius; vt sensus sit: lux ei deest, solis lumine destitutus est.

11. 12. Λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κ. τ. λ.] *Lazarus amicus noster obdormiit, sed ad eum excitandum proficiscar.* Cf. supra notata n. 2. Mortem veteres solebant comparare cum somno, quoniam dormientibus et mortuis similitudo intercedit. Hinc verba de somno propria, in omnibus fere linguis εὐφημίας caussa, ad mortem transferuntur. Sic etiam verbum κοιμᾶσθαι, quod vt Hebraeorum שָׁכַב de dormientibus proprium est, perquam frequenter ita ponitur, vt notet: *mortuum esse*, quo significatu h. l. legitur, vt Ies. 14, 8. 2 Chron. 13, 23. vbi Alexandrini interpretes וַיִּשְׁכַּב reddiderunt per καὶ ἐκοιμήθη, quae est lectio exempli Complut. nam verba καὶ ἀπέθανε, quae in cod. Vatic. et Alex. extant, haud dubie profecta sunt e Symmacho. Sic etiam nomen κοίμησις de *morte* adhibetur Sir. 46, 22. 48, 14. et Lat. *somnus* Virg. Aen. 10, 745. *olli dura quies oculos et ferreus vrget Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem*; vbi vid. *Cerda*. Cf. omnino *Dougtaeus* in Analect. Sacr. T. 2. p. 59. *Vorstius* de Hebraism. N. T. p. 199 ss. *Leusdenius* de Hebr. N. T. p. 61. *Maius* Obss. Sacr. 4. p. 119. *Gatackerus* de stilo N. T. c. 42. *Suicerus* in Thes. Ecclef. sub v. καθεύδειν, v. κοιμᾶσθαι, v. ὕπνος. *Meursius* ad Lycophr. v. 430. *Taubmanus*

ad Plaut. Amphitr. 1, 1. 148. *Leſſingius wie die Alten den Tod gebildet* p. 5 ſqq. Diſcipuli memores illius effati ſuperioris v. 4. quo Ieſus negaſſe videbatur, Lazarum diem eſſe obiturum, verba magiſtri non de morte, ſed de ſomno proprie ita dicto intelligebant, et cum ſomnus multis in morbis habeatur prognoſticon et indicium ſanitatis mox ſecuturae; non opus eſſe putabant, vt Ieſus Lazari cauſſa in Iudaeam proficiſceretur, atque odio et inuidiae Iudaeorum ſe ſubiiceret. Hinc dicebant: *magiſter, ſi dormit, conualeſcet.* Achill. Tat. 4, 10. νῦν μὲν ὕπνον αὐτῇ παρασκευάσομεν, ὅπως τὸ ἄγριον τῆς ἀκμῆς ἡμερώσωμεν· ὕπνος γὰρ πάντων νοσημάτων φάρμακον, *ac nunc quidem ſomnum ei conciliabimus, quo morbus aliquid de vi ſua remittat. Malorum enim omnium ſomnus medicina eſt.* Eurip. Oreſt. 211. ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόσου Ὡς ἡδύ μοι προςῆλθες ἐν δέοντί γε. cf. etiam *Wetſtenius* ad h. l.

14—16. Conf. ſupra not. n. 3. 4. Verbis χαίρω δι' ὑμᾶς, ἵνα πιςεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ traiectio ineſt, vid. ad Luc. 11, 39. et ordo verborum ita conſtitui debet: καὶ χαίρω, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, δι' ὑμᾶς, ἵνα πιςεύσητε. Mens autem atque ſententia Chriſti haec eſt: gaudeo veſtra cauſſa, me illic, antequam Lazarus mortem ſubiret, non adfuiſſe, quodſi enim adfuiſſem, ſororum caeterorumque Lazari cognatorum et amicorum pro eius vita ſeruanda precibus reſiſtere non potuiſſem, niſi animo meo veluti vim inferre, caeterisque admodum durus et omni miſericordiae ſenſu deſtitutus apparere voluiſſem, liberaſſem eum a morbo; iam cum mortuus ſit, aderit occaſio documentum auctoritatis meae luculentiſſimum exhibendi, quo fiducia veſtra in me collocanda confirmetur. Hunc ſenſum vt verbis ſubſtituamus, omnis orationis ſeries flagitat, et ita locum iam Theophylactus intellexit, qui ad verba ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, adiecit haec: τότε γὰρ ἂν ἐθεράπευσα. Verbum πιςεύειν explicandum de fidei augmentis et confirmatione vt 2, 11. — 16. Δίδυμος, *gemellus*, explicatio nominis

Hebraici תְּאֹם Cant. 4, 5. Gen. 38, 7. Chald. in ſtatu emphatico תְּאוֹמָא Θωμᾶς. ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετ᾽ αὐτοῦ] *abeamus et nos, vt vna cum eo moriamur.* Fluctuant interpretes, vtrum pronomen αὐτοῦ referendum ſit ad Chriſtum an ad Lazarum? Qui ad Lazarum referunt, verba Thomae ita explicant; eamus ſane, vt Lazarum mortuum ſequamur, quid enim aliud ſperemus in Iudaeam profecturi? et *Schulteſsius* ad h. l. notat, formulam ἀποθνήσκειν μετά τινος ſignificare, *einem nachſterben*, mori, vt cum aliquo ſimus, non, commori cum aliquo, ſed nullum locum attulit, vbi ἀποθνήσκειν μετά τινος ita legatur. Veriſſime igitur *Maldonatus* obſeruauit, formulam *moriamur cum eo*, ſocietatem quandam mortis indigitare, quae quoad Lazarum locum non haberet, cum ille iam mortuus eſſet, ac praeterea placida morte exſpiraſſet, Thomas autem violentam mortem intelligeret. Hinc rectius plerique interpretes, αὐτοῦ ad Ieſum referunt, hoc ſenſu: abeamus nos quoque, vt vna cum Ieſu mortem ſubeamus. Scilicet Thomas aeque ac reliqui diſcipuli praeiudicatas de regno Meſſiano opiniones fouebat, neque hactenus crediderat, Ieſum Meſſiam moriturum eſſe, id quod ſatis aperte docent loci, vbi de diſcipulis, nullo excepto, memoratur, iis praedictiones Ieſu de ſua morte obſcuras fuiſſe, quod eas cum praeconceptis opinionibus ſuis conciliare non potuiſſent; vid. ad v. 8. ipſi Thomae eam ipſam ob cauſſam ſermones illi, quos Ieſus, cum ſolenniter vrbem introiſſet, de ſua morte habuit Ioh. 13, 33 ſſ. 14, 5. obſcuri erant. Cum vero Ieſus Lazarum mortuum eſſe, nuntiaſſet diſcipulis, atque dixiſſet, ſe ad eum proficiſci velle (v. 15.); hic nuntius de obitu amici adeo perturbabat Thomae animum, vt moerore oppreſſus non accuratius perpenderet a Ieſu v. 15. dicta, nec recordaretur Ieſum toties e Iudaeorum manibus euaſiſſe, ſed eius verba ἄγωμεν πρὸς αὐτόν, *abeamus ad Lazarum mortuum* arripiens, et quanto odio ſynedri Ieſum perſequerentur reputans, triſtiſſima quaeque auguraretur et deſperaret, nec vitam ne-

cato magistro vitalem ducens, ad condiscipulos conuersus diceret: abeamus et nos, vt cum eo (Iesu) morti sese obiiciente moriamur.

17. 18. ἐλθὼν οὖν ὁ Ἰησοῦς, *cum Iesus venisset* nempe prope Bethaniam, εἰς Βηθανίαν, quod in nonnullis codicibus ex interpretamento additum legitur. Non enim ipsum vicum iam ingressus erat, sed appropinquauerat ad illum, coll. v. 30. et monumenta sepulcralia extra vicos et oppida erant, vid. ad Matth. 27, 60. 8, 28. Luc. 7, 12. *Nicolai* de sepulcr. Hebrr. L. 3. c. 13. αὐτὸν τέσσαρας ἡμέρας ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ] *eum iam quartum diem in sepulcro agentem:* ἔχειν de tempore adhibitum notat: *agere, transigere.* Ioseph. Ant. 1, 13. 2. τοῦ Ἰσάκου πέμπτον καὶ εἰκοστὸν ἔτος ἔχοντος, *cum Isaacus vicesimum quintum annum ageret.* 7, 1. 1. ἤδη δ᾽ αὐτοῦ δύο ἡμέρας ἔχοντος, *cum iam biduum ibi fuisset.* Alciphron 3, 20. τρίτην ταύτην ἡμέραν ἔχων ἐν ἄστει. cf. et *Wetstenius* ad h. l. — 18. *Erat autem Bethania prope Hierosolymam, quindecim tantum ab vrbe stadiis distans.* Notauit scriptor Bethaniam fuisse Hierosolymis vicinam, vt caussam simul monstraret, cur multi Hierosolymitani ad Lazari sorores venerint, et cito ad Pharisaeos atque synedros deferri potuerit Lazari in vitam reuocatio, coll. v. 46 sq. Praepositio ἀπὸ haud raro etiam a scriptoribus Graecis vt h. l. interuallorum nominibus praefigitur, et subintelligi h. l. debet γενομένη, vid. *Kypkius* ad h. l. Quindecim stadia conficiebant fere semimilliarium germanicum, vid. ad Luc. 24, 13. Nonnulli ex Act. 1, 12. et Luc. 24, 50. collegerunt, Bethaniam ab Hierosolymis iter sabbati abfuisse, adeoque repugnantiam inter hunc locum et Act. atque Luc. ll. ll. reperisse sibi visi sunt, cum sabbati iter nonnisi stadia septem et dimidium conficeret. Sed Luc. 24, 15. Iesus discipulos duxisse legitur non *vsque ad* Bethaniam, sed viam quae *versus* Bethaniam tenderet, in qua via situs etiam erat mons, vid. *Heinrichsius* ad Act. l. c.

19. 20. Ἰουδαῖοι intelliguntur ciues Hierofolymitani, coll. v. 18. an fuerint primores populi, fynedri, vt *Eckermanus*, *Stolzius*, *Schultefsius* fufpicati funt, certo quidem definiri nequit, perquam tamen probabile eft, cum ex aliis locis pateat, Lazarum eiusque forores lautioris fortunae fuiffe, et Ἰουδαῖοι in Euangelio Iohannis κατ' ἐξοχὴν dicantur primores populi, fynedri, cf. et fupra v. 8. πρὸς τὰς περὶ Μάρϑαν καὶ Μαρίαν h. e. fimpliciter *ad Martham et Mariam*, ex graecismo exquifitiori perquam vfitato, quo praepofitiones περὶ et ἀμφὶ inferuiunt periphrafi, ita, vt formula οἱ περί τινα non perfonae alicuius principis comitatum, fed perfonam ipfam indicet, vt οἱ περὶ Θεραμένην καὶ Καλλίξενον, *Theramenes et Callixenus* Aefchin. Dial. 3, 12. οἱ περὶ Ἡρακλέα καὶ Διόνυσον, *Hercules et Bacchus* ib. §. 20. Exempla hanc in rem plura congefferunt *Raphelius* Obff. Xenophh. *Palairetus*, *Münthius*, *Krebfius*, *Loefnerus* et *Wetftenius* ad h. l. add. *Graeuius* Lectt. Hefiodd. c. 9. *Fifcherus* Animaduu. ad Well. Vol. 3. P. 2. p. 221. et quos ibi laudauit. *Trillerus* et *Wolfius* per τὰς περὶ Μάρϑαν καὶ Μαρίαν intelligendas ftatuerunt, *feminas quae ad Martham et Mariam* confolandi cauffa veniffent. Quae ratio, etfi non aduerfa eft linguae confuetudini, cum οἱ ἀμφὶ l. περί τινα dicantur etiam de *perfona principe et qui cum ea funt*, vid. *Krebfius* et *Loefnerus* ad h. l. in hac tamen orationis ferie fic procederet fenfus perquam frigidus vel plane nullus: *Iudaei in domum Marthae et Mariae venerunt, vt confolarentur feminas, quae eo venerant Martham et Mariam confolaturae*; et Iudaei dicuntur eo acceffiffe, vt confolarentur αὐτὰς περὶ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῶν, quae vox αὐτῶν omnino referri debet ad τὰς περὶ Μάρϑαν καὶ Μαρίαν h. e. *ad folas forores Lazari*, *Martham et Mariam*; praeterea etiam v. 31. diferte commemorantur οἱ ὄντες μετ' αὐτῆς ἐν τῇ οἰκίᾳ καὶ παραμυϑούμενοι αὐτὴν fcl. Mariam. ἵνα παραμυϑήσωνται — αὐτῶν Ἰουδαῖοι. Moris erat apud Iudaeos, vt per feptem dies confolarentur lugentes. vid.

Grotius, *Lightfootus* ad h. l. et *Geierus* de luctu Hebr. c. 6. §. 23 ss. ὡς οὖν ἤκουσεν fama Iesum aduenire, prius Bethaniam perueniebat, quam ipse. Maria Iudaeos, qui consolandi caussa venirent, in intima domo excipiebat. Martha, cui rei domesticae cura commissa esset (Luc. 10, 38.), forte domo negotii cuiusdam caussa egressa, primum nuntium de aduentu Christi accipiebat, quo accepto sine mora obuiam procedebat Christo, nec Mariae, quae resciuerat, indicabat, prae gaudio videndi, an vera essent, quae fama nuntiaret. Interea Maria, aduentus Christi ignara v. 28, ἐν τῷ οἴκῳ ἐκαθέζετο, *domi sedebat*. Lugentes solebant humi sedere, vid. Iob. 2, 8. Ezech. 8, 14. Homer. Odyss. 4, 539. 716 ss. 7, 153. 160. Eurip. Iphig. Aul. 1175. Propert. 1, 15. 11. 5, 14. 23. Virg. Aen. 11, 349. vid. *Geierus* de luctu Hebr. c. 18. p. 211 sqq.

21—24. Pro ἐτεθνήκει in multis libris legitur ἀπέθανε, quae tamen lectio a grammaticis e v. 32. adscripta fuisse videtur. — 22. ἀλλὰ καὶ νῦν οἶδα — ὁ Θεός] *sed vel nunc scio, quaecunque a Deo petieris, ea tibi concessum iri.* Negant interpretes haud pauci, Martham spem concepisse, fore vt Iesus Lazarum in vitam reuocet, adeoque vario modo haec verba explicuerunt. *Morus*, *Rosenmüllerus*, *Schultessius*: quicquid petieris a Deo ad animos nostros tranquillandos, id tibi lubenter tribuet. *Paulus*: quamquam frater meus mortuus est, tamen non dubito te esse Messiam, Dei dilectum, Deum tibi concessurum, quaecunque ab eo petieris. Alii aliter. Sed v. notata supra n. 5. — 24. ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, *in fine rerum humanarum* id. qd. ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος τούτου, vid. ad Matth. 24, 3.

25. 26. Vid. supra n. 5. extr. ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή, *auctor resurrectionis et vitae*, vt Deut. 30, 20. *Deus est vita tua.* vid. ad Ioh. 1. 4. ζωή, *felicitas*, ego homines in vitam reuocare, iisque vitam beatam largiri possum, vid. 5, 21. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται, *qui mihi*

fidem habuerit, me pro Messia habuerit, et doctrinam meam constanter secutus fuerit, *etiamsi moriatur, tamen viuet*, vita beata, futura felicitate perfruetur. — 26. καὶ πᾶς ὁ ζῶν κ. τ. λ.] *nam quicunque viuit, dum mihi fidem habet, nunquam morietur*: πᾶς ὁ ζῶν καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ positum est pro: πᾶς ὁ διὰ τῆς πίστεως εἰς ἐμὲ ζῶν, qui dum mihi fidem habet, felix est, is nunquam miser erit; qui mihi fidem habet, felix erit et in hac et in altera vita. Alii ὁ ζῶν explicant: qui his in terris viuit, et mihi fidem habet; haec vero interpretatio frigidam atque ieiunam sententiam parit. οὐ μὴ — εἰς τὸν αἰῶνα, *nunquam*, v. 8. 51. ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα 6, 58. coll. 10, 28. 3, 36.

27. 28. ἐγὼ πεπίστευκα — ἐρχόμενος] *credo te esse Messiam, Dei filium, qui in has terras venturus erat.* πεπίστευκα, praeteritum vim praesentis habet, vt saepius. (v. Ind.) Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ sunt voces idem valentes, v. ad Matth. 16, 16. ὁ ἐρχόμενος v. ad Matth. 11, 3. Iesus Martham iussit sororem arcessere, quod Euangelista notare omisit, sed sat clare docent verba Marthae v. 28. ὁ διδάσκαλος φωνεῖ σε. Martha autem, vt h. l. legitur, Mariae *clam*, λάθρα, significabat Iesum adesse, vel, quoniam, vt *Rosenmüllerus* suspicatur, ignorabat, vtrum Iesus vellet in conspectu omnium versari, vel, ne per Iudaeorum, quos inter multos hostes Christi adesse, atque hypocritice hoc humanitatis officio defungi bene nouerat, dissuasionem, si non illusionem atque vehementiores insultus (coll. v. 37.), molestiam, morasque in recipiendo Iesu soror pateretur. Quae sunt verba *Lampii* ad h. l.

31 — 34. λέγοντες np. ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν l. ἐν ἑαυτοῖς, *opinati, rati* id. qd. δόξαντες, vt in nonnullis libris ex interpretamento legitur. εἰς, *ad*, vt v. 32. 38. Luc. 11, 49. Matth. 15, 24. ἵνα κλαύσῃ ἐκεῖ solebant veteres apud monumenta deflere mortuos, vid. *Pricaeus* et *Elsnerus* ad h. l. *Geierus* de luctu Hebr. c. 7. §. 26. p. 121 sqq. et

notata ſupra n. 7. extr. — 33. *ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι καὶ ἐτάραξεν ἑαυτὸν*] *indignatus et triſtitia affectus eſt.* Indignationem quam vultus et geſtus prodebant, excipiebat triſtitia, miſeratio. Indignationem Ieſu mouebat Mariae comitumque illius *ἀπιστία*, vid. not. ſupra n. 6. Plerique interpretes formulam *ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι* explicant: *triſtitia affectus eſt.* Sed vt recte monuerunt *Lampius* ad h. l. et *Storrius* Opuſcc. T. 3. p. 253 ſq. *triſtitiae* ſignificatus, quem vulgo huic verbo tribuunt, eſt plane incertus, cum nullo exemplo confirmari poſſit. Ipſi etiam Alexandrini interpretes verba Hebraica *iraſcendi*, זָאַף et זָעַם, vbi *triſtitiae* vim, quam interdum habent, iisdem ſubiiciunt, nunquam verbo Graeco *ἐμβριμᾶσθαι*, ſed aliis verbis, quae *triſtitiam*, aut omnino animi commotionem ſignificant, exprimunt, vid. Gen. 40, 6. 1 Sam. 15, 11. 2 Sam. 6, 8. Ion. 4, 9. neque triſtitiae notio verbo *ἐμβριμᾶσθαι* conueniens eſt v. 38. ſed vel ea quae v. 37. praeceſſerunt flagitant, vt illud reddatur, *indignari.* Conf. quoque quae de huius verbi vſu ac poteſtate diſputauimus ad Marc. 14, 5. Matth. 9, 30. *τῷ πνεύματι* eſt id. qd. v. 38. *ἐν ἑαυτῷ.* Formula autem *ἐτάραξεν ἑαυτὸν* vim habet verbi *ἐταράχθη* et notat, *miſericordia commotus* Gen. 43, 30. *triſtitia affectus eſt* 12, 27. vid. ad Matth. 2, 3. Theophylactus ad Hebr. 12, 11. *ὁ λυπούμενος ταράσσεται*, vid. et Ieſ. 32, 11. Ezech. 16, 43. ibique LXX.

37. 38. Quam diuerſa Ieſus iudicia expertus ſit ob profuſas lacrymas, exponit v. 36. 37. Alii (v. 45.) melius animati eas amoris tenerrimi indices interpretabantur; alii vero (v. 46.) inde occaſionem ſumebant Ieſu detrahendi. Bene *Eraſmus* verborum v. 37. ſenſum ita conſtituit: *cur non effecit, vt tantus amicus non moreretur? ſi noluit, cur nunc lacrymis teſtatur intempeſtiuum amorem? ſi non potuit id, quod facilius; quomodo praeſtitit — quod difficilius? aegrotum ſaepenumero medicus in vita retinet, coeco nato nullus vnquam aperuit oculos.* Annotauit haec

Euangelifta, vt oftenderet, cum hi ipfi Iefu aduerfarii veritatem refuscitationis Lazari agnofcere debuiffent v. 46 fs. eo aptius hoc infigne Iefu factum fuiffe ad fectatorum ipfius fidem confirmandam, et confundendos eos qui de ipfius potentia dubitarent. — 38. Non immerito iftae maleuolorum voces indignationem Chrifti mouebant, quam vultus ipfius teftabatur, nil tamen ad eas refpondebat, cum iam in eo effet, vt eas facto refelleret. σπήλαιον monumenta fepulcralia Iudaeorum ditiorum in rupibus excifa erant, ita, vt fpeluncae formam referrent, et lapidibus muniri folebant, ne corpora a beftiis aut hominibus laederentur, v. ad Matth. 8, 28. et *Nicolai* de fepulcr. Hebr. 3, 10. 11. *Lampius* et *Wolfius* ad h. l.

39. 40. ἤδη ὄζει, τεταρταῖος γάρ ἐςι] *foetet iam, nam quartus agitur dies, e quo fepultus eft*, vid. notata fupra n. 7. 8. τεταρταῖος, *quarto die*, vt ap. Xen. Cyr. 5, 3. 1. τριταῖος, *tertio die* Herodo. 2, 89. δευτεραῖος id. 6, 106. δωδεκαταῖος Theocrit. Id. 2, 4. Philoftr. Apollon. 7, 10. πεμπταῖος ἀφίκετο add. Diod. Sic. p. 412. B. p. 434. B. *Rhod.* vid. *Raphelius* Obff. Xenophh. et Herodott. *Palairetus*, *Wetftenius* ad h. l. *Albertius*, *Münthius* ad Act. 28, 13. et *Fifcherus* Animaduu. ad Well. Vol. 2. p. 165 fq. ὄψει per Atticismum pofitum eft pro ὄψῃ, vid. ad Matth. 27, 4.

41. 42. Vid. fupra n. 9. not. Verba: οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος in nonnullis codd. et verff. antiquis defunt, fed lectio fana eft, fubintelligi debet τοῦ μνημείου οὗ, quae ellipfis grammaticos librariosque offendiffe videtur. εὐχαριςῶ σοι ὅτι ἤκουσάς μου haud pauci interpretes non ad factum infigne, quod Iefus hoc ipfo tempore editurus effet, fed ad alia diuini auxilii documenta, quae huc vsque expertus fuiffet, referenda exiftimant, atque adeo ἤκουσας pofitum effe putant pro ἀκούειν εἴωθας, *precibus meis annuere foles.* Sic Tertullian. adu. Praxeam c. 23. *Heinfius*,

Thalemanus, *Rofenmüllerus*, alii. Sed repugnant huic interpretationi verba fequentia: ἐγὼ δὲ ᾔδειν ὅτι πάντοτέ μου ἀκούεις. Cf. et fupra not. n. 9. *b.* — 42. *Probe quidem noui te femper votis meis annuere*, non propterea tibi gratias egi, quafi antea dubitarim, te animi mei defiderio fatisfacturum effe, me etiam hac occafione auxilio tuo adiutum effe, *fed propter adftantem multitudinem haec locutus f. precatus fum, vt fibi perfuaderet me tuum effe legatum*, ne dicere poffent, me a genio malo adiutum in vitam reuocaffe Lazarum, vid. Matth. 12, 24.

44. ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς, δεδέμενος — περιεδέδετο] *prodibat mortuus pedes et manus fafciis vinctus, et facie fudario obuelata.* τοὺς πόδας fcl. κατά· non duo pedes fimul, fed vterque feorfim inuoluti erant. Fuerunt tamen qui putarent totum Lazari corpus inuolutum, fafciisque circumligatum fuiffe, inftar infantum recens natorum, vincula vero vi diuina laxata fuiffe, vt prodire potuiffet. Bafilius Homil. de gratiar. actione T. 1. ὁ νεκρὸς ἐζωποιεῖτο καὶ ὁ δεδέμενος περιπάτει. Θαῦμα ἐν θαύματι, κειρίαις δεδέσθαι τοὺς πόδας, καὶ μὴ κωλύεσθαι πρὸς κίνησιν. Eandem fententiam fine idonea ratione fecuti *Lightfootus*, *Lampius*, *Rufius*, *Heumanus*. Quodfi vero vel maxime ftatuere vellemus, Lazarum pedibus manibusque deuinctum iacuiffe, ita, vt totum corpus inuolutum effet, neque tamen vel fic neceffe effet, vt de miraculo cogitaremus, cum ftatui poffit inter nitendum vincula effe laxata, et vero etiam ἐξῆλθε commode reddi poffit: *exire volebat*, *nitebatur.* κειρίαι funt *fafciae quaeuis*, et hoc nomine infigniuntur fafciae, quibus infantes vinciri, lecti fubtendi, et mortuorum cadauera, linteo prius inuoluta (v. ad Matth. 27, 59. *Lampius* ad h. l.), vt aromata, quibus corpora condiebantur, melius feruarentur, circumligari folebant. Suidas: κειρία· εἶδος ζώνης ἐκ σχοινίων, παρεοικὸς ἱμάντι, ᾗ δεσμοῦσι τὰς κλίνας, *genus zonae ex funibus, loro fimile, qua lectos vinciunt.* Mofchopulus: κειρία ὁ τῶν νηπίων δεσμὸς;

ἤγουν ἡ κοινῶς Φασκία, καὶ ᾗ δεσμοῦσι τοὺς νεκρούς. Fasciae sepulcrales, quae h. l. dicuntur κειρίαι, infra 19, 40. nominantur ὀθόνια. De voce σουδάριον dictum est ad Luc. 19, 20. h. l. ita vocatur linteum, quo facies s. frons mortui velabatur. Neque enim satis constat, vtrum facies an frons tantum sudario obuoluta fuerit; vt enim Aegyptiorum mumiae testantur, Orientales passim velo frontem mortuorum, non integrum vultum cingebant. Ob eam tamen rationem, quam Iudaeorum magistri afferunt, cur mortui sudario velati sint, subnasci posset suspicio, vultum integrum fuisse obuelatum. Maimonides tract. Efel. c. 4. *eadem de caussa tegunt faciem defunctis, ne prostituantur pauperiores, quorum famelici vultus ob alimenti penuriam plerumque sunt deformiores*, v. *Wolfius* et *Lampius* ad h. l. Sed diuersorum temporum et populorum diuersa consuetudo esse potuit. Vocabulum autem ὄψις haud rarenter de parte faciei, etiam de fronte ponitur, vt Ier. 3, 3. vbi Alexandrini nomen מצח *frons*, vocabulo ὄψις expresserunt, add. Iob. 14, 1. Cantic. 2, 14. Suidas: ὄψεις — ὀφθαλμοὶ, ὁράσεις. Tob. 14, 1. ὅτε ἀπώλεσε τὰς ὄψεις.

45. 46. Exponitur, quam vim habuerit hoc insigne Christi factum in animos spectatorum. Nempe multi ex primoribus populi, qui ad sorores venerant, vt eas consolarentur v. 31. visis his quae Iesus fecerat, fidem ei habuerunt, cum legatum diuinum v. 42. agnouerunt; nonnulli vero ad Pharisaeos abierunt, iisque rem gestam nuntiarunt. Ambigunt interpretes, quonam consilio homines isti ad Pharisaeos abierint? *Heumanus*, *Semlerus*, *Hezelius*, alii, praeeunte Origene, opinantur, eos non improbo consilio et animo maligno rem Pharisaeis renuntiasse, sed eos voluisse Pharisaeos, qui Iesum impostorem declarassent, erroris conuincere, aut Pharisaeos consulere, vtrum Iesus, qui tam insigne factum edidisset, pro legato diuino habendus esset. At enimuero homines isti, qui ad Pharisaeos acerrimos Iesu hostes abiisse dicuntur,

opponuntur iis, qui v. 45. fidem Iefu habuiffe perhibentur, et iam fupra v. 37. notauerat fcriptor, inter eos qui ad forores eas confolandi cauffa venerant, fuiffe homines nonnullos Iefu maleuolos; hi iidem, ne vifa quidem mortui refuscitatione refipuerant Luc. 16, 31. fed odio in Iefum ducti, eumque doctorem falfum habentes, qui a Satana adiutus rem peregiffet Matth. 12, 24, ad collegas, ad fynedros e fecta Pharifaeorum, coll. v. 47. 9, 13. 22. abibant, vt Iefum accufarent, et collegarum inuidiam magis accendendo ei perniciem pararent.

47. 48. οἱ ἀρχιερεῖς Hananus et Caiaphas Luc. 3, 2. Ioh. 18, 13. 24. non exclufis tamen reliquis facerdotum principibus, vid. ad Matth. 2, 4. τί ποιοῦμεν — σημεῖα ποιεῖ] *quid vobis faciendum eft, cum ifte homo multa portenta patret?* etiam impoftoribus σημεῖα tribuuntur Matth. 24, 24. — 48. ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν οὕτω, — ἔθνος] fi ei porro fic agere per nos licuerit, *omnes*, maxima pars populi, loquuntur homines ira exacerbati, *eius partes fequentur*, feditionem mouebit populus, eum Meffiam agnofcet, regem creabit, *et Romani regionem et gentem noftram perdent*, *fie werden Land und Leute verderben.* Periculum fingebant, vbi nullum erat; nunquam enim Iefus regnum terrenum affectarat, fed deferendum fibi fugerat et declinarat Ioh. 6, 15. iufferatque tributa pendere magiftratui Matth. 17, 24 fq. ipfi potius facerdotes et Pharifaei nouarum rerum cupidi erant, vid. ad Matth. 14, 2. Ioh. 1, 19 fs. et incredibili Romanorum poteftati fefe fubducendi cupiditate flagrabant, auideque exfpectabant Meffiam, qui gentem Iudaicam a poteftate Romanorum liberaturus effet, vid. ad Matth. 4, 1 fs. cum vero Iefus ipforum votis ac defideriis non refponderet, cum per eum auctoritatem fuam imminutam effe, et indies magis decrefcere viderent, necem ei intentabant, eique, quod ipfi moliebantur, imputabant, vt fub hoc praetextu eum e medio tollerent, coll. Luc. 23, 2. 5. Ioh. 19, 12. Aliam interpretationem huius loci, pa-

rum tamen probabilem, *Semlerus* propofuit. Senfum nimirum orationis fynedrorum ita conftituit: Si patiamur illum porro fic res agere, verendum eft, ne tandem omnes ei publicam auctoritatem tribuant, eius doctrinam, quae omnibus gentibus fauet, admittant. Si id fit, interuenient Romani, quibus illa noua iftius hominis inftituta non obfcure fauent, et auferent id, quod nobis fupereft poteftatis in hanc vrbem atque in gentem vniuerfam, ex poteftate fynedrii eripient omnes Iudaeos, et adiuuabunt nouarum rerum hunc auctorem. Sed vt recte obferuauit *Boltenius*, verba: καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος, v. 50. explicantur, ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται, nec legitur ἡμῖν fed ἡμῶν. Retinenda ergo vulgaris interpretatio, quae fimplicitate fua fefe commendat, quamque orationis feries apprime confirmat. Vocabulum τόπος alii h. l. notare putant *vrbem*, et Hierofolymam intelligunt. Neque negari poteft, nomen τόπος aliis quoque in locis hoc fignificatu adhibitum legi, vt Hebr. מקום Gen. 18, 26. vbi οἱ ό habent τόπος. Etiam Latini *vrbem* nominant *locum*, vid. *Curtius* 5, 1. et nos quoque dicere folemus, *Ort* pro *Stadt*. Alii de *templo* cogitant, quod τόπος vocatur Act. 6, 13 fs. 2 Macc. 2, 19. Haud repudiarem hanc interpretandi rationem, fi probari poffet, fynedrium tunc temporis in templo (vid. ad Matth. 27, 5.) fuiffe congregatum, fed fynedri conuenire quoque folebant in palatio pontificis maximi, vid. Matth. 26, 3. Praeplacet igitur ratio *Chr. Godofr. Mülleri*, v. eiusd. illuftratio loci Euang. Ioh. c. 11, 48 fs. Lipf. 1791. 4. et *Schleufneri* in Lex. fub v. αἴρω, qui τόπος eo fignificatu capiendum effe ftatuunt, vt fit *regio*. Sic מקום de Palaeftina legitur Hof. 1, 10. et τόπος 1 Sam. 12, 8. vbi Mofes Ifraelitas duxiffe dicitur in hunc locum, τόπον, quae verba Iofeph Ant. 6, 5. p. 592. ed. *Oberth.* reddit: οἱ ἤγαγον ὑμᾶς εἰς τήνδε τὴν γῆν. Xen. Anab. 4, 4. 2. ὁ τόπος οὗτος Ἀρμενία ἐκαλεῖτο ἡ πρὸς ἑσπέραν. Verbum αἴρειν *perdere*, *vaftare*, נשא 2 Sam. 5, 21. vfurpari folet de regione, de vrbe, quae vaftatur Ael. H. V. 9, 9. de homi-

nibus qui occiduntur, aut aliquo modo pereunt Luc. 23, 18. Ioh. 18, 15. 31. qui captiui abducuntur Ezech. 30, 17. 18. bene igitur verbum αἴρειν cum τῷ, τόπον, tum τῷ, ἔθνος conuenit.

49. 50. ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου] *summus illo tempore pontifex.* Nonnulli opinati ſunt pontificale munus tunc temporis fuiſſe annuum, atque Ananum et Caiapham per vices ſacerdotio ſummo praefuiſſe. Sed haec ſententia probari nequit, imo Caiaphas per decem annos continuos pontificis munere functus eſt, vid. not. ad Luc. 3, 2. Itaque τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου quo omnis euitetur ambiguitas, reddi debet: *illo tempore,* quo eodem ſignificatu etiam Hebraeorum שנה adhiberi ſolet, vid. ad Luc. 4, 19. Breuiter Iohannes tunc temporis in ſenatu acta expoſuit. Scilicet inſtituta erat conſultatio eum in finem, vt ſynedrium Ieſu mortem decerneret. Sed inter ſynedros plures erant, qui Ieſu cauſſae fauerent, vid. 3, 1. 7, 50 ſs. 11, 45. 12, 42. hi ergo collegis, qui Ieſum interficiendum eſſe cenſerent, intercedebant, eumque ab omni ſeditione alienum eſſe contendebant. His igitur pro imperio quaſi Caiaphas dicebat: vos male ſapitis (vt Lat. *nihil videre* pro ſtultum eſſe), parum recte cenſetis, quod attinet rem de qua agitur, neque perpenditis (διαλογίζεσθε Matth. 21, 25.), ſalutem populi vniuerſi, praeferendam eſſe vnius hominis, etiamſi ſit bonus et iuſtus, ſaluti. συμφέρει ἡμῖν — ἀπόληται, *magis conducit nobis vnum hominem pro populo mori, quam vt omnis populus pereat.* Xiphilinus in Othone p. 193. πολὺ γάρ που καὶ κρεῖττον καὶ δικαιότερόν ἐϛιν, ἕνα ὑπὲρ πάντων, ἢ πολλοὺς ὑπὲρ ἑνὸς ἀπολέσθαι. Bereſchith R. ſect. 91. fol. 89. 2. *Melius eſt vt in periculo dubio anima vna pereat, quam omnes in aperto.* ib. ſect. 94. fol. 92. 3. *melius eſt, vnum hominem interficere, quam integram ſocietatem mulctare,* vid. *Wetſtenius, Schoettgenius* ad h. l. Corn. Nep. Miltiad. c. 8. *Haec populus reſpiciens, maluit eum innoxium plecti, quam ſe diutius eſſe in timore.*

51. 52. Haud pauci interpretes ſtatuerunt Caiapham, quamuis homo eſſet improbiſſimus, tamen diuino inſtinctu, inſcium et inuitum praedixiſſe, Ieſum *pro populo eſſe moriturum, nec tantum huius cauſſa, verum etiam, vt diſperſos inter omnes gentes Dei cultores in vnum coetum colligeret.* Neque haec explicatio propterea cum nonnullis repudianda eſt, quod parum probabile ſit Deum, tam impio homini, qualis Caiaphas fuerit, futura reuelaſſe, poſſunt enim illius explicationis defenſores prouocare ad Bileami exemplum, vid. Gen. 22. 23. ſed propterea improbanda videtur, quoniam non perſpicitur, quidni Caiaphae hoc conſilium politicum ſponte, naturali modo in mentem venire potuerit, et quoniam quae Iohannes v. 52. adiecit, de euangelii ad gentes exteras propagatione illo Caiaphae dicto ſignificata, ex re longe poſtea facta in illud dictum quaſi intruſa ſunt. Quare alii Caiaphae effatum, vaticinium fuiſſe negarunt, et quae v. 51. 52. leguntur, pro interpretamento ſcriptoris pragmatici habenda eſſe cenſuerunt, qui verbis, ſiue, conſilio Caiaphae politico alium, eumque religioſum ac pium ſenſum ſubiecerit. Monuerunt, Iudaeos credidiſſe, Deum interdum vſum eſſe pontifice ſummo et ſacerdotibus, vt voluntatis ſuae interpretibus, eosque inſtruxiſſe facultate futura praedicendi, atque hanc opinionem Iohannem h. l. reſpexiſſe, cf. Num. 27, 21. Deut. 17, 12. Ioſeph. Ant. 6, 6. 3. ed. *Oberthür.* Saulus *κελεύει τὸν ἀρχιερέα λαβόντα τὴν ἀρχιερατικὴν ϛολὴν, προφητεύειν αὐτῷ περὶ τῶν μελλόντων.* Philo de Creat. princ. p. 723. E. *ὁ πρὸς ἀλήθειαν ἱερεὺς εὐθὺς ἐϛι προφήτης, οὐ γένει μᾶλλον ἢ ἀρετῇ παρεληλυθὼς ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος θεραπείαν, verus ſacerdos ſimul etiam vates eſt, non tam generis quam virtutis beneficio conſecutus ſacerdotium veri numinis* Subſtituerunt ergo verbis v. 51 et 52. ſenſum hunc: prouidentia diuina ita dirigente (*τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν,* non ſine Deo dixit) ſententiam contra Ieſum in ſe nequiſſimam, ita protulit Caiaphas, vt ſimul illa ſenſu paulisper diuerſo accepta, inſigne eſſet vatici-

nium de vera mortis Chrifti vtilitate. Deus vfus eft hoc viro, vt confilium mortis Chrifti exprimeret, ficut olim per pontificem interdum refponfa dedit. Mihi quidem de hoc loco fic videtur. Iohannes fuum iudicium addens, rem magni momenti lectoribus in memoriam reuocare voluit, nempe Iefu mortem generi humano fuiffe falutarem. Hinc quae Caiaphas fuaferat, rei fuae atque confilio Dei accommodauit. Iam verbis τοῦτο δὲ — προεΦήτευσεν, quae non nimis premenda, fed populariter dicta funt, omnino declarare voluit, admodum memorabile effe illud Caiaphae effatum. Hanc fententiam ita expreffit: Caiaphas *quafi* oraculum edidit, vt pontifex, veterum pontificum more, qui interdum oracula edidiffe, futura praedixiffe perhibentur; Caiaphas haec non tam fuopte ingenio, non tam fententiam fuam dixiffe, quam potius futura praedixiffe *videtur* (οὐ — ἀλλὰ, vid. ad Matth. 10, 19.), diuinitus quafi fententiam eum dixiffe credideris. Verba quae effe vel facere fignificant, quandoque pro rei opinione ponuntur, et intelligenda funt Φαινομένως, reputatiue, *Glaffius* Phil. S. p. 229. *Dath.* add. not. ad Matth. 26, 12. Poft προεΦήτευσεν interpungendum, et ὅτι reddendum *nam*, quo dilucidius appareat, non Caiaphae, fed Iohannis verba fequi. *Paulus* poft ἐκείνου interpungendum effe ftatuit, et fecutus *Heumanum*, verborum fenfum ita conftituit: non fuam fententiam, fed fe, pontificem fummum, diuinam fententiam *protuliffe putabat* l. *affirmabat*. Sane inuitus et infcius eatenus prophetae perfonam egit, futura praedixit, quatenus omnino verbis ipfius hic fenfus ineft, moriturum effe Iefum etc. Anonymus in *Beyträgen zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion*, Heft 5. p. 12. hos duo verficulos a Iohannis difcipulo infertos fuiffe, coniecit. Quae tamen coniectura omni idonea ratione deftituta eft. ἔμελλεν ἀποθνήσκειν κ. τ. λ.] *mori debebat pro populo* Iudaico Luc. 7, 5. Ioh. 18, 35. τέκνα τοῦ Θεοῦ homines qui ad Chrifti religionem acceffe runt, et vtpote tales Deo probantur, ab eo beneficiis or

nantur, vid. 1, 12. fed *τέκνα τοῦ Θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα* *Dei filii*, cultores per orbem terrarum *difperfi* funt gentiles, qui nondum ad Chrifti figna fe contulerant, qui *τέκνα τοῦ Θεοῦ* dicuntur per prolepfin, ratione conuerfionis futurae, vt fupra 10, 16. *πρόβατα. συναγάγῃ εἰς ἓν* fcl. *ἔθνος* *vt in vnum coetum colligeret* cum Iudaeis Ephef. 2, 13. 14. 3, 6. *vt vnus euaderet grex vnius paftoris* 10, 16. e paganis et Iudaeis grex promifcuus, adeoque vna cum Iudaeis eundem feruatorem colerent, eademque felicitate perfruerentur.

53. 54. Synedri Iefu fauentes non audebant amplius eius cauffam tueri, vid. 12, 42. Synedrium Iefu mortem decernebat, et ab illo die de modo eius commode propediem interficiendi inter fe confultabant collegii illius affeffores. — 54. Iefus igitur, quem eorum decretum et confilia non laterent, *οὐκ ἔτι παῤῥησίᾳ περιεπάτει ἐν τοῖς Ἰουδαίοις, non amplius palam verfatus eft inter Iudaeos*, non in confpectum primoribus populi fefe dedit, non profectus eft Hierofolymam, ibique publice docuit, *ἀλλὰ ἀπῆλθεν ἐκεῖθεν κ. τ. λ.*, *fed abiit inde*, Bethania relicta, *contulit fe in regionem deferto proximam*, *in oppidum nomine Ephraim*, *ibique commoratus eft* (*διέτριβε* 3, 22.) *cum difcipulis*. Poftquam Iefus aliquamdiu Ephraimi commoratus erat, inde, cum feftum Pafchatos tunc temporis nondum proxime inftaret, non recta via et breuiffima, fed alia longiori Hierofolymam petiit, vid. Luc. 17, 11. Oppidum Ἐφραὶμ f. Ἐφρὲμ, vt in aliis libris legitur, duobus circiter milliaribus Hierofolyma diftabat, et contiguum erat deferto Iudaeae Matth. 4, 1. vid. *Relandi* Palaeftina p. 376. et *Lightfooti* Chorograph. Ioh. praemiffa c. 7. p. 953.

55. Per *τὴν χώραν Grotius*, alii, oppidum Ephraim, alii circumiacentem quoque regionem fignificari putant; fed videtur hoc nomen latiori fenfu fumendum effe, ita,

vt omnis Iudaeorum regio intelligatur. ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτοὺς, *vt ſe* ad ſolemnia agenda *rite praepararent.* Qui quocunque modo ſe inquinauerant, et culpae cuiusdam ſibi conſcii erant, ſecundum inſtituta Iudaica ſeſe purgare debebant ante feſtum, ita, vt ritus legitimos obſeruarent, et ſacrificia lege praeſcripta offerrent, cuius generis luſtrationum aliae plures dies requirebant, aliae citius abſoluebantur; ſolebant praeterea Iudaei vnum aut plures dies ante feſtum abſtinere Venere, vino et cibis delicatioribus, vt hoc modo cum corpus tum animum praepararent ad inſtantia ſacra paſchalia, vid. Ex. 19, 10. *Spencerus* de legg. Hebrr. ritual. p. 1038. *Lightfootus* Hor. Hebr. et Talm. atque *Lampius* ad h. l. Eam igitur ob cauſſam admodum multi ante feſti initium Hieroſolymam proficiſcebantur.

56. 57. Iudaei Ieſu doctrinae cupidi ἐζήτουν οὖν τὸν Ἰησοῦν κ. τ. λ. *quaerebant eum et in templo ſtantes*, vbi Ieſus populum docere conſueuerat, *ſe inuicem interrogabant*: τί δοκεῖ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν; haec verba plerique interpretes, cum Vulgata, Nonno et Eraſmo explicant: *quid vobis videtur, quod non venerit ad feſtum celebrandum?* exprimunt ergo ἔλθῃ per praeteritum. Verum enimuero quod Ieſus nondum veniſſet ad feſtum, cum adhuc aliquot dies intercederent, antequam feſtum inchoaret, in eo nihil erat, quod mirari aut in ſiniſtram partem interpretari poterant. Sed deliberabant de re adhuc incerta, et dubitabant, an Ieſus, ob imminentia ei pericula Hieroſolymam ad feſtum concelebrandum venturus eſſet. Praeferenda igitur eſt interpretatio Syri interpretis, Chryſoſtomi, *Glaſſii* (Philol. S. p. 306.), *Lampii*, *Heumani*, aliorumque, *quid videtur vobis? quod non ſit venturus ad feſtum?* vt adeo ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ poſitum ſit pro ὅτι οὐ μὴ ἐλεύσεται. — 57. Ratio affertur, cur nonnulli de aduentu Chriſti dubitarint: δεδώκεισαν δὲ καὶ οἱ ἀρχιερεῖς κ. τ. λ., *promulgarant ſacerdotes ſummi et Phariſaei* (h. e.

omnino, fynedri) *edictum, vt fiquis refciret, vbinam ille verfaretur, indicaret, quo eum comprehendere poffent.*

CAPVT XII.

1. 2. Eandem Iohannes h. l. hiftoriam refert, quae enarrata legitur Matth. 26, 6 fs. Marc. 14, 3 fs. vbi vid. not. vt et ad Matth. 21, p. 568. πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα, *fex diebus f. fexto ante Pafcha die;* verba inuerfo ordine pofita funt, pro ἓξ ἡμερῶν πρὸ τοῦ πάσχα. Similis traiectio Amof. 1, 1. πρὸ δύο ἐτῶν τοῦ σεισμοῦ, *biennium ante terrae motum.* ib. 4, 7. πρὸ τριῶν μηνῶν τοῦ τρυγητοῦ. Iofeph. Ant. 15, 14. πρὸ ἡμέρας μιᾶς τῆς ἑορτῆς, *vno die ante feftum.* add. 2 Macc. 15, 36. Schol. ad Thucyd. 2, 34. Exempla alia vid. ap. *Wetftenium* et *Kypkium* ad h. l. Vulgatus interpres verba noftra vertit: *ante fex dies Pafchae,* quam verfionem *Drufius* probat, vt adeo Pafcha, exclufo termino, fex diebus conftitiffe dicatur, *ante hexaëmeron Pafchale.* Verum hanc fententiam recte reiecerunt *Beza, de Dieu, Wolfius, Kypkius,* alii. Pafcha enim non fex, fed feptem diebus, abfoluebatur, quorum primus et vltimus aeque fefti erant; nec hoc modo tempus aduentus Chrifti ab Euangelifta accurate definitum effet, quod tamen eum accurate definire voluiffe, omnis orationis feries docet. ἦλθεν, *rediit,* vt 4, 16. etc. coll. 11, 54. ἦν, *habitabat,* vid. ad 7, 42. ὁ τεθνηκώς, *antea mortuus,* vid. ad 9, 17. Matth. 26, 6. ἐποίησαν δεῖπνον αὐτῷ, *coena ipfi ibi parabatur,* nempe in aedibus Simonis cuiusdam, vid. Matth. 26, 6. διακονεῖν, *miniftrare, apparere ad menfam,* vid. ad Luc. 10, 40. εἷς ἦν τῶν συνανακειμένων αὐτῷ, *ex numero eorum, qui cum Iefu accumbebant, erat,* e conuiuarum numero erat. Pro συνανακειμένων in haud paucis libris legitur, ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ, quam lectionem nollem in ordinem recepiffet *Griesbachius,* frequen-

ter enim librarii verba decompoſita mutarunt in compoſita, et compoſita in ſimplicia, vid. Index Luc. quod cum et h. l. factum eſſet, grammatici in marg. notarunt vel inter verſus ſcripſerunt praepoſitionem σὺν, quam deinde librarii in ipſum textum contulerunt ita, vt eam anteponerent pronomini αὐτῷ, atque ſic oriretur lectio ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ.

3—5. λίτρα vox origine Graeca v. Pollux L. 4. §. 173. quae ad Hebraeos (ליטרא) et Latinos transiit, ita vt apud hos reſponderet vocabulo *libra*, *ein Pfund*, quo pondus duodecim vnciarum ſignificabatur, vid. ad 19, 39. *Boltenius*, qui ſtatuit Iohannem lingua Aramaea euangelium ſuum conſcripſiſſe, cum ei parum probabile videatur, Mariam tantam vnguenti copiam in caput et pedes Ieſu effudiſſe, et reliqui Euangeliſtae vſi ſint nomine ἀλάβαςρον, *vasculum ex lapide alabaſtrite;* putat interpretem Graecum h. l. male ſcriptoris mentem expreſſiſſe, et commutaſſe Syr. מאנא, *vas*, *vasculum*, cum מניא *libra*, ſed cum paulo poſt commemoretur, vnguenti odorem totam domum penetraſſe, et v. 5. Iudas dixiſſe perhibeatur, pluris trecentis denariis vnguentum vendi potuiſſe, nemo facile infitias ibit, de magna vnguenti copia h. l. cogitandum eſſe, vid. *Wegſcheiderus* in *Einleit.* p. 275. praeterea, vt *Eichhornius* in *Einleit.* Th. 2. p. 261. obſeruauit, vocabulum λίτρα nunquam Aramaei expreſſerunt nomine מניא, *Mina*, ſed nomine ליטרא, neque adeo cum voce λίτρα conferri poteſt Syr. מאנא. νάρδου πιςικῆς πολυτίμου, *nardi purae pretioſae*, vid. ad Marc. 14, 3. Matth. 26, 7. ἤλειψε — αὐτοῦ] *inunxit Ieſu pedes*, *eosque crinibus ſuis abſterſit.* Matth. et Marc. ll. cc. referunt, Mariam tantummodo caput Chriſti vnguento perfudiſſe, neque tamen Euangeliſtae ſibi repugnant, ea primum Ieſu menſae in lectulo accumbentis (vid. ad Luc. 7, 38.) pedes, deinde caput eius vnguento perfudit. Facit ad confirmandam hanc interpretationem

locus 11, 2. vbi legitur ἀλείψασα τὸν κύριον. Vnctionem pedum commemorauit Iohannes, quod ea minus fueta apud veteres et eximium pietatis ac reuerentiae documentum erat, v. *Lampius* ad h. l. — 4. 5. Ἰούδας Σίμωνος Ἰσκαριώτης, vid. ad Matth. 10, 4. 26, 15. τριακοσίων δηναρίων, vid. ad Marc. 14, 5.

6. εἶπε δὲ τοῦτο, οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν κ. τ. λ.] *id vero non propterea dicebat, quod pauperes ei curae erant, sed quoniam fur erat, nam seruabat loculum, et de illis quae inferebantur huic, auferebat.* γλωσσόκομον quod vocabulum compofitum eft ex γλῶσσα *lingua*, item *lingula tibiarum*, et κομέω *feruo, curo*, vt *Krebfius* ad h. l. obferuat, proprie notat *thecam*, f. *cistellam*, *in qua tibicines lingulas tibiarum reponebant, ne attritu corrumperentur.* Hefychius: γλωττόκομον, ἐν ᾧ οἱ αὐληταὶ ἀπετίθεσαν τὰς γλωσσίδας, deinde vero hoc idem nomen adhibetur etiam de *arcula quauis*; fic Exod. 37, 1. arcam foederis Aquila dixit γλωσσόκομον, Alexandrini ibi vfi funt vocabulo κιβωτός. Ciftulam, in quam Philiftaei aureos mures et fimulacra conieeerant, quae in textu Hebraico ארגז dicitur, Iofephus Ant. 6, 1. 2. γλωσσόκομον dixit, quod nomen §. 3. explicuit, τὸ ἄγγος ὃ τοὺς ἀνδριάντας εἶχε καὶ μύας, *arcula in qua erant fimulacra et mures.* Inprimis autem γλωσσόκομον vfurpatur de *loculo pecuniis afferuandis apto* fiue *marfupio*, vt h. l. in verfione Alexandrina 2 Par. 24, 8. 10. 11. Plutarch. Galba p. 1060. quem locum *Wetftenius* et *Kypkius* laudarunt: ἐκέλευσεν (Galba) αὐτῷ κομισθῆναι τὸ γλωσσόκομον, καὶ λαβὼν χρυσοῦς τινὰς ἐπέδωκε τῷ Κάνῳ, *loculos fibi iuffit afferri, et aureos aliquot inde depromtos donauit Cano.* Hefychius: γλωσσόκομον· θήκη. Lex. Cyrill. ined. γλωσσόκομον· βαλάντιον ἢ ξυλίνη θήκη. Euthymius Zigabenus ad Matth. 26. γλωσσόκομον δὲ ἦν βαλάντιον, ἐν ᾧ τὰ προςαγόμενα χάριν τῶν πενήτων ἐναπεθησαυρίζετο. Etiam in fcriptis Rabbinorum reperitur vocabulum גלוסקמא (quo h. l. Syrus vfus eft) et גלוסקמא

per Daleth, et vulgo ponitur de *arca sepulcrali*. v. *Lightfootus* ad h. l. et *Buxtorfius* Lex. Talm. p. 443. τὰ βαλλόμενα positum est pro ἐμβαλλόμενα l. συμβαλλόμενα, in arculam f. marsupium. Donaria, quae Christi sectatores et fautores offerebant, Iudae concredita erant, vt illa in futuros vsus reseruaret. Luc. 8, 3. Matth 27, 55. Act. 2, 44 sq. τὰ βαλλόμενα non omnia, sed de iis quae immittebantur, auferebat. Similis locus Luc. 10, 7. 8. Verbum autem βαστάζειν, cum paulo ante notatum sit, Iudae concreditum fuisse marsupium, non reddendum est *portare*, nec *asseruare*, nec cum *Abreschio* Annott. ad N. T. p. 535. *tractare*, *administrare* (quae verbi significatio nec exemplis idoneis confirmari potest), sic enim admodum frigida sententia procederet, sed reddi debet auferre, interuertere, furari, et verba τὰ βαλλ. ἐβαστ. adiecta sunt, vt eo dilucidius appareat, quare Iudas κλέπτης sit dictus. Hac vero significatione verbum βαστάζειν frequenter adhibitum legitur. Apollod. Bibl. 2, 6. 2. τὸν τρίποδα βαστάσας, *cum tripodem abstulisset*. Ioseph. Ant. 14, 7. Κράσσος τὰ ἐν ἱερῷ χρήματα, ἃ Πομπήϊος κατελοίπει, δισχίλια δ' ἦν τάλαντα, βαστάσας, *Crassus pecuniam in templo reconditam, quam Pompeius non attigerat, abstulit*. ib. 12, 5. 4. συλᾷν, περιδύειν et βαστάζειν tanquam synonyma occurrunt. Diog. Laërt. 4, 59. de Lacyde, qui ista cautela vsus dicitur, vt sigillo ianuae vel cistae impresso, annulum per foramen iniiceret, ὡς μηδέποτε αὐτοῦ περιαιρεθείη, καὶ τὶ βασταχθείη τῶν ἀποκειμένων, *ne quid de rebus suis ei surriperetur, nec quicquam eorum, quae recondita erant, furto auferretur*, vbi vid. *Menagius*. Suidas: βασταχθείη, ἀρθείη, κλαπείη. Etiam Latini *ferre* dicere solent pro *auferre*. Virg. Ecl. 9, 51. *Omnia fert aetas, animum quoque*. Conf. *Wolfius*, *Elsnerus*, *Kypkius* et *Krebsius* ad h. l.

7. 8. ἄφες αὐτὴν, *permitte ei*, Matth. 19, 14. 3, 15. 23, 13. noli ei molestus esse, Matth. 26, 10. legitur: τί αὐτῇ κόπους παρέχετε. add. Marc. 14, 6. εἰς τὴν ἡμέραν

τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτὸ] *ad tempus pollincturae meae hoc vnguentum seruasse putanda est*, non improbares, si corpori meo mortuo hoc vnguentum impensum fuisset, cogita tempus s. diem pollincturae meae adesse, vid. not. ad Matth. 26, 12. Sed pro εἰς τὴν — τετήρηκεν αὐτὸ BDLQ. 33. 42. 145. Alius. Ar. Copt. Aeth. Arm. Syr. p. in m. Slau. Vulg. It. (exc. Brix.) Nonn. Ambr. Gaud. Aug. legunt: ἵνα εἰς τὴν — τηρήσῃ αὐτὸ, probantibus *Millio* Prolegg. §. 431. (qui vertit: *sine eam, vt opportune vsa hoc vnguento, velut ad sepulturam meam iamiam occidendi illud seruasse ostendatur*), *Bengelio*, et *Griesbachio*. Cuius tamen lectionis originem acute demonstrauit *Semlerus*. Ex isto, scribit, εἰς τὴν ἡμέραν, nonnulli clariorem constructionem effingere voluerunt, per ἵνα, quod adscripserunt, et debebat iam a lectore oratio sic expleri: ἄφες αὐτὴν, ἵνα ἐνταφιάσῃ με· quod qui non attenderent, posuerunt ἵνα ante εἰς, seruata pristina lectione. Conf. et *Wolfius* in Curis ad h. l. Caeterum vnguentum illud haud dubie reliquum fuit ex Lazari pollinctura et asseruatum. Iesus enim dicit τετήρηκεν αὐτὸ, et Iudas v. 5. reprehendit Mariam, non quod *emisset*, sed quod non vendidisset vnguentum. De verbis reliquis v. ad Matth. 26, 11.

12 — 16. Conf. not. ad Matth. 21. p. 568. 580. ἔλαβον τὰ βαΐα κ. τ. λ. vid. ad Matth. 21, 8 sq. Marc. 11, 10. εὑρὼν — αὐτὸ, *asello, quem nactus erat, vectus est.* Laudato v. 15. Zachariae loco 9, 9. (cf. Matth. 21, 5.), scriptor suum iudicium subiicit: *haec discipuli olim non aduerterunt, cum vero Iesus ad summam maiestatem euectus esset, in mentem iis veniebat, haec de Iesu fuisse praedicta, et illi facta.* Quae quidem Euangelistae verba in parenthesi ponenda sunt. ταῦτα οὐκ ἔγνωσαν] discipuli initio s. tunc temporis non intellexerunt haec verba vatis de Iesu valere, non subiit mentem discipulorum, haec praenuntiata a Zacharia. ἀλλ' ὅτε ἐδοξάσθη ὁ Ἰησοῦς, sed post reditum Iesu in coelum. τότε ἐμνήσθησαν ὅτι ταῦτα ἦν ἐπ' αὐτῷ γε-

γραμμένα, tunc recordati funt, haec dicta prophetae de eo valere. καὶ ταῦτα ἐποίησαν αὐτῷ et haec ei facta effe, quae nimirum propheta praedixit. Refpexit Iohannes verba prophetae: *laetare filia Zion* etc. ἐπ' αὐτῷ pofitum eft pro περὶ αὐτοῦ. Poft καὶ repetendum ὅτι, fed ἐποίησαν imperfonaliter pofitum eft, et explicari debet de acclamationibus populi et fparfis ramis palmarum coll. v. 12.

17. 18. Affertur cauffa, cur magna populi multitudo obuiam ex vrbe proceſſerit Iefu, eumque adeo honorifice exceperit. Pro ὅτι in aliis libris legitur ὅτε *cum, quando*; qui hanc lectionem tuentur, verba huius verficuli explicant: *celebrauerat autem eum turba populi, quae ei adfuerat, cum Lazarum e fepulcro euocaret, eumque e mortuis excitaret, quare etiam multitudo ei obuiam iuit.* Sed iam *Beza* monuit, improbandam effe lectionem ὅτε vel propterea, quod μαρτυρεῖν fic nihil habeat, quocum cohaereat. Qui vulgatam lectionem, quae optimorum librorum auctoritate nititur, retinent, eorum nonnulli verba reddunt: *etenim qui cum Iefu fuerant*, cum nimirum Lazarum refuscitaret, *teftati erant, eum Lazarum vitae reftituiffe, quare multitudo ei obuiam iuerat.* Alii explicant: *multitudo cum eo veniens*, turba quae cum eo Bethania profecta erat, *collaudabat eum*, commendabat eum occurrentibus, *quod Lazarum excitaffet, propterea etiam populus* Hierofolymitanus *ei obuiam iuerat.* Durius. Mihi verba ita reddenda effe videntur: *Laudibus autem eum extollebat corona populi quae eum cingebat, quod Lazarum e fepulcro euocaffet, eumque in vitam reuocaffet. Eam ipfam enim ob cauffam ei populos obuiam proceſſerat, quod audiuerat eum tam infigne factum edidiffe.* Pro ἤκουσε cum plurimis optimae notae codd. legendum eft ἤκουσαν, quam lectionem etiam in ordinem recepit *Griesbachius.*

19. Φαρισαῖοι, fynedri e fecta Pharifaeorum 11, 46 fq. 12, 10. θεωρεῖτε ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; κ. τ. λ. *videtisne, vos nihil proficere* (contra Iefum)? *en! omnes* (fere) *eum*

fectantur. Plures fynedrorum accurfu populi, animo confternati, collegis dicebant: vos nihil efficietis, cum non opprimetis, metuendus eft populus. Ex aliorum fententia, qui loquentes inducuntur his verbis collegas fegnitiei accufabant, et declarabant eos cunctando nil effecturos effe, Iefum propediem opprimendum et tollendum effe. Senfum ergo ita conftituunt: intelligetis tandem (θεωρεῖτε pro futuro) quod lentis conatibus nil promoueatis, optata veftra non impetretis. Pro ὠφελεῖτε in aliis libris legitur ὠφελεῖται, in aliis ὠφελεῖ, in aliis ὠφελοῦμεν, quae lectiones grammaticorum ingeniis fuam originem debent. ὁ κόσμος locutio hyperbolica, permagnam hominum multitudinem defignans, v. Matth. 3, 3. 3, 7. 8, 34. Bava Mezia f. 85. 1. *Ionathan f. Saulis vidit, mundum trahi poft Dauidem.* Sanhedrin f. 101. 2. *Hiskias rex Iudae totum mundum docuit.* Exempla plura hanc in rem v. ap. *Schoettgenium* in Horis Hebr. et *Wetftenius* ad h. l. ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν ei adhaeret, eius partes fequitur, vid. Matth. 4, 19. 16, 24. Luc. 9, 23.

20. Per τοὺς Ἕλληνας h. l. memoratos, *Heumanus*, *Semlerus*, alii intelligendos effe ftatuerunt, Iudaeos Graece loquentes, inter gentiles degentes. Sed vt iam ad 7, 35. notatum eft, hoc nomine nunquam hi appellantur. Hinc alii cogitarunt de *gentilibus*, cum etiam deorum cultores confueuerint dona mittere in templum, facrificia ibi offerre, et Deum Hierofolymis adorare, vid. *Lightfootus* Hor. Hebr. et Talm. *Wetftenius* ad h. l. et *Seldenus* de iure nat. et gent. L. 3. c. 6. Verum enimuero cum Ἕλληνες h. l. memorati Hierofolymam profecti effe dicantur, vt ibi fefto Pafchali Deum adorarent, ἐκ τῶν (non σὺν l. μετὰ) ἀναβαινόντων, ἵνα προσκ. ἐν τῇ ἑορτῇ, id quod a gentilibus factum effe, demonftrari nequit, praeferenda eft procul dubio plerorumque interpretum fententia, qui per τοὺς Ἕλληνας profelytos de gentibus intelligunt, quos Lucas Act. 13, 43. σεβομένους προσηλύτους nuncupat add. Act.

17, 4. Et quamquam h. l. non additum legitur σεβόμενοι, ex vſu tamen loquendi N. T. quandoque, vt Hieronym. in Matth. 26. ſcribit: *mutata re priſtinum nomen manet;* v. *Glaſſius* Phil. S. p. 7 ſq. nos ad Matth. 26, 6. Sic quoque qui Act. 13, 42. τὰ ἔθνη dicuntur, v. 43. nominantur σεβόμενοι προςήλυτοι. Commode ergo et h. l. Profelyti ſimpliciter dici potuerunt Ἕλληνες.

21. Hi profelyti Philippum Bethſaidenſem, his adibant precibus? magiſter (vid. ad Matth. 21, 3.) Ieſum videre cupimus. Verbum ἰδεῖν haud raro latiori ſenſu ponitur, ita, vt non tantum ſit, *videre,* ſed etiam, *colloqui cum aliquo* vt h. l. Act. 28, 15. Sic quoque Latini vſi ſunt verbo *videre,* vt Plin. epp. 1, 5. *Rogo mane Plinium videas domi.* Cf. not. ad Luc. 8, 21. θέλειν, *cupere, optare,* vid. ad Matth. 12, 38. Tenebantur autem homines illi, vti ex ipſo Ieſu ſermone patet, deſiderio eum videndi, cum eoque colloquendi, vt ſe nouo Regi commendarent. Fuerant ſpectatores triumphalis ingreſſus Chriſti in vrbem, aut ſaltem de eo audiuerant, populus iam Ieſum pro Meſſia diuinitus promiſſo habebat, eumque Iſraelitarum regem ſalutarat v. 13. et ſectatorum Chriſti omnium, etiam Apoſtolorum, ſumma nunc erat exſpectatio, fore vt Chriſtus iam regnum ſuum terrenum conſtitueret. Cupiebant ergo homines iſti felicitatis in regno Meſſiano propediem inſtituendo participes fieri, et honores adipiſci, plane vt Zebedaei filii, Matth. 20, 20. vbi v. not. adeoque Ieſu beniuolentiae ſeſe commendare volebant. Hoc horum hominum conſilium, haec eorum vota ac deſideria Philippus et Andreas Ieſu ita aperuiſſe videntur, vt ipſi quoque praeconceptas ſuas de regno Meſſiano terreno opiniones haud obſcure proderent. Quare Ieſus, vt harum opinionum vanitatem oſtenderet, diſcipulis, praeſente populo, ita reſpondebat, vt profiteretur, inſtare quidem tempus, quo pater ipſum illuſtraturus et praemiis ſummis ac maximis ornaturus eſſet, plane autem alia via ſe honorem ſuum

consecuturum esse, quam discipuli et proselyti illi somniarent, subeunda nimirum antea multorum malorum acerbitate, eodemque tramite currere debere eos, qui similis honoris obtinendi cupidi sint. Definiri nequit, an proselyti illi secuti fuerint Andream et Philippum eorum nomine Iesum adituros, adeoque orationem Iesu audiuerint, an pudore quodam impediti eum priuatim conuenire voluerint et conuenerint, quod posterius probabilius videtur. Neutiquam autem cum nonnullis interpretibus e silentio scriptoris colligi potest, Iesum eos non admisisse. Caeterum perquam probabile est, ea quae h. l. enarrantur, non euenisse in templo, sed extra vrbem; cf. v. 28. et *Michaelis* ad h. l.

23. *ἐλήλυθεν ἡ ὥρα ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*] *iam instat tempus, quo filius hominis* (Messias) *illustrabitur*, ad dignitatem et beatitatem summam euehetur. *ἵνα* positum est pro *ὅτε cum, quando* vt ap. Aristoph. Nubb. 1235. *καὶ ταῦτ᾽ ἐθελήσεις ἀπομόσαι μοι τοὺς θεούς, ἵν᾽ ἂν* (quandocunque) *κελεύσω ᾽γώ σε*; Ioh. 13, 2. 1 Cor. 7, 29. Verbum autem *δοξασθῆναι* modo strictiori sensu adhibetur, vel de doctrinae christianae propagatione, qua excellentia et dignitas Iesu Messiae, generis humani seruatoris, his in terris illustratur et agnoscitur, vt 16, 14. 17, 10. vel de Christi conditione beatissima qua in coelo perfruitur, vt 7, 39. 17, 5. supra v. 16. modo latiori sensu, ita, vt omnino significetur agnitio dignitatis Christi Messianae et summa beatitas qua in coelo perfruitur, vt 13, 31. et hoc ipso latiori sensu etiam h. l. verbum *δοξασθῆναι* adhibitum legitur. Etenim spectari rei christianae incrementa, docet occasio vniuersae orationis huius, quam Ἕλληνες Iesum videre cupientes dederant, docet item similitudo v. 24. proposita, qua Iesus insignem mortis suae vim ad discipulorum numerum augendum illustrat; cf. et v. 32. Sed beatitatis summae vsuram verbo *δοξασθῆναι* h. l. simul significari satis perspicue docent quae v. 25. 26. leguntur. Conf.

Noesselius Opufcc. T. 2. p. 9 fq. *Flattus* Symbolar. ad il-luftr. grauiora quaedam Euang. loca P. 2. p. 4. *Gablerus* in *Neueft. theol. Journal* B. 2. p. 180.

24. 25. Mihi eadem fors fubeunda eft, quae grano tritici, vt maiorem fructum parem. Mors mihi fubeunda eft, vt augeatur difcipulorum meorum numerus (4, 35.), vt magnam mihi fubiectorum copiam nancifcar et vere regnem. Etiam fupra 11, 52. coll. 10, 16. infra v. 32. tanquam fingularis effectus mortis Chrifti affertur, Iudaeos atque gentiles in vnam focietatem congregatum iri. Caeterum feminis corruptio ac disfolutio partium ipfius etiam alias morti conferri folet. Theophraft. Hift. Plant. 8, 11. *βίος γάρ ἐςιν ἑκάςοις ὡρισμένος εἰς γονήν.* add. ib. 4, 14. *Kimchius* ad Pf. 78, 47. *etiam plantae mors conuenit, quoniam in ea eft vis vegetatiua.* vid. *Lampius* ad h. l. *αὐτὸς μόνος μένει,* granum *fine prouentu manet.* *μόνος fterilis,* fic *μεμονωμένη* de prole deftituta 1 Tim. 5, 5, יחיד Pf. 68, 7. — 25. Docet iam Iefus, qui velint in communionem felicitatis fuae venire, eos quoque venire debere in focietatem periculorum et calamitatum. *ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ κ. τ. λ.*] *qui vitam fuam nimium amauerit, falutis fuae iacturam faciet, qui vero vitam fuam neglexerit, feruabit felicitatem fuam.* Compara Matth. 10, 39. Luc. 9. 25. vbi v. not. Senfus eft: qui vitam fuam ita amat, vt malit felicitatis in regno meo obtinendae iacturam facere, quam vita profundenda rei chriftianae incrementa adiuvare, is non perfruetur felicitate cultoribus meis probis deftinata, qui vero pericula et calamitates fubeundo, vitam profundendo rem meam adiuuerit, felicitate olim perfruetur maxima. *φιλεῖν, nimis cupide amare, pluris facere.* *φιλεῖν τὴν ψυχὴν* id. qd. *φιλοψυχεῖν.* Eurip. Heracl. 456. *οὐ φιλεῖν δεῖ τὴν ἐμὴν ψυχήν· ἴτω· non oportet me nimis amare vitam meam; pereat.* Eurip. Hec. 315. *πότερον μαχόμεϑ᾽ ἢ φιλοψυχήσομεν;* vid. *Vorftius* de Hebraism. N. T. p. 153. *Wetftenius* et *Kypkius* ad h. l. Op-

posita ergo formula *μισεῖν τὴν ψυχὴν* notat: *minus diligere vitam*, paratum esse ad vitam amittendam, et sanguinem profundendum propagandae religionis christianae caussa. De quo vsu verbi *μισεῖν* vid. not. ad Matth. 6, 24. et *Glassius* Phil. S. p. 230. ed. *Dath.*

26. 27. *ἐὰν ἐμοὶ διακονῇ τις, ἐμοὶ ἀκολουθείτω*] *si quis mihi ministrare voluerit*, inter meos discipulos numerari, mihi studium et ministerium suum addicere voluerit, *me*, meum exemplum, *sequatur*, in perferendis calamitatibus et ipsa morte religionis meae propagandae caussa sustinenda. *καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ κ. τ. λ.*] *et vbi ego ero* (praesens vim futuri obtinet), *ibi quoque meus minister versabitur*, felicitatem coelestem adipiscetur, mecum ea perfruetur 14, 3. 17, 24. *eum qui mihi ministrauerit, pater meus praemiis ornabit.* Consulto et industria adhibitum est verbum *διακονεῖν* vt nomen *διάκονος*, verba enim fecit Iesus ad discipulos, qui praecipuos in regno Messiano terreno honores affectarent, vid. Matth. 20, 26. *τιμᾶν* vt Hebr. כבד notat: *praemiis ornare*, vt ap. Xen. Anab. 5, 8. 11. Cyrop. 2, 3. 6. *κατὰ τὴν ἀξίαν τιμᾶσθαι.* Anab. 7, 3. 9. vbi synon. est *δωρεῖσθαι.* vid. *Sturzii* Lex. Xenoph. h. v. *Kypkius* ad 1 Tim. 5, 17. nos ad Matth. 15, 4. 27. Dum sibi Iesus instantem calamitatem grauissimam ob oculos ponit, in hanc vocem erumpit: *νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται — ὥραν ταύτην*] *iam vehementer perturbatus est animus meus. Et quid dicam? dicamne, pater, eripe me his calamitatibus? attamen propterea veni, vt me his malis obiicerem.* Oratio affectus plena. Compara Matth. 26, 38 ss. Luc. 12, 50. *ταράσσεσθαι* verbum de animi perturbatione, tristitia, moerore summo proprium, vid. ad 11, 33. add. 14, 1. 27. *ὥρα calamitates ipsas* significat, vid. ad Matth. 26, 39. extr. 24, 22. Marc. 14, 35. *ἀλλὰ κ. τ. λ.*, declarat, se deprecari nolle calamitates, quas subiturus venisset. Verba *διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην Lampius*, alii, interpretantur: sed propterea has calamitates subeo, vt mox eri-

piar, fumma dignitate ornandus. Durius. ἦλθον, vt faepius, notat, in has terras veni.

28. πάτερ, δόξασόν σου τὸ ὄνομα] *pater, illuftra nomen tuum!* ὄνομα vt Hebr. שם honor, dignitas, maieftas. Sed δοξάζειν τὸν Θεὸν f. τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ eft, agnofcere virtutes diuinas, maieftatem Dei, ita, vt eum colas, et voluntati eius conuenienter viuas, vt Matth. 5, 16. 1 Petr. 4, 16. Ioh. 15, 8. vid. *Noeffeltus* l. c. p. 15. Senfus autem horum verborum, eorumque cum antegreffis cohaerentia, ita conftitui debet: lubenter calamitates mihi imminentes perferam, tu modo fac, cura, pater, vt per me tua gloria, tuus cultus, promoueatur. Hoc vero vel maxime doctrinae chriftianae propagatione efficiebatur cf. v. 24. Pro τὸ ὄνομα codd. et verff. aliquot exhibent: τὸν υἱὸν, quae tamen verba, vt veriffime iudicauit *Noeffeltus*, adfcripta funt a grammaticis ex Ioh. 17, 1. vt obfcuriorem vocem σοῦ τὸ ὄνομα explicarent. ἦλθεν οὖν φωνὴ — δοξάσω] *tum vox e coelo audita eft: ego illuftraui et porro illuftrabo*, nempe, nomen meum, τὸ ὄνομά μου. Per φωνὴν intelligitur *tonitru*, vt Matth. 3, 17. Fulmina atque tonitrua Hebraei, et exterae gentes, annumerabant fignis praefentiae Dei, et prodigiis diuinitus factis, quorum fignificationem ex rerum circumftantia diiudicabant. Hom. Odyf. υ, 203. cum Vlyffes precatus effet: Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος· τοῦ δ' ἔκλυε μητίετα Ζεὺς Αὐτίκα δ' ἐβρόντησεν ἀπ' αἰγλύεντος Ὀλύμπου Ὑψόθεν ἐκ νεφέων· γήθησε δὲ δῖος Ὀδυσσεύς. add. Pindar. Pyth. δ'. v. 350. cf. *Lomeierus* de luftrat. gentil. c. 10. p. 88. *Elfnerus* ad h. l. nos ad Matth. l. c. Iohanni aliisque adftantibus Iefu fectatoribus, tonitru erat fignum, exauditas effe Iefus preces. Quare fcriptor, cum declarare vellet, quid fignificarit illud tonitru, ipfis verbis vfus eft, quibus vfurus fuiffet Deus, fi humana voce mentem fuam expreffiffet: καὶ ἐδόξασα κ. τ. λ. ἐδόξασα plerique interpretes referunt ad Chrifti miracula, vt δοξάσω ad reuocationem Iefu e mortuis, translationem eius in coelum, et

prodigia mortem ipfius praeceffura, comitatura, et fubfecutura, vt et ad infignia facta ab Apoftolis poftea nomine Iefu edita. Sed vt recte *Noeffeltus* obferuauit, referri debet illuftratio illa inprimis ad doctrinam diuinam, quae per Chriftum hominibus innotuit, et poft eius mortem latius propagata eft, vt in formula δόξασόν σου τὸ ὄνομα v. 28.

29. 30. Pars auditorum, quae Chrifto alienior erat, vt tacite ei detraherent, dicebant, fortuito intonuiffe; ἄλλοι ἔλεγον· ἄγγελος αὐτῷ λελάληκεν, alii contra qui honorificentius de Iefu fentiebant, angelum cum eo locutum effe affirmabant h. e. Deum per angelum i. e. per tonitru declarare voluiffe, Iefu preces ratas fore, contendebant ergo tonitru boni ominis fuiffe. Vocabula nimirum מלאך, ἄγγελος, adhibentur quoque in literis facris, de rebus vita carentibus, quibus Deus vim fuam exferit, quibus tanquam voluntatis fuae interpretibus vtitur, de naturae effectionibus, vt de tonitru, fulminibus, ventis, vid. Hebr. 1, 7. Pf. 104, 4. 103, 20. 35, 5. 6. iam cum h. l. poftquam Iefus precatus erat, audiretur tonitrus, eum fignificantem putabant, v. ad Matth. 3, 17. Luc. 22, 43. — 30. ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, καὶ εἶπεν· οὐ δι' ἐμὲ κ. τ. λ.] *tum Iefus, non mea, fed veftrum cauffa, haec vox edita eft*: non tam ad me confirmandum, quam potius ad vos edocendos, fonus ille, tonitrus auditus eft, vt videatis, quanti me pater faciat, eum preces meas audiuiffe, vt mihi fidem habeatis.

31. *Iam inftat iudicium doctrinae meae contemtoribus, iam inftat tempus, quo princeps eorum* Satanas *eiiciatur.* κόσμος omnino notat eos, qui Chrifti doctrinam repudiant, ἀπίστους, Chrifti aduerfarios, nam κόσμος opponitur τοῖς διακόνοις τοῦ Χριστοῦ v. 26. fpeciatim autem h. l. vt contextus docet, per τὸν κόσμον intelligendi funt Iudaei, quatenus nimirum doctrinae Chrifti aduerfarii erant. κρίσις ἐστὶ idem valet quod κρίνεται ὁ κόσμος, ita tamen, vt praefens

vim habeat futuri. Sed *κρίνεσθαι iudicari*, in literis facris frequenter adhibetur de iis, qui cauffa cadunt, h. e. qui ftultitiae aut criminis rei deprehenduntur, vt *κρίνειν, iudicare*, quorum verbis factisue alii erroris aut male facti conuincuntur, quo fignificatu *κατακρίνειν* legitur Matth. 12, 41. Hebr. 11, 7. vid. *Noeffeltus* ad h. l. Refpexit autem Iefus, commemorans *τὴν κρίσιν τοῦ κόσμου*, ad opinionem Iudaeorum, Meffiam omues populos, a religione Iudaeorum alienos, iisque inimicos debellaturum effe. Quam opinionem ita correxit, vt docuerit, non exteras gentes, fed omnino eos, qui doctrinam fuam hactenus repudiaffent, et repudiare pergerent, iudicium fubituros effe, eos ftultitiae conuictum iri, omnia eorum confilia rei chriftianae contraria, omnia eorum molimina irrita atque vana fore. Cauffa autem cadebant, ftultitiae atque impietatis fuae conuincebantur, adeoque iudicabantur, doctrinae et honoris Chrifti aduerfarii, ipfa huius doctrinae per Chriftum traditae, laeta poft mortem ipfius propagatione, vnde et v. 32. omnes per doctrinam trahi ad Chriftum dicuntur, et quae de euerfa poteftate f. auctoritate principis geniorum malorum h. l. leguntur, quacum illa *κρίσις* coniungitur, nonnifi de euerfione illius per longe lateque fparfam doctrinam Chrifti intelligi poffunt. Seufus ergo eft: ftultitiae atque impietatis conuincentur meae doctrinae aduerfarii, deftruetur eorum fpes honoris mei labefactandi, nam mea doctrina poft meam mortem late propagabitur, et fic promouebitur meus patrisque *δόξα*. *νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται*] *Boltenius ἄρχων* pofitum putat pro *ἄρχοντες*, atque intelligit *affeffores fynedrii*, cauffa cadet fenatus Iudaeorum; quo tamen fenfu nusquam formula *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου* legitur; imo ex vfu loquendi Iohannis et Iudaeorum *ἄρχων τοῦ κ. τ.* שַׂר הָעוֹלָם vocatur, *geniorum malorum princeps*, vid. Ioh. 14, 30. 16, 11. 2 Cor. 4, 4. Eph. 6, 12. vbi vid. *Koppius* add. Act. 26, 17. Luc. 10, 18. cf. *Lightfootus, Schoettgenius* et *Wetftenius* ad h. l. Chriftus et Apoftoli, Satanam, fecuti vfum loquendi Iudaeorum,

(qui eum omnis improbitatis auctorem habebant,) tanquam aduerſarium veritatis, atque religionis chriſtianae acerrimum proponunt, ad eius regnum referunt, quicquid ſit mali moralis, improbitatem, inſcitiam, ſuperſtitionem etc. eiusque regni ciues dicunt, homines improbos, doctrinam Chriſti repudiantes, ſiue ſint Iudaei ſiue gentiles. vid. Ioh. ll. cc. Eph. 2, 2. Itaque ἐκβληθήσεται ἔξω ὁ ἄρχων τοῦ κ. τ. eſt: euertetur Satanae auctoritas et poteſtas, victoria de Satana reportabitur, deſtruetur eius regnum h. e. homines e poteſtate erroris et impietatis eripientur; id quod effectum eſt per religionem chriſtianam, eiusque propagationem, vt docent loci Luc. 10, 18. Col. 1, 13. Act. 26, 18. qui quidem poſterior locus inprimis notabilis eſt. Sermo ibi eſt de Paulo, quem Chriſtus miſiſſe dicitur ad Iudaeos atque gentiles ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, vt eos imbueret intelligentia meliori, ἐπιςρέψαι ἀπό σκότους εἰς φῶς, vt transirent ab ignorantia, improbitate, ad cognitionem et probitatem. Hae vero formulae commutantur ibi cum hac: ἀπὸ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεόν, vt transirent e Satanae imperio ad obſequium Deo praeſtandum i. vt improbitati valedicerent, et ad vitam ſanctam transirent. Senſus ergo omnino h. l. eſt: doctrinae meae propagatione conſilia hominum improborum, aduerſariorum meorum, irrita reddentur, ipſi conuincentur ſtultitiae et impietatis, atque flagitioſitas omnis imminuetur et deſtruetur.

32. 33. κἀγὼ, ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς] *ego quando e terra ſublatus fuero.* Conf. not. ad 3, 14. 8, 28. vbi obſeruauimus, verbum ὑψωθῆναι ſignificare *in crucem tolli*, et, *ad illuſtrem dignitatis gradum euehi.* Iam in antecedentibus ſermo erat de Chriſti morte v. 24. 25. et vero etiam de propagatione doctrinae chriſtianae, quae poſt Chriſti mortem et reditum in coelum latius propagabatur, v. not. ad v. 23. 28. nec ſimpliciter h. l. legitur ἐὰν ὑψωθῶ, ſed ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, puto igitur Chriſtum his ver-

bis significasse mortem suam, mortisque suae genus, et vero etiam reditum suum in coelum, et δόξαν, maiestatem atque beatitatem, quam per mortem in cruce perpessam, et post mortem consecuturus esset. ἐὰν *cum, quando*, vt 14, 3. 1 Ioh. 3, 2. al. πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν] *omnes ad me traham:* omnes mihi doctrina mea conciliabo, ad omnis generis homines notitia mei meaeque doctrinae perueniet, mihi fidem habebunt, atque felicitatem consequentur v. 26. 11, 32. not. ad 6, 44. Pro πάντας in nonnullis codd. legitur πάντα, haud male, solet enim neutrum frequenter poni pro masculino vid. Matth. 18, 11. sed plurium codd. auctoritas vulgatam lectionem tuetur. Caeterum ex hactenus dictis clarum est, Euangelistam verbis v. 32. apposite subiecisse v. 33. obseruationem hanc: *his verbis simul innuebat mortis genus, quod subiturus esset.* Verbum σημαίνειν frequenter etiam a scriptoribus exteris adhiberi de rebus futuris, quae cum ambiguitate et obscuritate quadam innuuntur, docuit ad h. l. *Kypkius.*

34. Qui loquentes inducuntur, e numero eorum fuisse videntur, qui dixerant, βροντὴν γεγονέναι v. 29. coll. v. 35. 37. verba Christi ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, ita sibi explicabant: filius hominis, Messias, in sedes coelestes euehetur. Haec doctrina iis noua et inaudita erat. Putabant enim, Messiam perpetuo his in terris regnaturum esse. Hoc ex variis scripturae locis colligebant, vt Ps. 110, 4. Dan. 2, 44. 7, 13 sq. et id genus aliis. Obiiciebant ergo Christo haec: Tu videris Messiam (τὸν Χριστὸν) et filium hominis (τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, vid. ad Matth. 8, 20.) pro eodem habere; attamen hunc filium hominis dicis e terra sublatum iri, nos vero e literis sacris accepimus, Messiam perpetuo his in terris regnaturum esse, quae ergo tu de Messia profiteris, si per τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου Messiam intelligis, neutiquam ei conueniunt, quisnam est igitur ille filius hominis, e terra in coelum tollendus? num alium quempiam, non Messiam, hoc nomine innuis? Cum non

proxime praeceſſerit nomen *υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*, illud tamen, qui loquentes inducuntur, vrgeant: nonnulli interpretes, vt *Langius*, *Scholtenius* de appellatione *τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου* p. 133. alii, opinantur, Iudaeos non tantum reſpexiſſe verba Chriſti, quae v. 32. ſed etiam ea, quae v. 23. notata leguntur. Mihi tamen probabilior videtur *Grotii, Clerici, Lampii*, *Heumanii*, aliorumque ratio, qui ſtatuunt, Iohannem h. l. vt v. 35 ſq. ſummam tantum orationis Ieſus, non ſingula verba retuliſſe, et Ieſum verba v. 32. ſic enuntiaſſe, *καὶ ἐὰν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑψωθῇ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσει πρὸς ἑαυτὸν*, Iohannem vero hanc appellationem cum pronomine *ἐγὼ* permutaſſe. *νόμος*, *libri ſacri*, vid. 10, 34.

35. 36. Ad quaeſtionem Iudaeorum non directe Ieſus reſpondet, ſed per allegoriam eos cohortatur, vt ſua doctrina vtantur, quamdiu ipſis doctor interſit, ſic eos tandem praeiudicatas opiniones, quas fouerent, depoſituros eſſe. Omnino ergo eos his verbis edocebat, falſas eſſe ipſorum opiniones de Meſſia eiusque regno. *ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι*] *per breue adhuc tempus lux vobis apparebit.* Nomine *φῶς doctor*, vid. ad 1, 4. ſe ipſum Chriſtus deſignat, vt 8, 12. Pro *μεθ' ὑμῶν* in aliis libris legitur *ἐν ὑμῖν*, *inter vos* (vt 15, 24.) vel *vobis*, vt *ἐν* redundet; quam lectionem comprobarunt etiam *Bengelius* atque *Griesbachius.* Equidem tamen vulgarem lectionem retinendam puto, *ἐν ὑμῖν* e loco parallelo 11, 10. in hunc locum translatum eſſe videtur, eoque facilius recipi potuit, cum ſequatur *τὸ φῶς ἔχετε.* *περιπατεῖτε ἕως τὸ φῶς ἔχετε*] *ambulate*, *quamdiu luce gaudetis.* *περιπατεῖν* eſt *res ſuas agere*, *negotia ſua tractare* id. qd. *ἐργάζεσθαι*, v. *Storrii* Opuſcc. T. 3. p. 259. *quamdiu lucet* h. e. omiſſa allegoria, praeſtate officium, quod praeſtare debetis, ſuſcipite meam doctrinam, ea vtimini, quamdiu ego vobis doctor interſum. *ἵνα μὴ σκοτία ὑμᾶς καταλάβῃ*] *ne vos tenebrae opprimant*, ne in dies maior vos occupet mentis

caligo, et tandem penitus obruat. σκοτία est imago animi coecitatis, inscitiae. καταλαμβάνειν poni solet de nocte s. vespera ingruente, vid. *Kypkius* ad h. l. etiam de hostili impetu, de morbo, cuius vi resisti nequit, vid. Marc. 9, 18. *Lampius* et *Raphelius* ad h. l. καὶ ὁ περιπατῶν — ὑπάγει] *qui tenebris obrutus incedit*, *nescit*, *quo vadat* adeoque offendit, προκόπτει 11, 10. in pericula et mala incurrit. Miserrimus est, in perniciem ruit, qui in ignorantia rerum diuinarum versatur. — 36. ἕως τὸ φῶς ἔχετε κ. τ. λ.] *quamdiu lux vobis adest*, quamdiu adhuc ego vobis doctor intersum, *fidem ei habete*, vos mihi concredite, meam doctrinam suscipite, *vt filii lucis*, meliora edocti, *euadatis*, accuratiorem rerum diuinarum cognitionem consequamini. υἱοὶ τοῦ φωτός, recte edocti, vt Eph. 5, 8. De Hebraismo, qui huic formulae inest, vid. not. ad Matth. 8, 12. ταῦτα ἐλάλησεν — ἐκρύβη] *his dictis Iesus abiit*, *iisque se subduxit*, non amplius docendi caussa prodiit.

37. „Iohannes dum in eo est, vt ad extrema transeat, vno velut obtutu contemplatur hactenus narrata, et quare disciplina Iesu non semper et vbique exoptatum successum habuerit, secum reputat, lectoresque reputare docet. Iudicat ergo in hunc modum: nationem Israeliticam sui semper similem esse, nec magis facilem se docilemque Iesu docenti praebuisse, quam olim se prophetis docentibus praebuerat: inter proceres gentis multos, quamquam non omnino alienos a doctrina Iesu, tamen metu incommodorum, quae edictum synedrii affeclis Iesu denuntiarat, impeditos esse, quo minus proferrent ore, quae pectore premerent. Sic quamquam Iesus nulli labori, nulli operae pepercerit, quamquam sine circuitione declararit, quisnam esset, quid sibi vellet, quid detrimenti aut emolumenti repudiantibus aut admittentibus eum impenderet: tamen nec intellectum, nec probatum a multis esse.“ *Morus* Opusc. T. 2. p. 107. τοσαῦτα δὲ αὐτοῦ σημεῖα κ. τ. λ.] *quamquam Iesus tot* (τοσαῦτα 21, 11.) *legationis*

suae documenta (insignia facta) *coram iis dederat*, *fidem tamen ei denegarunt*, eum non agnouerunt legatum diuinum, Messiam.

38. *Ita vt hic euentum haberet Iesaiae prophetae effatum; domine, quis tandem fidem habet institutioni nostrae? cuinam Dei potentia patet?* Affertur locus Ies. 53, 1. ὁ λόγος ὃν εἶπεν Matth. 13, 14. προφητεία Ἡσαΐου ἡ λέγουσα. add. Matth. 4, 14. ἵνα etiam h. l. vt saepius, euentum indicat. Quae Iesaias de sui temporis hominibus dixit, apprime conueniunt huius aetatis hominibus. ἀκοή Hebr. שְׁמוּעָה *auditio*, *audiendi actio*, adhibetur etiam ita, vt significet *id ipsum quod auribus percipitur*, *orationem*, *institutionem*, *doctrinam*, vt Ier. 10, 22. Rom. 10, 16. Gal. 3, 2. vid. *Musgrauius* ad Eurip. Iphig. in Taur. v. 818. et sic h. l. idem est quod κήρυγμα, διδαχή. βραχίων κυρίου, זְרוֹעַ יְהוָה, ex Hebraismo satis noto, *potentia Dei*, vid. Ies. 51, 9. 52, 10. ἀπεκαλύφθη, *reuelatur*, illucescit, quis eam agnoscit? Interrogatio est negantis; nemo fere fidem habet etc.

39. διὰ τοῦτο referri debet ad ea quae v. 38. leguntur. *Propterea*, quoniam Christi institutioni aures non praebebant, potentiam Dei non agnoscebant, insignia facta ipsius non pro diuinis agnoscebant, *propterea* eum non habebant legatum diuinum, Messiam. οὐκ ἠδύναντο, *non poterant*, non est trahendum, vt *Morus* l. c. p. 113. monuit, ad impedimentum diuinitus immissum. „Centies, vtor ipsius verbis, in vita communi ita loquimur, non posse aliquem aliquid facere, quia eius indoles, de qua satis constet, hoc non patiatur.“ Mihi tamen verbum ἠδύναντο h. l. redundare videtur, vt adeo οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν positum sit pro simplici οὐκ ἐπίστευον nempe εἰς αὐτόν, de qua forma loquendi disputaui ad Marc. 6, 5. cf. et supra 7, 7. Neque argutandum est in verbis, quae sequuntur: ὅτι πάλιν εἶπεν Ἡσαΐας, quasi propterea non credere potuerint s. non crediderint, quia hoc praedictum fuerit a Iesaia.

Nam vt iam *Glaſſius* Phil. S. p. 542. monuit, non in praedictione prophetica, ſed in re praedicta h. e. tarditate et contumacia Iudaeorum cauſſa ἀπιςίας quaerenda eſt. Senſus ergo potius eſt: *nam Ieſaias eos ita deſcribit*, quae Ieſaias de popularibus ſuis dixit, ea in eos transferri poſſunt. Vtitur verbis prophetae Iohannes, cum ſimpliciter ſcribere potuiſſet: erant male pertinaces.

40. Locum Ieſ. 6, 10. Iohannes ita attulit, vt eius ſenſum vtcunque exprimeret. In textu Hebraico legitur: (Tu Ieſaia) *obdura iſtius populi animum, eiusque aures aggraua, et oculos hebeta* etc. h. e. *Dathio* interprete, oſtende huic populo, mente eum prorſus eſſe ſtupida, aures grauedine, oculos hebetudine laborare etc. quae enim prophetae tantum annuntiant, ea ſaepe ipſi facere dicuntur, ſiue verbum actionis interdum de annuntiatione eius intelligendum eſt, vid. *Roſenmüllerus* ad Ieſ. l. c. *Storrius* Obſſ. ad Anal. p. 24. et nos ad Hoſ. 6, 5. Alexandrini locum ita expreſſerunt: ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶν αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκάμμυσαν, μήποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, καὶ τῇ καρδίᾳ συνῶσι, καὶ ἐπιςρέψωσι, καὶ ἰάσομαι αὐτούς. Compara Matth. 13, 14 ſs. vbi quoque hic Ieſaiae locus laudatus reperitur. Iam vero quaeritur h. l. quis exoecaverit Iudaeorum oculos, hebetaueritque ſenſum animi? Sunt qui ad verba τετύφλωκεν et πεπώρωκεν ſupplendum putent nomen ὁ Θεός, *Deus excoecauit eorum oculos et obdurauit eorum animum* etc. monent, haec quae de Deo efficiente dicantur, intelligenda eſſe de Deo permittente, vt adeo ſenſus ſit: *Deus paſſus eſt oculos eorum occoecari* etc. vid. *Glaſſius* Phil. S. p. 207. Alii verba ita interpretantur: *praedixit Deus fore vt oculi occoecentur* etc. cum verba actionem declarantia, haud rarenter de praedictione, manifeſtatione eius rei intelligenda ſint, v. *Glaſſius* Phil. S. p. 216 ſq. Sed praeoptanda mihi videtur *Schulzii*, *Mori*, aliorumque ratio, qui ſubaudiendum eſſe cenſent ὁ λαὸς οὗτος, et pro

αὐτῶν legendum praecipiunt αὐτῶν, hoc fenfu: *populus hic occoecauit fuos oculos, obdurauit fuum animum.* Formula autem *occoecare oculos fuos* per metaphoram notat, velle in ignorantia verfari, nolle praeceptorum et infignium Chrifti factorum vim affequi, vno verbo, contumacem effe, vid. ad 9, 39. Haec eadem notio ineft verbo πωροῦσθαι de quo vid. not. ad Marc. 6, 52. ἵνα μὴ ἴδωσι κ. τ. λ.] *vt adeo nihil videant oculis, nihil fentiant animo, non in melius mutentur, neque ego iis mederi,* eos feruare et felices reddere, *poffim.* Conf. not. ad Matth. 13, 15.

41. ταῦτα εἶπεν — αὐτοῦ] *Haec dixit Iefaias, poftquam maieftatem eius viderat, et de ea locutus erat.* Pronomen αὐτοῦ referri debet ad κύριον (f. Θεὸν) v. 38. vnde et in nonnullis codd. h. l. ex interpretamento legitur τοῦ Θεοῦ, in aliis τοῦ Θεοῦ αὐτοῦ. Nempe refpicitur locus Ief. 6, 1 fqq. vbi vates vifionem defcribit, et affirmat, fe vidiffe Iouam in throno fedentem, caterua miniftrorum cinctum, ab eoque iuffum effe, Ifraelitis immorigeris et contumacibus poenas fcelerum grauiffimas denuntiare. Hanc autem notationem temporis, non temere, fed confulto adiecit Iohannes. Voluit nimirum hoc additamento lectores edocere, Iefaiam, quae v. 40. leguntur, non fine numinis admonitu, fed Deo iubente dixiffe, adeoque eo notabiliorem effe hanc populi Iudaici defcriptionem. ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ i. de Dei maieftate locutus erat, eam defcripferat; αὐτοῦ pofitum eft pro τῆς δόξης αὐτοῦ. *Morus* vertit: *et Iudaeos de Deo edocuit,* explicat: Iefaiam expofuiffe nominatim hoc, quod illo ipfo tempore iuffus fuerat exponere, fe miffum effe docendi cauffa, Deum noffe afperos Iudaeorum animos, et improbare, fore item, vt eorum patria vaftaretur, et Deus homines adeo duros et obefos, tandem aliquando fentire cogeret.

42. 43. ὅμως μέντοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων κ. τ. λ.] *nihilominus tamen inter ipfos primores populi multi fidem ha-*

buerunt Iesu (referuntur enim haec verba finita parenthesi ad v. 37), eum legatum diuinum agnouerunt, *sed Pharisaeorum metu*, qui potiorem partem synedrii absoluebant, quorum et magna erat apud populum auctoritas 9, 13. *non publice profitebantur, ne excommunicarentur*, vid. ad 9, 22. ὅμως μέντοι, *attamen, nihilominus tamen*, vt ap. Herodo. 1, 189. ὅμως μέντοι τὴν θερείην πᾶσαν αὐτοῦ ταύτῃ διέτριψαν ἐργαζόμενοι. — 43. ἠγάπησαν γὰρ — τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ] *magis enim cupiebant hominibus quam Deo probari*, fauorem enim hominum praeferebant Dei fauori. δόξα *opinio, sententia de aliquo*, siue bona, siue mala, hinc *fauor, laus*, vid. 5, 41. 44. Rom. 3, 23.

44. 45. Ἰησοῦς δὲ ἔκραξε καὶ εἶπεν] *Iesus autem palam docuerat.* Plerique interpretes opinantur, recitari inde a v. 44. vsque ad v. 50. orationem a Iesu illo tempore habitam, Iesum cum iam discedere vellet, antequam abiret, rursus ad homines illos quibuscum hactenus locutus esset v. 23 sqq. se conuertisse, et quae iam sequuntur alta voce dixisse. Sed diserte notauerat scriptor v. 36. Iesum finito illo colloquio discessisse, nec amplius docendi caussa prodiisse. Parum ergo probabile est v. 44. narrari, Iesum rursus verba facere coepisse ad multitudinem adstantem. Nec idonea ratio afferri poterit, quare scriptor, habitas tunc temporis orationes continuas, suo iudicio πραγματικῶς addito, interpellarit a v. 37 — 44. nec potius iudicium ad finem colloquii distulerit. His de caussis rectissime *Morus* statuit, ea quae v. 44. leguntur, pertinere ad iudicium a Iohanne adiectum, vt summa breuis omnium sermonum, a Iesu per triennium, variis temporibus habitorum, proponatur, eaque proponenda ostendatur, satis declarasse Iesum, quare esset a Iudaeis admittendus, et cum ab iis repudiatus sit, frustra eum repudiatum esse, qui de se, suique aduentus consilio, suaeque doctrinae vtilitate et praestantia, tam crebro atque perspicue eos admonuerit. ἔκραξε λέγων *palam* docuerat, v. ad 1, 15. ὁ πι-

ϛεύων — πέμψαντά με] *qui mihi fidem habet*, qui mihi cum omnino docenti, tum declaranti, quis et qualis ſim, fidem habet, *is non tam mihi habet, quam ei qui me miſit.* οὐ — ἀλλὰ, *non tam — quam* l. *non ſolum — ſed et*, vt ſit omiſſum μόνον et καὶ poſt ἀλλὰ, vid. ad Matth. 10, 20. Marc. 9, 37. *Glaſſius* Philol. S. p. 419 ſs. *L. Boſius* de Ellipſ. Grr. p. 773. ed. *Schaefer.* — 45. *Qui me cognouit, is eum cognouit, qui me miſit*, qui ſpectator inſignium meorum factorum, et auditor doctrinae meae fuit, v. 6, 36. is patris facta vidit 5, 17. 20. 10, 25. 37 ſq. doctrinam patris audiuit 7, 16. de verbo θεωρεῖν vid. not. ad 6, 36. 40. Alii haec verba tantum ad Chriſti doctrinam referunt, vt ſenſus ſit: qui meam doctrinam cognoſcit, is patris doctrinam cognoſcit. Sed priorem interpretationem inprimis etiam v. 37. commendat.

46. 47. Conf. 8, 12. καὶ ἐάν τις μου ἀκούσῃ — οὐ κρίνω αὐτὸν] *quodſi quis me docentem audiuerit, neque tamen meam doctrinam admiſerit, ipſe eum non puniam;* non miſerum reddam, felicitate in regno Meſſiano exſpectanda non excludam. ἐγὼ οὐ non tam ego, non ego auctor ſenſu ſtrictiori damnationis eius haberi poſſum. οὐ γὰρ ἦλθον — τὸν κόσμον] *non enim* in has terras veni, vt homines *punirem*, miſeros redderem, *ſed vt eos idoneos atque participes redderem felicitatis perennis*, vid. not. ad 5, 17. 18. add. 5, 45. 8, 50. Caeterum pro καὶ μὴ πιϛεύσῃ in aliis codd. legitur, καὶ πιϛεύσῃ, in aliis καὶ φυλάξῃ, in pluribus καὶ μὴ φυλάξῃ, quae poſterior lectio vnice vera videtur. Particula enim μὴ, vt retineatur, ipſa orationis ſeries flagitat. Nam, vt bene monuit *Morus* l. c. idem ille, quem v. 48. dicitur ὁ λόγος κρίνειν, eſt is, quem v. 47. dicitur Ieſus οὐ κρίνειν. Referuntur ad ſe: ὁ λόγος iudicat eum, quem ego non iudico. Idem eſt ſubiectum, de quo eodem valet id, quod ei attribuitur, non a Ieſu, ſed a λόγῳ iudicari. Iam ὁ λόγος dicitur κρίνειν τὸν μὴ λαμβάνοντα τὰ ῥήματα, τὸν ἀθετοῦντα Ieſum. Ergo Ieſus οὐ

κρίνει τὸν μὴ πιςεύοντα, ſiue τὸν μὴ Φυλάσσοντα. Sed lectores imperiti et feſtinantes putabant, ſi quis negligens doctrinam diceretur non κρίνεσθαι, hoc repugnare aliis locis, vbi dicuntur κρίνεσθαι a Ieſu, qui eum ſpernunt; adeoque particulam negandi μὴ expungebant. Lectio autem Φυλάξῃ eſt difficilior, et vulgata πιςεύσῃ pro interpretamento habenda. Nam cum vulgo, vtor *Mori* verbis, Φυλάσσειν τὰ ῥήματα intelligatur de his, qui ad praecepta conformant animum vitamque, hoc autem loco non tam de praeceptis vita exſequendis ſermo ſit (etſi non excluditur), quam de admittenda doctrina, quam Deus admitti poſtulat, et vt admittatur proponendam curat; non eſt credibile, ſi Iohannes ſcripſiſſet, καὶ μὴ πιςεύσῃ, quod nullam ambiguitatem habet, aliquem ſubſtituiſſe, καὶ μὴ Φυλάξῃ. Imo, cum μὴ Φυλάσσειν h. l. ſit, non ſuſcipere et tenere: eſt in promtu, quosdam id interpretatos eſſe, et recte, per verba μὴ πιςεύειν.

48 — 50. ὁ ἀθετῶν ἐμὲ κ. τ. λ.] *qui me repudiat, meamque doctrinam non admittit, habet qui ipſum puniat,* miſerumque reddat, *doctrina, quam tradidi, vltimo,* iudicii, *tempore* (6, 39.) *erit cauſſa poenae et miſeriae ipſius.* Similis locus 5, 45. ἀθετεῖν *contemnere, repudiare,* vt Iud. v. 8. κυριότητα ἀθετεῖν, pro qua formula, loco parallelo 2 Petr. 2, 10. legitur: κυριότητα καταΦρονεῖν. Heſychius: ἀθετεῖται — καταΦρονεῖται. — 49. *Non enim meo arbitrio,* a memetipſo excogitata *doceo, ſed qui me miſit pater, mihi dicenda ac docenda mandauit,* vid. 7, 16. 18. *Et ſcio doctrinam ipſius eſſe fontem felicitatis perennis.* ἐντολὴ pro eo quod mandatum eſt, doctrina ipſa. ζωὴ αἰώνιος per metonymiam *cauſſa felicitatis perennis.* ἃ οὖν λαλῶ ἐγὼ κ. τ. λ.] *quaecunque igitur doceo, plane e mandato patris doceo:* 8, 28. καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατήρ μου, ταῦτα λαλῶ. 6, 63. τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, πνεῦμά ἐςι καὶ ζωή ἐςιν. ib. v. 68. ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις.

CAPVT XIII.

1. *Pridie Paſchatis, cum Ieſus noſſet, adeſſe tempus, quo ipſi ex his terris ad patrem redeundum eſſet, quo amore diſcipulos ſuos, quos his in terris relinquebat, ſemper complexus erat, eundem ad finem vsque iis declarauit.* Quae hoc in capite leguntur, eueniſſe, cum Ieſus vltimam coenam h. e. Paſchalem celebraret, qua finita, ſacram coenam inſtituit, neque de alia coena, quae hanc praeceſſerit, ſermonem eſſe, extra omnem dubitationem poſitum eſt. Omnia enim quae h. l. enarrata reperiuntur, conueniunt cum narrationibus reliquorum Euangeliſtarum de illa vltima coena cf. inprimis v. 2. 21. 24 — 26. De ipſa ſacrae coenae inſtitutione nihil memorauit Iohannes, quoniam illius celebratio, cum commentarios ſuos ſcriberet, vbique vſitata et nota erat. Ieſum autem non eodem die, quo reliqui Iudaei, agnum Paſchalem comediſſe, ſed veſpera diei Iouis, adeoque Paſcha Iudaeorum ordinarium vno die anticipaſſe, pluribus defendimus ad Matth. 26, 17. πάσχα, vid. ad Matth. 26, 1. μεταβαίνειν vt Lat. *migrare, diſcedere, abire*, et μετάβασις, frequenter *de morte* adhibentur, vt omnino abeundi et diſcedendi verba, vid. *Kypkius* et *Albertius* ad Matth. 26, 24. Eurip. Alc. v. 379. Heſychius: κατοιχουμένων· νεκρῶν, τεθνεώτων, ἀπελθόντων, ἀποθανόντων. Menander Fragm. v. 303. διοίχεται. v. 40. ἀπῆλθεν. cf. et not. ad Matth. 26, 24. ἀγαπᾶν *amorem declarare, amoris documenta exhibere.* Verba enim Hebraeorum ſaepius habent vim declarandi. Per amoris documentum, quod in hac vltima coena Ieſus diſcipulis exhibuerit, Euangeliſta ipſam actionem ſymbolicam intelligit, de qua paulo poſt ſermo eſt. ἴδιοι Chriſti diſcipuli. εἰς τέλος ſcl. τοῦ βίου, *vsque ad vitae finem.*

2. Pro γενομένου BL. (St. β.) cant. Orig. quater, habent γινομένου, quam lectionem *Michaelis* praefert, et vertit: *cum coena pararetur*. Sed nulla mutatione opus eſt, et vulgaris lectio plurium codicum auctoritate nititur. Hanc autem lectionem, δείπνου γενομένου, alii exprimunt: *coena peracta*. Alii explicant: *cum coena parata eſſet*, atque ſtatuunt, Ieſum *ante coenam*, ante coenae exordium, diſcipulorum pedes lauiſſe; praeceſſiſſe enim pedilauium apud Iudaeos coenam, nec inter coenandum, vel poſt coenam fuiſſe peractum. Quo praeterea tueantur hi interpretes notionem participio γενομένου ſubſtitutam, prouocant ad Tob. 2, 2. ἐγενήθη ἄριστόν μοι, καὶ ἀνέπεσα φαγεῖν, *prandium mihi paratum fuit, et accubui ad edendum*, v. *Kypkius* ad h. l. Sed δείπνου γενομένου eſt id. qd. δείπνου ὄντος (Matth. 26, 6. τοῦ δὲ Ἰησοῦ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ. Marc. 14, 3. καὶ ὄντος αὐτοῦ ἐν Βηθανίᾳ), *cum coena fieret* ſ. *inter coenandum*. Etenim inter epulas ipſas peractam eſſe pedum lotionem, ſatis euidenter docent v. 4. (vbi Ieſus non e lectulo, aut a menſa, ſed *a coena* ſurrexiſſe dicitur: ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου.) et v. 12. ἀναπεσὼν πάλιν. add. v. 26. 27. Neque huic interpretationi obſtat, quod pedilavium apud Iudaeos coenam praeceſſit; ea enim pedum lotio, de qua h. l. ſermo eſt, erat et eſſe debebat plane extraordinaria. Nempe Apoſtoli praeconceptam opinionem fouentes, Ieſum regnum terrenum ſplendidiſſimum inſtituturum eſſe, et ipſi externis honoribus inhiantes, initio coenae Paſchalis quaeſtionem mouerant, quisnam primus dignitate in illo regno futurus eſſet? quisnam ſecundus? Ieſus igitur, qui cum diſcipulis iam accubuerat, ſurgebat, et pedes diſcipulorum, (vid. ad Luc. 7, 38.) lauabat, qua actione ſymbolica peracta, iterum accubuit, et orationem habuit, quae h. l. v. 12 ſqq. legitur et Luc. 22, 24. vbi v. not. τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος — αὐτὸν παραδῷ] *cum iam genius malus Iudae Simonis filio Cariothenſi conſilium ſubieciſſet, Ieſum prodendi*. Verbum βάλλειν ſcl. εἰς νοῦν, apud Graecos inſpirandi, ſuggerendi, notionem obtinere,

exemplis pluribus comprobarunt *Krebſius*, *Kypkius*, *Wetſtenius* et *Elſnerus*, quorum poſterior laudauit hanc in rem locum Plutarchi in Timoleonte p. 237. legitur ibi, in concione, cum de duce in Siciliam mittendo deliberaretur, ab aliquo de plebe, ex improuiſo Timoleontem eſſe nominatum, et hoc diuino quodam inſtinctu eſſe factum: θεοῦ τινος, ὡς ἔοικεν, εἰς νοῦν ἐμβαλόντος τῷ ἀνθρώπῳ, *Deo aliquo hominis animo id ſuggerente.* Xen. Cyr. 1, 6. 13 et 19 τῇ ϛρατιᾷ ſ. τοῖς ϛρατιώταις προθυμίαν ἐμβάλλειν *exercitui alacritatem inſpirare.* Pindar. Olymp. 13, 21. πολλὰ δ' ἐν καρδίαις ἀνδρῶν, ἔβαλον Ὧραι πολυάνθεμοι ἀρχαῖα σοφίσμαθ', *multas vero animis hominum inſpirarunt Horae multum floridae antiquas artes.* Noſtro loco his ipſis verbis: genius malus Iudae hoc conſilium ſubiecit, voluit Iohannes omnino criminis atrocitatem indicare. Similis locus Act. 5, 3. vid. ad Luc. 22, 3. Memoratur autem Iudas, vt appoſite ad h. l. notauit *Morus*, hoc nexu: quamquam Iudas ceperat conſilium Ieſum prodendi, tamen etiam ei diſcipulisque lauit pedes.

3. εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς ὅτι πάντα δέδωκεν αὐτῷ — πρὸς τὸν Θεὸν ὑπάγει] *Ieſus etſi probe ſciret, patrem ipſius poteſtati omnia tradidiſſe, ſe a Deo prodiiſſe, ad eumque rediturum:* iam cogitatione addendum eſt: tamen modeſtia praeiuit diſcipulis. Ea enim quae v. 3. leguntur, adiecit Euangeliſta, vt eo luculentius appareret Chriſti modeſtia, quam diſcipulis ſuis hac ipſa actione ſymbolica commendare volebat, ita, vt ſimul oſtenderet, quomodo animati eſſe deberent ii, qui vellent fieri regni ſui ciues, et quale omnino hoc regnum eſſet, vid. ad v. 2. extr. notata. Iam quod attinet verba ὅτι πάντα δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ εἰς τὰς χεῖρας obſeruandum eſt, neutrum πᾶν ſaepius obtinere vim maſculini, vt 6, 37. 39. coll. v. 40. add. 3, 6. coll. v. 8. et ſic h. l. πάντα poſitum eſſe pro πάντας, *omnes homines;* quam interpretationem ſat euidenter confirmat locus parallelus 17, 2. vbi

legitur: *ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσει αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον.* Senfus ergo eft; quamquam fciebat, Deum ipfi poteftatem conceffiffe in homines omnes, Iudaeos et gentiles, nempe per doctrinam; fe deftinatum effe a patre caput et dominum ampliffimae focietatis religiofae etc. vid. Act. 10, 36. Matth. 28, 18. infra v. 13. *καὶ ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθε* fe a Deo in has terras de coelo miffum effe, vid. ad 3, 13. 31. coll. 1, 1. 2. 14. 6, 62.

4. 5. *De coena furrexit, depofitoque pallio, linteo fumto fe accinxit.* *ἱμάτια pallium*, vid. ad Matth. 17, 2. *λέντιον, linteum*, vox Helleniftarum Latio originem fuam debens, quae etiam in fcriptis Rabbinorum occurrit, qui vtuntur vocabulis לינטיה et לונטית, vid. *Drufius* et *Lud. de Dieu* ad h. l. Clemens Alex. Paedag. 2, 3. pro hac voce, *σάβανον* adhibuit: *καὶ τοὺς πόδας ἔνιπτε αὐτῶν σαβάνῳ περιζωσάμενος.* Erat autem lotio pedum proprie opus feruile 1 Sam. 25, 61. Schemoth rabba fect. 20. fol. 119. *qualis eft confuetudo omnis terrae? Refp. Quisquis emit feruos, vt fe lauent, vngant, veftiant, geftent, et lucem praeferant,* vid. *Lightfootus* et *Schoettgenius* ad h. l. *Stukius* Antiqq. conuiu. 2, 33. p. 247. Petron. Satyr. c. 19. *video* Gitona *cum linteis et ftrigilibus parieti applicitum, triftem confufumque. Scires non libenter feruire.* Plautus Perfa 5, 2. 14. *Locus hic tuus eft, hic accumbe. Ferre aquam pedibus, praebentu, puere?* Suet. Calig. c. 26. *nihilo reuerentior leniorque erga fenatum: quosdam fummis honoribus functos — ad pedes ftare fuccinctos linteo paffus eft.* *εἶτα βάλλει ὕδωρ — διεζωσμένος*] *tunc infufa aqua in peluim, difcipulorum pedes lauare coepit, linteoque quo cinctus erat, abstergere.* *ἤρξατο νίπτειν* pofitum eft pro fimplici *ἔνιψε,* vid. ad Matth. 4, 17. Curt. 3, 5. 14. *eum precari coepere* pro, eum precati funt. add. ib. 4, 9. 13. 8, 14. 35. 10, 8. Verbum *βάλλειν* cum h. l. de re fluida fermo fit, notat, *infundere*, vt Matth. 9, 17. Arrian. Disf. in Epictet. 4, 13.

οἶνον, ἵνα βάλω εἰς τὸν πίθον. Ita etiam Hebraei vtuntur verbo שׁוּט, quod Alexandrini Ezech. 21, 22. vertunt βάλλειν, sed Ex. 24, 6. ἐκχέειν. Denique νιπτὴρ est *peluis, vas in quo pedes lauantur.* Pollux 10, 78. ποδανιπτὴρ, λέβης.

6. 7. Petrus amore et reuerentia in magistrum permotus, nolebat concedere, vt Iesus ipsi pedes lauaret. Interpretes nonnulli suspicati sunt, Iesum primum ad Petrum accessisse, qui adeo, cum nullo alio exemplo iuuaretur, eo fortius restitisset. Sed huic coniecturae non magnopere fauet contextus cf. v. 5. Fortassis et ii, quorum pedes ante Petrum lauerat Iesus, ei reluctati erant, sed non adeo firmiter vt Petrus, aut stupentes ministras magistri manus admiserant. κύριε σύ μου νίπτεις τοὺς πόδας] *magister, tune mihi pedes laues?* verbis sat grauibus admirationem et animi commotionem exprimit; est enim haec interrogatio fortiter negantis. — 7. *Respondit Iesus:* ὃ ἐγὼ ποιῶ, σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι, γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα] verbotenus: *quod ego facio, ignoras adhuc, sed deinceps cognosces.* Sed ipsum lotionis actum Petrus oculis suis videbat, nec ignorare potuit; ergo, ὃ ποιῶ reddi debet: quinam sit huius rei finis, quid hac actione declarare velim, quodnam sit consilium meum. Effectus igitur ponitur pro caussa efficiente, vid. *Glassius* Phil. S. p. 843. ed. *Dath.* μετὰ ταῦτα, *paulo post.* Peracta enim pedum lotione, Iesus ipse rem accuratius explicuit apostolis, inde a v. 13. coll. v. 10.

8. 9. Fortius vero recusare pergebat Petrus: οὐ μὴ νίψῃς τοὺς πόδας μου εἰς τὸν αἰῶνα, *nunquam concedam, vt mihi pedes laues.* οὐ μὴ — εἰς τὸν αἰῶνα, vid. ad 8, 51. Tum vero Iesus: ἐὰν μὴ νίψω σε, οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ] *nisi te lauero, non erit tibi mecum consortium*, te pro meo discipulo, amico, non habebo. ἐὰν μὴ νίψω σε, *si non te lauare potero, si non permittis, vt tibi pedes lauem;* verba enim quae actionem, siue effectum notant, saepius

de facultate, fiue poteftate agendi, interpretanda funt, vid. *Glaſſius* Phil. S. p. 197. 207. *μέρος negotium commune, conſortium, coniunctionem* indicat, vt Apoc. 20, 6. ita *μερὶς* 2 Cor. 6, 15. *τὶς μερὶς πιςῷ μετὰ ἀπίςου.* 2 Sam. 20, 1. vbi in textu Hebraico legitur! אֵין לָנוּ חֵלֶק בְּדָוִיד quae verba Alexandrini reddiderunt: *οὐκ ἔςιν ἡμῖν μερὶς ἐν Δαυίδ.* vid. et *Kypkius* ad h. l. — 9. Haec Chriſti vox animum Petri, qui mirifice magiſtrum ſuum amabat, ita feriebat, vt quo certius ardentiſſimum ſuum amorem declararet, in haec verba erumperet: *magiſter*, ſi tibi ita videtur, ſi hoc modo tibi poſſum amorem meum ſignificare, *non pedes meos tantum, ſed et manus et caput* ſcl. lauato.

10. 11. *Tum Ieſus: qui lotus eſt, ei non opus eſt, vt lauetur, niſi pedibus, ſed eſt purus totus. Et vos quidem puri eſtis, ſed non omnes.* Locus paulo obſcurior, de quo mihi ſic videtur. Ad vocem ὁ λελουμένος ſubintelligi debet *τὰς χεῖρας καὶ τὴν κεφαλήν.* Petrus enim caput et manus commemorauerat. Iudaei ante coenam faciem et manus lauabant, et cibos illotis manibus captos, immundos fieri putabant, vid. not. ad Matth. 15, 2. Marc. 7, 3. 4. Eſt h. l. de coena, et quidem coena Paſchali ſermo. Lauerant diſcipuli, vt ex Ieſu verbis perſpicitur, ante coenam, faciem (vid. Matth. 6, 17.) et manus, pedes autem ante coenam iis non loti fuiſſe videntur. Moris nimirum erat, vt conuiuarum, priusquam accumberent, pedes a ſeruis lauarentur, idque non tantum propterea fiebat, vt pedes a ſordibus purgarentur, vel vt homines itinere aut labore feſſi recrearentur, ſed omnino haec pedum lotio referebatur ad humanitatis officia, et mundorum quoque pedes a ſeruis lauabantur, neque tamen ſemper hoc humanitatis officium conuiuis exhibebatur, vid. not. ad Luc. 7, 44. Sic h. l. Ieſus pedum lotionem ſpectauit atque commemorauit, tanquam humanitatis officium ab hoſpite conviuis praeſtandum. Senſum igitur verborum Ieſu ita con-

ftituendum puto: qui ante coenam faciem et manus Iudaeorum more lauit, is plane mundus eft et cenfetur, nec alia lotione indiget, nonnifi hoc humanitatis officio indiget, vt ipfi pedes a feruo lauentur. Nolo te a fordibus purgare, vel more Iudaeorum mundum reddere, non ergo opus eft, vt tibi caput et manus lauem, volo tibi humanitatis officium praeftare, ita, vt ferui partes ipfe agam. Addit Iefus, fermonem ad reliquos quoque difcipulos dirigens: *καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐςε, ἀλλ' οὐχὶ πάντες* (fcl. *καθαροί ἐςε*), *etiam vos eftis mundi, neque tamen omnes mundi eftis;* vos obferuaftis ritum Iudaicum, et mundi eftis atque cenfemini; cum autem adiiceret Iefus: *neque tamen omnes* np. mundi eftis, difcipuli, qui faciem et manus lauerant, quosque Iefus propterea mundos declararat, probe intelligere poterant, magiftrum nomen *καθαρὸς* ambigue vfurpaffe. Volebat nimirum Iefus verbis illis paulo obfcurioribus Iudae animum ferire et commouere, vt ad fe rediret. Vnde et Euangelifta v. 11. addit: *ᾔδει γὰρ τὸν παραδιδόντα αὐτὸν, διὰ τοῦτο εἶπεν· οὐχὶ πάντες καθαροί ἐςε*, *probe enim norat eum, qui ipfum proditurus effet, ideo dixit, non omnes eftis mundi.* Vocabulum *καθαρὸς* adhiberi folet, tam de puritate interna animi, ita, vt hominem probum, rectae indolis, integrum vitae fcelerisque purum fignificet, quam de puritate externa corporis. Ac priori quidem fenfu, *καθαρὸς* faepius recurrit, vnde in verfione feptuagintauirali refpondet nomini טוב 2 Chron. 3, 5. 8. et תם Gen. 20, 5. 6. interdum additur *καρδίᾳ*, vt Matth. 5, 8. *συνειδήσει* 1 Tim. 3, 9. add. Pf. 24, 4. Alii verba huius loci hunc in modum explanant: in balneo lotus, nonnifi pedum *lauacro opus habet, quod reliquum corpus attinet, purus eft* i. e. quemadmodum is, qui in balneo lotus, ad conuiuium accedit, in hofpitis domo nonnifi pedes lauat, quoniam omne corpus iam antea lauit, ita fufficiat quoque, me tibi pedes lauiffe. Nempe apud Graecos et Romanos, ad conuiuium vocati, vt ad h. l. notarunt et exemplis pluribus comprobarunt *Wetftenius* et *Elfne-*

rus, folebant prius in balneo lauari: in domo vero conuiuatoris nonnifi pedes, quibus in via puluis aut fordes adhaeferant, a feruis abluebantur; atque hunc morem Iefum h. l. refpexiffe interpretes illi exiftimant. Sed probari nequit, Iudaeos antequam ad conuiuium accederent, aut agnum Pafchalem comederent, corpus aquis immerfiffe, neque hac interpretatione admiffa, Chrifti fermo accurate refponderet Petri precibus. Omitto alias contortas loci expofitiones a *Wolfio*, *Rufio* et *Koechero* ad h. l. allatas.

12—15. *Cum ergo pedes eorum lauiffet, recepto pallio, denuo accubuit, eosque his verbis allocutus eft: Accipite cauffam* (v. 7.), *ob quam vobis pedes lauerim. Vos me magiftrum et dominum falutatis, et recte facitis, etenim fum. Quodfi ergo ego, dominus et magifter, vobis pedes laui, debetis quoque vobis inuicem pedes lauare.* ἀναπεσὼν vid. ad Ioh. 6, 10. Φωνεῖν *falutare* Horat. A. P. 87. *poeta falutor.* Curt. 7, 1. 6. *primus Alexandrum regem falutarat.* 7, 11. 23. *Iouis filium fe falutari iuffit.* ὁ διδάσκαλος, ὁ κύριος, מָרִאי, רַבִּי, vocabula idem valentia, vid. ad Matth. 8, 2. et nominatiui h. l. vim vocatiuorum obtinent, vt faepius, vid. ad Marc. 5, 41. Difcipulos autem apud Hebraeos, magiftrum, nunquam nomine proprio, fed femper compellaffe, *magifter*, *domine*, docuit *Schoettgenius* ad h. l. καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας] non effe haec verba nimis vrgenda, non proprio fenfu capienda, nec Apoftolos ea ita intellexiffe, vel exinde patet, quoniam hic ritus, neque ab Apoftolis, neque a chriftianis illorum temporum obferuatus vel praefcriptus eft. Neque contrarium docet locus 1 Tim. 5, 10. nam nec ibi verba εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψεν funt nimis premenda, refpicitur ritus, in vita communi tunc temporis vfitatus, quo mulieres pedibus hofpitum aquam praebebant, et indicatur his verbis omnino fummum hofpitalitatis ftudium. Eft ergo h. l. coll. v. 16. fpecies pro genere, lotio pedum commemo-

rata, pro quibuscunque officiis, etiam iis, quae vilia esse videntur; atque Iesus omnino voluit his verbis, vt ipsa pedilauii actione symbolica, ab ipso morti proximo instituta, discipulos suos cohortari, vt modesti, et ab omni fastu alieni essent, neque inter eos esset contentio de loco et dignitate, sed potius cogitarent, se esse omnes dignitate aequales, vt sibi inuicem amoris et humanitatis officia sine discrimine praestarent. Hic sensus exprimitur verbis v. 15. ὑπόδειγμα γὰρ ἔδωκα ὑμῖν κ. τ. λ., *exemplum vobis dedi, vt, quemadmodum ego vobis feci, vos quoque faciatis.* ὑπόδειγμα exemplum, quod vel ad imitandum, vel ad deterrendum proponitur; priori significatu h. l. 2 Macc. 6, 28. 31. Sir. 44, 15. posteriori Hebr. 4, 11. legitur.

16. 17. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων κ. τ. λ.] *affirmo vobis ministrum non esse maiorem domino, neque legatum eo, qui ipsum miserit.* Prouerbium satis tunc temporis tritum, vid. Matth. 10, 24. Luc. 6, 40. Ioh. 15, 20. cuius sensus h. l. est: non decet vos ambire honores et externum spectare splendorem, sed meo exemplo modestiae studiosi esse, et alter alteri officia humanitatis atque amoris mutui praestare debetis. ἀπόστολος *legatus*, ὁ ἀπεσταλμένος Thom. Mag., vt 2 Cor. 8, 23. Hebr. 3, 1. εἰ ταῦτα οἴδατε — αὐτά] *haec cum* a me educti *sciatis*, nempe quae v. 14 — 16. praecesserunt, *beati eritis eadem obseruando.* Seneca ep. 75. *non est beatus qui scit illa, sed qui facit.* εἰ *cum*, vid. ad Matth. 22, 45.

18. οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω] scl. ταῦτα *haec non de vobis omnibus dico.* Concise dictum pro, non de vobis omnibus affirmare possum, vos haec praecepta mea obseruando beatos fore, vos exemplum meum imitaturos esse, et ita beatos fore. *Surenhusius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 369. *Rusius*, alii, respexisse Iesum putant verba v. 10. καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε κ. τ. λ. Durius. ἐγὼ οἶδα οὓς ἐξελεξάμην, *bene noui* discipulos *quos mihi elegerim*, noui eorum animi indolem, et scio esse inter eos vnum, qui

admonitiones meas ad se pertinere non putet. ἀλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· ὁ τρώγων — αὐτοῦ] *sed (vt et de me valeat scripturae effatum), conuictor meus calcem aduersus me tollit.* Plerique post ἀλλὰ subintelligunt: *hoc euenit*, τοῦτο γέγονεν vid. Matth. 21, 4. Ioh. 15, 25. Sed praeferenda videtur *Semleri* ratio, qui verba: ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, parentheseos nota a reliquis separanda censet; hac interpretatione admissa, non necesse est, vt de ellipsi cogitemus. Verba autem ipsa depromta sunt e Ps. 41, 10. vbi in textu Hebraico legitur: אוֹכֵל לַחְמִי הִגְדִּיל עָלַי עָקֵב. Alexandrini interpretes ibi habent: ὁ ἐσθίων ἄρτους μου ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν. Sermo ibi est de proditione Ahitophelis, ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον conuictor i. *amicus, familiaris meus.* Praecessit enim Psalmi l. c. אִישׁ שְׁלוֹמִי h. e. *amicus meus* v. ibi *Rosenmüllerus.* ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ vitae meae insidias struit, me opprimere studet. Metaphora petita est a luctantibus, qui supposito pede alterum euertunt et supplantant v. *Rosenmüllerus* ad Psalmi l. c. et *Schleusneri* Lex. sub v. πτέρνα.

19. ἀπ' ἄρτι λέγω ὑμῖν — ὅτι ἐγώ εἰμι] *hoc nunc vobis praedico, ut cum euenerit, credatis me illum esse*, nempe, quem me saepius professus sum, legatum diuinum, Messiam v. 8, 24. ἀπ' ἄρτι id. qd. νῦν 14, 29. v. *Gatackeri* Miscell. c. 17. πρὸ τοῦ γενέσθαι quae de proditione familiaris mei dixi. γενέσθαι positum esse pro γενήσεσθαι, aoristo secundo vim futuri inducente ad h. l. monuit *Münthius*, atque e Diodoro Siculo similes locos attulit. ἵνα πιστεύσητε *vt mihi fidem habere pergatis*, vt huius praedictionis meae recordemini, ne offendamini nec a me descifcatis, ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε Ioh. 16, 1. Verba interdum ita ponuntur, vt *de continuatione* rei significatae intelligenda sint. v. *Glassius* Phil. S. p. 193 sq. Alii verba ἵνα πιστεύσητε interpretantur: vt in fide confirmemini, vt vbi euenerint, quae praedixi, hoc praescientiae meae documento, quod exhibui, fides vestra in me Messiam con-

firmetur. De fidei confirmatione πιςεύειν adhibitum legitur 2, 11. 11, 15.

20. 21. ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν· ὁ λαμβάνων κ. τ. λ.] *hoc vobis affirmo, qui receperit, quem ego mittam, me ipfum, qui me receperit, fimul et eum qui me legauit, recipere.* Haec eadem fententia legitur quoque Matth. 10, 40. Luc. 9, 48. H. l. autem hanc fententiam, neque cum ante dictis, neque cum verbis quae proxime fequuntur: ταῦτα εἰπὼν, ἐταράχθη τῷ πνεύματι, fatis accurate cohaerere, certiffimum effe arbitror. Fuerunt tamen qui varia ratione v. 20. verba cum antegreffis connectere tentarent. Haud pauci putarunt, Iefum his verbis confolari voluiffe difcipulos: nolite propterea animum abiicere, vobis affirmo, qui me receperit etc. Sed quam parum apta fuiffet haec difcipulos confolandi ratio: nolite folliciti effe de familiaris mei perfidia, non deerunt, qui vos hofpitio fint excepturi, vos beneficiis ornaturi! *Morus* et *Rofenmüllerus* orationis cohaerentiam ita conftituunt: cum Iudas me prodet, cum veftra vita erit hoc modo fpreta et humiliata, nolite fcandalizari. Non omnes homines vos fpernent, humiliabunt aut depriment, erunt etiam qui vos excipiant, et hos qui vos fuscipient, praemiis ornabo. Sed calamitatum ab Apoftolis perferendarum in antegreffis nulla mentio facta erat. *Semlerus:* quicunque e vobis vel ifto perfidiae exemplo fic vtentur, vt eo ftudiofius impofitam ipfis a me prouinciam procurare velint, gaudebunt omnes pari hoc honore, vt meum quafi locum expleant. *Meifnerus* in *Rehkopfii Prediger-Journal für Sachfen* J. 1805. p. 31 fqq. praeeunte *Mofhemio (Erklg. d. Ev. Ioh.* 1777.) ftatuit, hunc verfum cum v. 17. accuratius cohaerere, verba autem v. 18. et 19. in parenthefi dicta effe; orationem ita connectit: fi, quae vobis praecepi, obferuatis, fi modeftiae ftudiofi eftis, vanis honoribus non inhiatis, eritis difcipuli mei hoc nomine digni, mihi et Deo fimiles, et

praemia fidei atque virtutis veſtrae reportabitis; hanc ſententiam ineſſe ait verbis: qui vos recipit, me quaſi ipſum et Deum recipit. Alii aliter; v. *Langius* in *Gableri Neueſt. theol. Journal* B. 4. p. 109 ſqq. Hae vero omnes, hunc v. 20. cum iis quae praeceſſerunt copulandi rationes, ut et aliae, quas breuitatis cauſſa praetereo, mihi nimis artificioſae et parum aptae videntur. Viderunt hoc etiam alii, qui adeo cenſuerunt, *vel*, Ieſum tunc temporis plura locutum eſſe, Iohannem autem ſummam tantum orationis illius attuliſſe, *vel*, Iohannem a Ieſu alio tempore dicta huic ipſius orationi, non ſatis apte tamen, inſeruiſſe. Sic *Langius* l. c. *Schuſterus* in *Eichhornii Allgem. Biblioth. d. bibl. Literatur* B. 10. p. 100. Sed vt iam *Gerhardus* in Harmon. c. 170. T. 2. P. 2. p. 449. notauit: „non eſt veriſimile, Euangeliſtam in accurata illa vltimae coenae et valedictorii ſermonis Chriſti deſcriptione vel *miſcellanea conſarcinare*, vel *heterogenea* immiſcere voluiſſe.“ Itaque ſuſpicor, ſententiam, quam v. 20. continet, primo ab aliena manu ad verba v. 16. οὐδὲ ἀπόστολος κ. τ. λ. in margine enotatam fuiſſe, librarios vero, qui viderent eam non ſatis cohaerere cum verbis v. 16. neque tamen omittendam putarent, eam, finita v. 19. oratione Chriſti, adſcripſiſſe. Leguntur quidem haec v. 20. verba in omnibus qui ad noſtra tempora peruenerunt codicibus, ſed ſatis conſtat, nonnunquam omnes libros ſcriptos in falſa lectione et interpolationibus conſentire. vid. ad Marc. 1, 27. 15, 25. Luc. 2, 2. *Fiſcherus* ad Theoph. Char. p. 7. Omiſſo etiam v. 20. omnia optime cohaerent. — 21. ἐταράχθη, *vehementer animo commotus*, triſtitia affectus eſt; vultus ipſius vehementiorem animi commotionem atque triſtitiam prodebat v. ad 11, 33. Ieſus, qui de amici perfidia conqueſtus erat, cum videret, Iudam his ſermonibus non commoueri, dolore preſſus, orationem abrumpebat, paulo poſt tamen, quo fortius feriret hominis improbi animum, pergebat: ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν κ. τ. λ. *mihi credite vnus veſtrum, me inimicis prodet*; atque ita diſertis verbis enun-

tiabat, quod modo obſcurius ſignificarat. *ἐμαρτύρησε palam, libere profitebatur*, v. 4, 44. alii explicant: triſtitiam declarabat verbis his.

22 — 24. *ἀπορούμενοι περὶ τίνος λέγει incerti de quonam* proditore futuro *loqueretur*. *ἀπορεῖσθαι* adhibetur de iis, qui incerti, dubii ſunt, qui neſciunt, quid ipſis dicendum aut agendum ſit, v. Act. 25, 20. Gal. 5, 20. Heſychius: *ἀπορία· ἀγνωσία*. — 23. *ἦν δὲ ἀνακείμενος — τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ*] *vnus diſcipulorum in Ieſu ſinu recumbebat* i. ei proximus accumbebat, vid. not. ad 1, 18. et *Kypkius* ad h. l. *ἐν τῷ κόλπῳ* id. qd. infra 21, 20. *ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ*. *ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, quem Ieſus* prae caeteris *diligebat*. Intelligitur Iohannes, qui nomen ſuum, modeſtia ac verecundia quadam ductus, ſupprimere ſolet, v. 20, 2. 21, 7. 20. — 24. *Huic Petrus nutu ſignificabat, vt iſtius nomen ex Ieſu percontaretur*; vt poſt coenam a Iohanne diſceret. *νεύειν nutum dare*, v. ad Luc. 1, 22.

25. *ἐπιπεσὼν δὲ ἐκεῖνος — ἐστιν*] *itaque ille capite ad pectus Ieſu reclinato, eum interrogauit: magiſter, quisnam eſt?* *ἐπιπεσὼν* propius ſe ad pectus et aures Ieſu admouens. *ἐπιπίπτειν inclinare, ſe admouere*, Herodi. 1, 19. *εὐθέως δὲ κάρος ἐπέπεσεν αὐτῷ· εἰς ὕπνον δὲ καθελκόμενος, ὑπὸ καμάτων πάσχειν οἰηθεὶς ἀνεπαύσατο, ſtatim autem caput eius ſe inclinauit, et in ſomnum prolapſus, cum ex labore id accidiſſe opinaretur, quieti ſe tradidit*. Caeterum ſubmiſſiori voce Iohannem Ieſum interrogaſſe, et Ieſum itidem ſubmiſſa voce reſpondiſſe, narrationis ſeries docet, coll. v. 28. 29. add. not. ad Matth. 26, 23.

26. *Reſpondit Ieſus: ille cui intinctam patinae offam porrigam. Tum offam intinctam Iudae Cariothenſi porrigit.* *Ψωμίον* non tantum de *fruſtulo panis* adhibetur (et ſic h. l. Vulg. Syrus et Arabs hoc vocabulum intellexerunt, ſed et *omnis generis eſculentorum fruſta*, ſiue *buccellas* deſignat. Schol. Hom. Odyſſ. *ι*, 374. *ψωμοί· σάρκες, μέλη*. In

verſione Alexandrina Iob. 22, 7. ψωμὸς reſpondet Hebr. לחם *panis*. Suidas: ψωμός· ὁ ἄρτος. add. Pollux 6, 33. Euſtath. ad Odyſ. *ι*. p. 1635. 26. Etiam verbum ψωμίζειν quo Alexandrini interpretes expreſſerunt Hebraicum האכיל Num. 11, 4. 18. Deut. 8, 3. 16. Prou. 25, 21. notat omnino: *veſcendum, cibum praebere, nutrire*. Heſychius: ψωμιεῖ· τρέφει. Caeterum Ieſum, cum offam intinctam Iudae porrigeret, nil noui et inſoliti feciſſe, vel exinde patet, quoniam diſcipuli rem non demirabantur, coll. etiam v. 28. Nempe quae h. l. leguntur, haud dubie euenerunt in fine coenae Paſchalis. Etenim vt v. 30. legitur, Iudas ſumta offa, confeſtim abiit; inſolitum autem erat, ante coenam Paſchalem peractam diſcedere, adeoque diſceſſus Iudae hac coena nondum peracta, ad coëmenda neceſſaria v. 29. vehementer offendiſſet diſcipulos reliquos. Sed eius diſceſſum diſcipulis offenſioni fuiſſe, non memoratur. Erat autem in more poſitum, vt, finita coena Paſchali, quilibet adhuc offam agni Paſchalis de carne reſiduo comederet; *exinde vero nemo quicquam cibi guſtaret omnino*, v. *Lightfootus* ad Matth. 26, 26. p. 476. atque de hac offa, iuſculo agni Paſchalis intincta, h. l. ſermonem eſſe arbitror. Ieſus, qui patrisfamilias perſonam agebat, offam agni Paſchalis ſingulis porrigebat, et cum Iohannes eum interrogaret, vel initium faciebat a Iuda proditore, vel in porrigendis ψωμίοις ad eum ordine deuenerat. Vocabulum ψωμίον de omnis generis ciborum fruſtis dici, ſupra notatum eſt. Iudas Ieſu proxime accumbens, vt videtur, Iohannis interrogationem forte audierat, aut conſcientia ipſum monente ſuſpicabatur de ſe agi. Quare, accepta offa, Ieſum ſubmiſſa voce interrogabat: μήτι ἐγώ εἰμι, ῥαββί; et Ieſus eodem modo reſpondebat: σὺ εἶπας, tu es, v. Matth. 26, 25. ſed clara voce adiiciebat verba haec: ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον.

27. Cum Iudas ſuſpicaretur, conatus ſuos a Ieſu Iohanni eſſe detectos, per quem facile res omnis reliquis apo-

ftolis innotefcere poffet, atque Iefus ipfi affirmaffet, fe eum effe, qui magiftrum proditurus effet: ira incenfus, in propofito deteftando fe obfirmabat; hoc fibi volunt verba: τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ Σατανᾶς, quae quidem proprie, fi fenfum fpectamus, notant: Iudas nefarium confilium cepit Iefum prodendi, fed cum iam v. 2. haec ipfa fententia expreffa fit verbis his: τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν κ. τ. λ. per fe intelligitur h. l. verbis τότε εἰσῆλθεν ε. ε. ὁ Σ. fcriptorem fignificare voluiffe: Iudam animum fuum obfirmaffe, eum confilium peffimum, iam ante captum, perficere, nunc certo conftituiffe. ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον] *quod facere vis f. conftituifti* (vid. ad 1, 9.) *quam primum perfice.* τάχιον comparatiuus pro fuperlatiuo, vt Hebr. 13, 19. 1 Tim. 3, 14. alia huius enallages exempla vid. ap. *Fifcherum* Animaduu. ad Weller. Vol. 2. p. 149. Vol. 3. P. 1. p. 326. Verba autem ποίησον τάχιον, non funt imperantis; fed, vt iam recte iudicauit Chryfoftomus, permittentis, disfuadentis, reprehendentis. Nec imperatiuum femper praeceptionem, fed haud rarenter permiffionem indicare, exemplis pluribus comprobarunt *Glaffius* Phil. S. p. 287. *Raphelius* Obff. Polybb. ad h. l. *Mofchius* in *Leidensgefch.* p. 147. Caeterum formula ipfa ὃ ποιεῖς ποίησον, neque fcriptoribus exteris inufitata eft. Martial. 1, 47. 2. *fac fi facis.* Plaut. Epidic. 2, 2. 12. *age fi quid agis.* Seneca de benefic. c. 5, *fac fi quid facis.* Arrian. Epictet. 3, 23. Theocrit. Idyl. 5, 78. f. vid. *Raphelius*, *Albertius* et *Wetftenius* ad h. l.

28. 29. *Quo haec Iefu verba tenderent, nemo conuiuarum intelligebat,* praeter Iohannem. γλωσσόκομον vid. ad 12, 6. Iefus, qui mortem fuam inftantem praeuidebat, cum Sadducaeis eorumque fectatoribus Pafcha Iudaeorum ordinarium vno die anticiparat, v. ad Matth. 26, 17. coenam Pafchalem apparari iufferat, fed de comparandis iis, quae ad fequentes dies feftos neceffaria effent, minus follicitus fuerat. Difcipulis quidem fuis aperuerat, fe ab vno

ex eorum collegio proditum iri, neutiquam tamen illi putabant, proditorem illa ipsa nocte confilium fuum exfecuturum esse, neque omnino Christum moriturum esse credebant. Cum ergo Iesus Iudae dixisset: ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχιον, et ille discessisset, existimabant, Iesum Iudae, qui aerarium commune curaret, mandasse, vt emeret, quibus per dies festos opus esset, aut egenis aliquid distribueret. Praeterea νὺξ intelligi debet de noctis initio, nam qui sequuntur sermones, in multam noctem protracti sunt.

31. 32. Particula οὖν, quae in libris haud paucis deest, a grammaticis adiecta videtur. Verba ὅτε ἐξῆλθε, male ac perperam versiones nonnullae antecedentibus iungunt. νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς — αὐτῷ] *iam filius hominis illustrabitur, et Deus per eum.* ἐδοξάσθη praeteritum, vt vocant, propheticum, quo designatur res proxime, vel certissime euentura, v. ad 11. 41. *Storrius* üb. d. Zweck der Evang. Gesch. Ioh. p. 189 sq. 428. Sic infra ἐβλήθη et ἐξηράνθη 15, 6. ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον 16, 33. sequitur et h. l. v. 32. δοξάσει αὐτόν. Sensus autem horum verborum est: mors mea breui secutura, hanc vim habebit, vt doctrina diuina latius propagetur, numerus cultorum Dei augeatur, Dei maiestas agnoscatur et celebretur, et vt ego perueniam ad vsuram dignitatis et felicitatis summae et maximae. vid. not. ad 12, 23. 28. ἐν *per* vt Matth. 9, 34. Act. 4. 9. v. *Fischerus* Animaduu. ad Weller. Vol. 3. P. 2. p. 140. *Bielii* Thes. h. v. — 32. *Cum Deus per illum illustretur, Deus etiam eum illustrabit*, ad summam dignitatem et beatitatem euehet, *sane* l. *et breui quidem eum illustrabit.* ἐν ἑαυτῷ *per semet ipsum*, redundat, et additum est, quoniam praecessit ἐν αὐτῷ, vt recte iudicauit *Heumanus* ad h. l. εὐθὺς *breui, mox*, v. ad Matth. 13, 5.

33. τεκνία, *o mei, carissimi*, vocabulum blandientis, quo non solum discipuli, vt h. l. v. ad Matth. 12, 27. sed et ii compellabantur, quos paterno amore aliquis persequebatur, v. Gal. 4, 19. 1 Ioh. 2, 1. μίκρον scl. διάστημα

χρόνον per breue adhuc tempus. εἰμὶ pro ἔσομαι vt 17, 11. al. ζητήσετέ με ardenter me defiderabitis, mea confuetudine frui cupietis, Luc. 17, 22. καὶ καθὼς εἶπον τοῖς Ἰουδαίοις, *fed ficuti Iudaeis dixi*, v. 7, 34. 8, 21. 24. alio tamen fenfu. Bene *Knappius* Opufcc. p. 307. Quae tunc fubiunxerat: *fed non inuenietis me*, itemque, *et contumacia veftra vobis exitium afferet*, ea nunc confulto omittit, non tantum propterea, quod hi auditores a contumacia, quam Iudaeis exprobrarat, alieniffimi erant, fed etiam ideo, vt eos poft difceffum fuum meliore loco futuros effe doceat. ὅπου ὑπάγω ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν, *quo ego vadam, me fequi non poteritis*, nempe, iam, nunc temporis, non iam mecum mori poteftis, coll. 14, 2 fq. Subaudiendum νῦν, quod v. 36. additum legitur. καὶ ὑμῖν λέγω ἄρτι, *ita nunc vobis idem fignifico.* καὶ id. qd. οὕτως, vid. ad Marc. 3, 26. add. Matth. 6, 10. Act. 7, 51.

34. ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν κ. τ. λ.] *nouum praeceptum vobis do, vt vos inuicem ametis, et quidem ita ametis, vt ego vos amaui.* Diuerfae funt interpretum de hoc loco fententiae, vid. *Lampium*, *Wolfium* et *Koecherum* ad h. l. Quaefiuerunt nimirum, de quonam amore Iefus verba fecerit? quibusnam hoc praeceptum dederit? et quonam fenfu illud, ἐντολὴν καινὴν, *nouum praeceptum* appellauerit? Ac de illo quidem praecepto, quod iam Mofes dedit Leuit. 19, 18. de amore proximi, quod, Chrifto interprete, homines omnes, ipfos etiam hoftes fpectat, vid. Matth. 5, 43 fs. 19, 19. 22, 37 fq. h. l. non poteft effe fermo, fed praeceptum h. l. memoratum, vnice Chrifti difcipulos, fectatores eius genuinos, eorumque caritatem mutuam fpectat, vid. *Knappius* Opufcc. p. 369 fs. Etenim in omnibus Chrifti fermonibus apud Iohannem c. 13. et 15. qui primam huius praecepti de mutua caritate mentionem faciunt, omnis oratio ad eos vnice dirigitur, quos Iefus τοὺς φίλους, τεκνία, ἰδίους 15, 14—16. 13, 33. 1. fectatores fuos genui-

nos nuncupat, et h. l. v. 35. iidem nominantur μαθηταὶ αὐτοῦ, atque commendatur iis τὸ ἀγαπᾷν ἀλλήλους. Ipſi quoque Apoſtoli hoc Chriſti praeceptum, de mutua et fraterna caritate, cuius omnes genuini ſectatores Chriſti ſtudioſi eſſe debeant, interpretati ſunt. In literis enim Petri et Pauli φιλαδελφία et ἀγάπη εἰς ἀλλήλους promiſcue dicuntur, vid. 1 Petr. 1, 22. 1 Theſſ. 4, 9. 2 Theſſ. 1, 3. Gal. 6, 2. et 2 Petr. 1, 7. fraternae caritati, opponitur ἡ ἀγάπη amor communis, qui latius patet, et de omnibus hominibus cuiusuis loci et ordinis bene mereri ſtudet. Sic quoque 1 Theſſ. 3, 12. ἀγάπη εἰς ἀλλήλους et εἰς πάντας diſcernitur, et vtraque chriſtianis commendatur, vt 2 Petr. 1, 7. Atque vel ex his ipſis locis, quos modo laudauimus, ſctis euidenter patet, praeceptum de caritate mutua, quod h. l. legitur, Chriſtum omnibus omnium temporum chriſtianis, non ſolis Apoſtolis dediſſe, vt ex recentioribus interpretibus, praeter alios, ſtatuerunt *Heumanus* (quem copioſius refutauit *Kraſtius* Obſſ. Sacrr. Faſc. 5. p. 163 ſqq.), *Michaelis*, *Semlerus*, et *Starkius* in Commentar. in Eu. Ioh. c. 13 — 17. p. 14. cui ſententiae et alii loci obſtant; nempe 1 Ioh. 3, 11. 16. 23. 4, 23. 2 Ioh. 5. quibus in locis Iohannes hanc Chriſti praeceptionem iisdem fere verbis repetit, et omnibus chriſtianis obſeruandam commendat. add. not. infra ad v. 35. 15, 12 ſqq. 17. 18. 14, 21. Praeceptum autem ipſum h. l. memoratum, vt recte animaduertit *Knappius* l. c. non tantum continetur verbis his: ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, ſed ad illud referenda quoque ſunt vltima verſus verba: καθὼς ἠγάπησα κ. τ. λ. (quae ita iungenda ſunt: ἵνα καθὼς ἠγαπ. ὑμᾶς, καὶ ὑμ. ἀγ. ἀλλήλους) quibus non tantum repetitio, ſed et vberior expoſitio ſuperioris ſententiae ἵνα ἀγ. ἀλληλ. ineſt. Dum autem Chriſtus ſuum exemplum in amando imitandum proponit, amorem plane eximium, puriſſimum, perfectiſſimum, cultoribus ſuis commendat, eosque iubet, vt ſi res ita tulerit, promti paratique ſint ad mortem pro fratribus oppetendam. Nam 15, 13. legitur: μείζονα ταύτης ἀγάπης οὐδεὶς ἔχει,

ἵνα τις τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ· et ita Apostolos quoque hanc Christi praeceptionem intellexisse, docent loci 1 Ioh. 3, 16. Eph. 5, 2. Erat vero etiam hoc Christi praeceptum vere *nouum*, *nondum ab eo datum*; nam non dicit: diligite vos inuicem, vt se ipsum quisque diligit (his verbis si vsus fuisset, ex aliis eius sermonibus Matth. 5, 43 sq. 19, 19. 22, 37 sqq. atque ex ipsa lege Mosaica repetitum videri deberet): sed hoc dicit, amate vos ita, vt me imitemini, qui vsque ad mortem vos amaui, qui paratus sum sanguinem salutis vestrae caussa profundere, simili ergo vos inuicem amore prosequamini, parati sitis, re et necessitate postulante, mortem pro salute fratrum oppetere Ioh. 10, 12. 15, 12. 13. 1 Ioh. 3, 16. Ab ea tamen interpretatione verborum *ἐντολὴ καινὴ*, quam proposuimus, quamque plurimi interpretum, cum veterum, tum recentiorum, tuiti sunt, haud pauci recesserunt, ita, vt vocabulo *καινὴ* aliam, minus vsitatam significationem tribuerent. Ac *Suicerus* quidem, *Hackspanius*, *Hammondus*, *Wolfius*, alii, *ἐντολὴ καινὴ* de *praecepto praestantissimo* interpretati sunt. Laudarunt hanc in rem Ps. 33, 3. vbi שִׁיר חָדָשׁ reddunt: *carmen eximium*. add. Ps. 96, 1. Iudd. 5, 8. Apoc. 5, 9. *ᾠδὴ καινή*. Virg. Ecl. 3, 86. *Pollio et ipse facit noua carmina.* Sed vt *Knappius* l. c. p. 383. monuit: quae afferuntur exempla, vt doceatur, *nouum* pro *eximio* dici posse, ea ex alio sunt genere. Etenim non omnia, quaecunque suo in genere excellunt, continuo noua appellari possunt; nec quaeuis carmina, quae caeteris praestant, *noua* per se dicuntur, sed quae recens condita sunt, incognita antehac, inusitata, nemini ante tentata, nunquam ante facta. *Heumanus*, post *Gillium* Anglum, *ἐντολὴ καινὴ* explicuit: *mandatum nouissimum, vltimum,* quod Iesus morti proximus discipulis dederit, voluntas morituri vltima, et varii generis locos attulit, quibus probaret *ἐντολὴ* et *ἐντέλλεσθαι* de mandatis morti proximorum vsurpari. Sed *ἐντολὴ* cum in aliis colloquiis Iesu, tum inprimis in his sermonibus eius inde a

c. 13. si discipuli respiciuntur, simpliciter *praecepta* notat v. 14, 15. 21. 15, 10. 14. et Iohannes in epp. hoc Christi effatum commemorans, eo ipso significatu vocabulum ἐντολὴ adhibuit, vnde etiam illud commutauit cum voce ἀγγελία 1 ep. 3, 11. *Boltenius* statuit: interpretem Iohannis Graecum, nomen Syriacum ܠܘܬܪܝܢ (חרתאית) *rursus, denuo*, minus accurate expressisse vocabulo καινὴν, quod adeo positum existimandum sit pro καινῶς, *denuo hoc vobis praecipio, vt vos amore mutuo amplectamini.* Alii formam ἐντολὴ καινὴ interpretati sunt: *praeceptum aliud*, respectu nimirum habito ad pedilauium v. 14. 15. vt Exod. 1, 8. *surrexit rex nouus* i. alius. His vero interpretationibus omnibus facile supersedere possumus, cum nulla idonea ratio adsit, quae nos a vulgari interpretatione et proprio vocabuli καινὴ significatu recedere cogat, cumque Iohannes ipse verba Christi ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, ita explicuerit 1 ep. 2, 8. coll. v. 7. vt vim vocabuli καινὴ propriam secutus sit, vid. ad 1 ep. 2, 8. interpp. et *Knappium* Opuscc. p. 386 sq. Itaque ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν est id. qd. ἐντολὴν νῦν δίδωμι ὑμῖν, ἣν οὔπω εἴχετε, vel, ἣν οὐκ εἴχετε s. ἠκούσατε ἀπ' ἀρχῆς. Caeterum quaeri possit, qui factum sit, vt nunc demum hoc praeceptum Christus discipulis dederit? ad hanc quaestionem scientissime *Knappius* l. c. p. 389. ita respondit: Christus pro singulari sua, qua in docendo vtebatur, prudentia, eam rationem constanter tenuit, vt praeceptis institutisque doctrinae suae non prius discipulos imbueret, quam cum eorum animos ad intelligendum agendumque satis praeparatos esse cognouisset, vid. Ioh. 16, 12. Matth. 13, 11 sqq. al. Neque vllum aliud tempus fuit, quod ad commendandum hoc praeceptum magis idoneum videri posset. Iam enim Apostoli, diuturno vsu familiaritatis cum Christo coniuncti, qualis et quantus eius amor esset, experti didicerant, poterantque, vti in caeteris, ita etiam hac in re, *testimonium de eo perhibere, vt qui ab initio cum*

illo verſati eſſent 15, 27. Deinde, id quod caput eſt, Chriſtus tum in eo erat, vt mortem oppetendo amicis tale amoris documentum daret, quo nullum dari maius potuit, de quo ipſe illos admonet 15, 13. Ergo tunc demum illi, quale hoc praeceptum eſſet, quamque vim haberet, penitus perſpexerunt. Cum enim Chriſtus inſtituta ſua (*καινὴν διαϑήκην*) profundendo pro hominibus ſanguine ſuo ſancire et auſpicari vellet, atque in eius rei memoriam ſub finem conuiuii Paſchalis ſacram coenam inſtitueret, iam tum intelligi facile poterat, eum ſectatores ſuos et ſibi et inter ſe noua lege (*καινῇ ἐντολῇ*) deuincire velle, vt inſigni hoc ſummi amoris ſui exemplo excitati, ſe mutuo diligerent, ac ſi res ita ferret, parati eſſent, ad vitam pro fratribus ſimiliter profundendam 1 Ioh. 3, 16.

35—38. *Eo ipſo cognoſcent omnes, vos eſſe meos diſcipulos, ſi mutuo amore vos amplectimini.* Quaelibet ſchola ſuum habere ſolet inſigne, quo facile poteſt internoſci; Phariſaeorum aſſeclae, receptis traditionibus, rituumque ſtudio, Iohannis Baptiſtae diſcipuli, vitae auſteritate et ieiuniis noſcebantur; Ieſus vero ſuorum cultorum notam atque criterium certiſſimum extare volebat caritatem mutuam. cf. 15, 12. *Knappius* l. c. p. 373. *ἐν τούτῳ* pro *ἐκ τούτου*, v. *Kypkius* ad h. l.— 36 ſqq. vid. ad Luc. 22, 31. *ποῦ ὑπάγεις, quo abis, abire vis?* coll. v. 33. Offenderat Petrum, quod Ieſus dixerat: quo me conferam, vos me ſequi non poteſtis. Cum Petrus, vna cum reliquis diſcipulis, non crederet Chriſtum moriturum (12, 36.), ſed potius ſperaret, eum propediem regnum Meſſianum terrenum conditurum eſſe; putabat, Ieſum ſuſcipere velle iter plenum incommodis atque periculis, in regionem longinquam, ibique forte regnum Meſſianum inſtituere. Quare cum Ieſus v. 36. pernegaret, eum ſe iam ſequi poſſe, ita, vt tecte ſignificaret, eum nondum idoneum eſſe ad mortem diuinae veritatis cauſſa ſubeundam; Petrus, qui magiſtri mentem non caperet, affirmabat, ſe promtum paratumque eſſe

Chrifti cauffa mortis periculis fefe fubiicere; de formula ψυχὴν τιθέναι vid. not. ad 10, 12. Illi vero Iefus non fine ironia quadam refpondebat; tune mea cauffa mortis periculum fubire vis? ἀμὴν, ἀμὴν λέγω σοι κ. τ. λ. vid. not. ad Matth. 26, 34.

CAPVT XIV.

1. Quae Iefus de disceffu fuo dixerat 13, 33 fqq. magno dolore affecerant difcipulos, quem etiam haud dubie vultu et voce fignificabant. Itaque eos iam confolari et confirmare inftituebat, ita, vt initio c. 14. vocem illam folatii plenam *me praeeuntem pofthac fequeris* in fedes coeleftes 13, 36. quae promiffio non ad vnum, fed ad omnes pertineret, vberius explanaret. In nonnullis libris legitur: καὶ εἶπεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, μὴ ταρασσέσθω κ. τ. λ. in aliis: εἶπεν ὁ κύριος τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς, fed haec verba addita funt a librariis, quoniam hic incipiebat lectio ecclefiaftica. μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία *ne perturbetur*, nimia afficiatur triftitia, *animus vefter* np. ob ea quae de disceffu meo dixi, vid. 16, 5. 6. πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε] *Deo et mihi confidite.* Alii, in his *Grotius*, *Glaffius* (Phil. S. p. 442.), *Mofchius Leidensgefch.* p. 180. haec verba reddenda exiftimant: ficuti in Deo fpem et fiduciam reponitis, ita et in me reponite, vt omiffa fit particula ὡς, et καὶ fit id. qd. οὕτως *fic*, *ita*, vt 13, 33. Sed prior interpretatio, quam etiam plerique interpretes tuentur, verior eft. Etenim Chriftus in eo verfatur, vt difcipulos cohortetur et confoletur, in tali vero fermone, indicatiuo vix locus effe poteft, praeceffit etiam imperatiuus ταρασσέσθω, atque adeo h. l. in vtroque membro πιστεύετε imperatiue vertendum: *confidite*, vt infra v. 11. vid. *Knappius* Opufcc. p. 309. Senfus autem verborum eft: Deus faluti veftrae profpiciet, et ego pro-

fpiciam, coll. v. 2. 3. 13. 14. 16. 18. Alii fenfum ita conftituunt: confidite promiffis Dei et meis f. confidite Deo et mihi, interpreti diuino, Dei auctoritate loquenti, huiusque praecepta ac promiffa ad vos perferenti.

2. A cogitatione regni terreni difcipulos auocat, eorumque animos ad felicitatem in coelis exfpectandam, quam ipfe paraturus effet, dirigit, atque ita disceffum fuum iis falutarem fore, docet. ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρός μου μοναὶ πολλαί εἰσιν] *multa funt in patris mei domo habitacula;* quae multis capiendis fufficiant. Quae de domo Dei, habitaculis in Dei domo dicuntur, tropice effe fumenda, per fe intelligitur. Sicut formulae, quae alias occurrunt, *apud Deum, apud Chriftum effe, habitare*, notant, felicitate frui, qua Deus, qua Chriftus perfruitur, ita h. l. verborum ἐν τῇ οἰκίᾳ κ. τ. λ. fenfus eft: multi participes fieri poffunt felicitatis, qua Deus perfruitur, vobis et quam plurimis aditus ad beatitatem coeleftem patet. Coelum comparatur cum palatio regali, capaci et fpatiofo, in quo multa funt conclauia. Iudaei enim cogitabant fibi Deum, tanquam regem, throno, in coelo infidentem, vid. Pf. 33, 13. 14. Ief. 63, 15. Matth. 6, 9. Act. 7, 49. μονή *locus, vbi quis commorari et manere poteft, habitaculum.* Hefychius et Phauorinus: μονή, παραμονή, καὶ ἡ κατοικία. Verba quae fequuntur: εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν κ. τ. λ. varie connexa et interpuncta funt ab interpretibus. Haud pauci nimirum poft ὑμῖν colon ponunt, et verba fequentia cum antecedentibus hunc in modum coniungunt: *quod fi fecus effet*, fi dicere non poffem, effe habitacula in domo patris mei parata, *vobis dicerem: me abiturum effe, vt fedem vobis parem, et vbi abiero, vobisque locum parauero, rediturum* etc. Ita ex recentioribus interpretibus *Rofenmüllerus*, *Anonymus* in *Eichhornii Allgem. Biblioth.* B. 7. p. 1033. *Langius*, *Boltenius*, alii. Placuit haec verba connectendi ratio etiam multis interpretibus antiquis, vid. *Rufius* in Harmon. ad

h. l. vnde et quidam veterum, vt confecutionem verborum planiorem redderent, ante πορεύομαι v. 2. inferuerunt particulam ὅτι, vid. *Griesbachius* ad h. l. Alii, vt *Moshemius*, in *Erklg. d. Ev. Joh. Ernestius* in *Neue theol. Biblioth.* T. 7. p. 680. *Stofchius* in Biblioth. Brem. Noua Cl. 4. Fafc. 1. p. 108. *Mofchius* in *Leidensgefch.* p. 182. interrogatiue haec verba capiunt, vertunt: *fin vero minus, an me hoc dictu-rum fuiffe putatis, me abiturum vt vobis locum parem? imo cum abiero* etc. Has vero interpretationes contortas effe, et vero etiam frigidum fenfum parere, non opus eft, vt pluribus demonftremus, cf. *Knappius* Opufcc. p. 313. et *Lampius* ad h. l. Simpliciffima haud dubie atque veriffima eft eorum ratio, qui verbis εἶπον ἂν ὑμῖν, appofita τελείᾳ στιγμῇ, ita vertunt: *quod fi fecus effet*, fi non effent multa habitacula in domo patris mei, fi me in fedes coeleftes abeuntem fequi non poffetis 13, 36. 12, 26. fi mihi vnice beatitas in coelo deftinata effet, fi non beatitatis meae participes fieri poffetis, *aperte et ingenue id vobis profiterer*, non vana fpe vos lactarem. Sic *Valla*, *Beza*, *Grotius*, *Knappius*, alii. Hac ratione admiffa, fuperfedere quoque poffumus *Heumani* coniectura, qui verba: εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν ab aliena manu profecta effe putabat, pluribus contra eum disputauit *Stofchius* l. c. πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν] *abeo iam ad locum ibi vobis parandum*, Verbo πορεύομαι f. πορεύσομαι (praefenti enim vicem futuri tribuendam effe, in promtu eft) refpicit Iefus mortem fuam et in coelum reditum, vid. 8, 21. et verba abeundi, πορεύεσθαι, ὑπάγειν, faepius de disceffu ex hac vita poni folere, tralatitium eft, vid. ad Luc. 22, 22. Matth. 26, 24. Cum autem h. l. verbo πορεύομαι additum legatur, ἑτοιμάσαι ὑμῖν τόπον, et v. 3. fequatur: πάλιν ἔρχομαι, καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς, his in verbis metaphora petita eft ab itineris comite, qui praegreffus ad diuerforium curat, vt reliquis cubicula parentur, qui deinde aduentantibus obviam procedit, eosque introducit. Imagine autem omiffa, fenfus omnino eft: per me, meo beneficio, felicitatis

meae in coelo obtinendae participes eritis, discessus meus, mors mea et in coelum reditus, hanc vim habebit, vt vos potiamini felicitate perenni coll. v. 6. 6, 53 ss. Hebr. 10, 19. 20. *τόπος locus*, spatium quoduis, quo aliquid continetur, aut contineri potest, frequenter, per metonymiam, pro *regionibus, agris, vrbibus, domibus* etc. ponitur, vid. *Abreschius* Animaduu. ad Aeschyl. p. 232. h. l. synonymum est vocabuli *μονή*, atque adeo *habitaculum, conclaue*, denotat.

3. *ἐὰν οὖν πορευθῶ*] *cum abiero: ἐὰν cum, quando, vbi*, vt 12, 32. 13, 20. 16, 7. *πάλιν ἔρχομαι καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτὸν*] *redibo ad vos recipiendos. πάλιν ἔρχομαι* positum pro *ἐπαναλεύσομαι*, praesens enim in hac orationis serie vim futuri obtinere, vel additum *παραλήψομαι* sat luculenter docet. Quae autem h. l. leguntur, ea nonnulli interpretes, vt *Heumanus, Moschius* in *Bibelfreund Th.* 2. p. 127. et *Leidensgesch.* p. 183. alii, de reditu Christi in fine rerum humanarum interpretantur. Christum vero Apostolos ad tam remotum tempus remisisse plane improbabile, et a consilio atque tenore huius orationis alienum est. Est potius constans Christi Apostolorumque doctrina, Christi cultores statim post mortem cum eo versaturos esse et felices fore, v. Luc. 16, 23. 23, 43. Ioh. 11, 25. 2 Cor. 5, 6. 8. Phil. 1, 23. Scilicet continuatur imago v. 2. proposita, et verba *πάλιν ἔρχομαι* ad ornatum imaginis pertinent, neque adeo nimis premenda sunt, sed omnino his verbis sententia exprimitur haec: recipiam vos, efficiam, vt post mortem vestram, felicitate summa mecum perfruamini.

4. *Quo ego abiturus sim scitis, et viam quoque. οἴδατε scitis*, nam non modo saepius iis dixerat, se ad patrem rediturum esse, sed et paulo ante v. 2. patris domicilium memorauerat, ergo scire *poterant ac debebant* (ita *οἴδατε* explicandum), quo abiturus esset. Verba *καὶ τὴν ὁδὸν οἴδατε*

interpretes heud pauci ad Chriftum referunt, et de eius morte explicant; fed rectius ad Apoftolos et Chrifti cultores ea referuntur. Nam praeceſſerat, parabo vobis locum in coelo, vos aſſumam v. 2. 3. et v. 6. legitur: *ego fum via, nemo nifi per me venit ad patrem*; atque Petrus 13, 16. dixerat, fe velle magiftrum fequi. Non femel autem, fed faepius Iefus profeſſus erat, eum, qui doctrinam fuam admitteret, ipfum legatum diuinum, Meſſiam, felicitatis perennis auctorem agnofceret, praeceptis doctrinae fuae conuenienter viueret, perpetuo felicem fore, hanc eſſe viam, quam ingredi et fequi deberet is, qui vellet felicitate perenni potiri, v. 5, 24. 6, 40. 47. 53 fs. 8, 12. 11, 25. 26. etc.

5. 6. Thomas, qui aeque ac Petrus, vid. not. ad 13, 36. et reliqui difcipuli, non credebat, Iefum Meſſiam moriturum et ex his terris abiturum, fed propediem regnum terrenum perpetuum inftituturum eſſe; quae Iefus de domo patris dixerat, in qua fedem difcipulis paraturus eſſet, non intellexerat; quare, cogitans forte de palatio regio aliquo terreno, v. *Lampius* et *Michaelis* ad h. l. Iefum his alloquebatur verbis: magifter, nefcimus, quo abiturus fis, quomodo ergo viam tenere poſſumus? cf. not. ad Matth. 12, 39. 17, 22. Ad hanc quaeftionem Iefus v. 6. ita refpondebat, vt declararet, fe loqui de felicitate alterius vitae, et per viam, quam ingredi debeat, qui illam felicitatem confequi cupiat, fe ipfum, tanquam auctorem falutis, defignari. ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια *ego fum via veriſſima ad felicitatem* ducens. ὁδὸς eft id. qd. ὁδοποιὸς *qui viam monftrat*, *dux viae*, et ἀλήθεια pofitum eft pro ἀληθινή, fed ὁδὸς ἀληθινή eft, dux viae cui tuto fe quisque committere poteft, dux viae certus, fide dignus. Forma dicendi ex eo genere eft, quod Chriftus faepe vfurpat, v. 10, 7. coll. v. 9. 11, 25. καὶ ἡ ζωὴ pro, πρὸς τὴν ζωὴν κομίζουσα f. ἄγουσα, ego fum is qui viam ad felicitatem confequendam muniat et monftret, fum auctor

felicitatis perennis. Atque hoc, vt apposite monuit *Knappius* Opuscc. p. 324. ille praestitit, per vniuersum suum opus salutare, sed ea lege, vt ipsi fides habeatur 3, 36. Alii interpretes h. l. cogitant tantum de Christi doctrina, qua rationem et modum consequendae felicitatis monstrauerit, sed cum supra v. 2. 3. de morte sua dixerit et in coelum reditu, et ibi dicta h. l. respiciat, οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ, omnino latiori sensu haec verba capienda sunt coll. 6, 47. 54. δι' ἐμὲ qui mihi fidem habet, per me idoneus redditus consequitur felicitatem perpetuam.

7. εἰ ἐγνώκειτέ με, καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν] *si me satis nossetis, patrem quoque meum nossetis.* Verbis εἰ ἐγνώκειτέ με, non prorsus negat Iesus, se discipulis cognitum esse, vt nec infra v. 28. verbis εἰ ἠγαπᾶτέ με, se a suis amari prorsus negat, sed hoc tantum dicit, eos ipsum non satis nosse, nempe sic, vt perspicerent quale munus ipsi a Deo demandatum esset, consilia, studia ipsius, eum non regnum terrenum instauraturum esse. καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἂν *patrem cognosceretis* i. consilia et voluntatem ipsius, intelligeretis quid hoc sibi velit, me abiturum esse ad patrem, et cur mihi abeundum sit. Quo mitigaret Iesus, quae dixerat, et vt simul solatio erigeret discipulos, addit: καὶ ἀπ' ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν, καὶ ἑωράκατε αὐτὸν] *sed eum mox accuratius cognoscetis, et quasi oculis videbitis.* ὁρᾷν idem fere quod γινώσκειν, sed penitiorem cognitionem declarat, v. 6, 36. 40. Sensus est: post meam mortem et in coelum reditum praeiudicatas opiniones vestras deponetis, et de consilio patris qui me misit, de munere meo et opere salutari melius et rectius iudicabitis. γινώσκετε positum est pro γνώσεσθε, vt ἑωράκατε pro ὄψεσθε v. 5, 22. 24. 1, 15. *Glassius* in Phil. S. p. 302 sq. Alii sensum ita constituunt: quem iam nunc cognoscere recte potestis; vt Iesus doceat ignorantiae culpam in discipulis residere. ἀπ' ἄρτι notat, *ab hoc tempore*, ἀπὸ τοῦ νῦν Luc.

1, 48. *nunc* vt 13, 19. etiam, *mox*, *paulo post* vt h. l. Matth. 26, 64. vbi v.

8. Philippus, qui omnia ad sensum referebat, cum Iesus dixisset ἀπ' ἄρτι — καὶ ἑωράκατε τὸν πατέρα, recordabatur locorum V. T. vbi felicia tempora genti Iudaicae annuntiantur, quibus Deus ipse de coelo descensurus, et populo suo auxilio venturus sit, Mal. 3, 1 sqq. (Matth. 11, 9.) v. *Baueri* Scholia ad h. l. Ies. 40, 3 sqq. (Matth. 3, 3.) etc. quorum locorum plures de Messiae temporibus Iudaei explicabant. Quae illis in locis de Dei aduentu per imaginem dicta sunt, vt et ipsa Christi verba, Philippus proprie intelligebat, cumque ei persuasum esset, Iesum breui regnum Messianum terrenum conditurum esse, cum Christus dixisset: ἀπ' ἄρτι — καὶ ἑωρ. τὸν πατέρα, de apparitione Dei sub initium regni Messiani a Iesu promissa cogitabat, atque adeo in haec erumpebat verba: *ostende nobis patrem*, efficias vt Deus nobis appareat, *nihil tunc nobis optandum restabit*, nihil amplius desiderabimus, formula, qua omnino desiderii vehementia, et beneficii ac felicitatis magnitudo exprimitur, qua se fruiturum affirmat, si optatis ac desiderio potiretur.

9. τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμι κ. τ. λ.] *tamdiu vobiscum versatus sum, nec tu, Philippe, meam mentem intelligis?* Verba: καὶ οὐκ ἔγνωκάς με plerumque explicant: nondumne me, legationis meae consilium, satis recte cognouisti? Sed iam v. 7. Iesus professus erat, discipulos ipsum non satis nosse, et declararat illos ipsum breui accuratius cognituros esse. Videtur ergo potius γινώσκειν h. l. explicandum esse, *intelligere*, ita, vt οὐκ ἔγνωκάς με, idem sit quod τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐκ ἔγνωκας Ioh. 8, 43. add. Matth. 15, 16. 17. ac saepius verbum γινώσκειν ita vsurpatum legitur, vt sit, *intelligere*, *intellectu comprehendere*, v. Matth. 13, 11. Ioh. 3, 10. 8, 27. al. ὁ ἑωρακώς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν πατέρα] corporis oculis Deus conspici non

poteſt, ſed *qui me videt*, qui mea conſilia, ſtudia, doctrinam, opera, cognoſcit, *is Deum videt*, cognoſcit v. 10. 12. 45. καὶ πῶς σὺ λέγεις κ. τ. λ. *quomodo ergo me rogare potes, vt vobis patrem oſtendam?* Docet igitur Ieſus, Philippi votis, quantum iis omnino inter homines ſatisfieri poſſit, iam eo conſuli, quod diſcipuli ipſum, Deo coniunctiſſimum, accurate cognoſcendi opportunitate gauderent.

10. 11. Sequitur enim: οὐ πιςεύεις ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐςι;] *credisne me in patre eſſe, et illum in me?* h. e. me patri eſſe coniunctiſſimum, quoad conſilia, ſtudia, voluntatem, opera vid. ad 10, 38. Huius ſententiae veritas amplius illuſtratur verbis: τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ — αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα] *doctrina quam trado, neutiquam a me profecta eſt, et pater, quocum intima neceſſitudine coniunctus ſum, ipſe mea facta perficit.* ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ, non meo ipſius arbitrio doceo, doctrina mea non a me efficta et excogitata eſt; iam cogitatione addendum: ſed a patre mihi tradita, Deus per me loquitur. Idem profeſſus erat ſaepius v. 7, 16 ſs. 8, 28. 12, 49. μένων id. qd. ὢν mecum coniunctiſſimus. αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα *ea quae edo facta, perficit*, me ſingulari auxilio adiuuat, v. Ioh. 5, 19. 36. 10, 37. Particula δὲ non tantum oppoſitioni inſeruit, ſed ſaepius quoque praemittitur iis, quae vel ex ante dictis colliguntur, vel praecedentibus annectuntur, vt v. 21. ὁ δὲ ἀγαπῶν με κ. τ. λ. Per τὰ ἔργα alii, in his *Noeſſeltus* Opuſcc. T. 2. p. 388 ſs. *doctrinam ipſam*, ſiue *docendi negotium* intelligunt, alii, *caetera Ieſu facta omnia, quatenus ſancta erant, et diuinae voluntati conſentanea*, nulla tamen miraculoſae factorum quorundam indolis ratione habita. Contra vtramque ſententiam docte et accurate diſputarunt *Storrius* in *Flatti* Magazin für chriſtl. Dogm. u. Moral St. 2. p. 80 ſqq. add. eiusdem Opuſcc. Acadd. Vol. 3. p. 151. et *Schottus* in Diſſ. de conſilio quo Ieſus miracula edidit etc. P. 1. p. 32 ſqq. et ad. 5, 36. Nempe, vt *Schottus* l. c. monuit, deſiderantur loca, quae

comprobent vocem ποιεῖν τὰ ἔργα commutari cum verbo λαλεῖν l. διδάσκειν *docere, doctrinam tradere*, aut κατ' ἐξοχὴν de eo dici, qui docendo aliquid efficiat. Cum porro v. 11. fequatur: *credite mihi affirmanti, me patri eſſe coniunctiſſimum; ſin minus*, ſi in eo acquiefcere non vultis, quod ipfe de hac coniunctione intima, quae inter me et Deum intercedit, affirmo atque doceo, *propter facta mihi credite*, adiuuetur fiducia veftra factis meis: in promtu eft, ἔργα v. 11. memorata, differre a Iefu doctrina eiusque fermonibus, ablegat enim difcipulos, quos excitat, vt ipſi affirmanti, fe Deo effe coniunctiffimum, credant, ad ἔργα fua, tanquam veritatis effati illius documenta; fed illud ipfum effatum pertinebat ad ipfius fermones, erat pars doctrinae ipfius. Interpretationis autem conftantia flagitat, vt ἔργα v. 10. et 11. eodem fenfu capiamus. Neque per τὰ ἔργα intelligi poffunt facta Iefu reliqua, quatenus fancta, voluntati diuinae confentanea erant, nulla ratione habita factorum miraculofae indolis. Etenim verba v. 10. ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι, accuratiorem interpretationem continent illius effati v. 7. et 9. quo Iefus docuerat, qui ipfum probe cognouerit, eundem Deum quoque patrem vidiffe, recte cognouiffe, atque adeo h. l. fermo eft, de coniunctione plane fingulari, quae inter Iefum et Deum intercedebat, et fingularis auxilii diuini veftigia fuppeditabat. Quamquam autem, vt *Schottus* l. c. notauit, vitae morumque honeftas omnino comprobat, hominem, cuius agendi ratio tali indole gaudeat, Deo probari, eiusque effatis fidem effe habendam, (nifi ipfe potuerit decipi,) nil tamen ineft factorum probitati, quod *coniunctionem plane fingularem* arguat, quae inter hominem ita agentem et Deum intercedat, atque *fingulare auxilium diuinum* oftendat. Imo factis talia probaturis ineffe debet aliquid, quod plane eximium appareat, ab iis, quae vulgo fieri et euenire folent, differat, et omnipotentiae diuinae curam atque efficaciam praecipuam quandam demonftret. Huius generis autem ea Chrifti

facta erant, quae alias σημεῖα, τέρατα, δυνάμεις dicuntur.

12. *Mihi credite, qui mihi fidem habet, non modo eadem facta, quae ego perficio, imo his maiora perficiet, quia ad patrem reuertar.* ὁ πιςεύων εἰς ἐμὲ vos constantes doctrinae meae sectatores, ad eamque profitendam et propagandam parati. Quod absolute et infinite h. l. dictum est, non ad omnes, qui Christi doctrinam suscipiunt, referendum est, sed ad Apostolos, quibuscum colloquebatur Iesus, eos, eorumque munus, ac prima rei christianae tempora promissa, quae sequuntur, spectant. Quaesiuerunt autem interpretes, quo sensu Iesus Apostolorum ἔργα, maiora a se editis, dixerit? Nonnulli haec verba explicant: post meum discessum, edocti a πνεύματι ἁγίῳ, vberiorem doctrinam tradetis (16, 12), quam ego tradere potui, plenius et accuratius edocebitis homines, v. *Noesseltus* l. c. et *Borgerus* de constanti et aequabili I. C. indole, doctrina et docendi ratione etc. P. 1. p. 34. Alii sensum constituunt: constans meus sectator, qui meum exemplum, meam agendi rationem Dei voluntati consentaneam sequitur, eadem efficere, imo maiora efficere poterit, quam ego potui. Plerique tamen per τὰ ἔργα *miracula* intelligunt; cum autem Apostolorum miracula non dici possint μείζονα, maiora miraculis Christi, alii statuunt ea dicta esse μείζονα, non propter internam eorum indolem, sed ratione habita copiae et multitudinis eorum, cum Apostoli diutius, quam Christo licuerit, his in terris versati sint. Prouocant hanc in rem ad vsum vocabulorum רַב et עָצוּם, quorum prius, non tantum significet *multum*, sed etiam *magnum*, et posterius, non solum *magnum*, *validum*, sed etiam *multum*. Obseruant, Syrum interpretem, μείζονα expressisse ܝܬܝܪܢ hoc vocabulum respondere Hebr. עצום coll. Ioh. 7, 31. ibi illo vocabulo Syriaco expressum esse nomen πλείονα. Ita *Weberus* in

libello: de vfu verfionis N. T. Syriacae Hermeneutico, Lipf. 1778. p. 30. Alii opinati funt, Iefum h. l. fermone hyperbolico vfum effe, neque adeo haec verba nimis effe premenda, fed iis omnino hanc fententiam exprimi: miracula edetis maxima, plane fingulari modo Deus veftram cauffam iuuabit coll. Matth. 17, 20. Rectius, mea fententia, alii cogitarunt de miraculorum ab Apoftolis patratorum effectu, vt adeo eorum ἔργα, eatenus μείζονα, maiora, dicantur, quatenus iis plures ad Chrifti religionem adducti fint, cum Chriftus intra Palaeftinae fines fubftiterit, Apoftoli autem omnem terrarum orbem peragrarint. Cui interpretationi vltima verfus verba fauent: *nam ego ad patrem reuertar*, vid. *Morus*, *Rofenmüllerus*. Sic fere quoque *Storrius* Opufcc. Vol. 3. p. 154. cuius verba funt: miracula (opera) quae ego edo, etiam vos edetis, *hisque rebus* (miraculis) *maiores res* (non: μείζονα τούτων ἔργα) efficietis, ipfum, quo miracula eduntur, confilium plenius, quam ego, *qui ad patrem reuertor, eaque de cauffa* meum inceptum ipfe praefens peragere nequeo, fed vobis pertexendum relinquo, affequemini multo plures, quam ego, ad fidem mihi habendam adducetis, meorum laborum fructus percepturi 4, 35 — 38. *Schottus* l. c. verba μείζονα τούτων ποιήσει explicanda putat, non de folis Apoftolorum miraculis per fe fpectatis, fed etiam de iis, quae partim hisce factis, partim omnino viribus fuis, diuinae religionis et veritatis cauffae confecrandis, prouidentia diuina ipforum ftudia atque labores potentiffime adiuuante, effecturi fint.

13 — 15. Auxilio meo vobis adero, cf. v. 16. Matth. 28, 20. not. ad Marc. 16, 17. extr. καὶ ὅ, τι ἂν αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου κ. τ. λ.] *et quodcunque mei cauffa petieritis* (a patre), *efficiam, vt pater illuftretur per filium.* ἐν τῷ ὀνόματί μου tanquam mei legati, muneris veftri cauffa, propagandae doctrinae meae cauffa. Confirmant hanc interpretationem verba quae fequuntur: ἵνα δοξασθῇ ὁ πατὴρ

ἐν τῷ υἱῷ, quorum fenfus eft: vt per propagationem doctrinae diuinae pater illuftretur, celebretur, eius maieftas agnofcatur v. not. ad 13, 31. hoc autem per Apoftolos poft Chrifti difceffum fieri debebat. *τοῦτο ποιήσω*, hoc efficiam, v. 16. rogabo patrem. 16, 23. pater mea cauffa concedet.

16. *καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον — εἰς τὸν αἰῶνα*[*rogabo patrem, vt alium vobis adiutorem concedat, qui vobis perpetuo adfit.* Ante omnia paulo curatius conftituenda eft fignificatio vocabuli *παράκλητος*, quod verfio vulgata et Syriaca retinuerunt, quoque praeter Iohannem nullus fcriptorum facrorum vfus eft. Scilicet variae funt verbi *παρακαλεῖν* fignificationes. Notat proprie *aduocare*, *arceffere*, vt Act. 28, 20. Xen. Mem. 2, 10. 2. qui vfus verbi latius patet, et de quouis genere aduocationis *παρακλήσεως* adhibetur, vt de diis, qui in auxilium vocantur Xen. H. Gr. 2, 4. 10. de amicis atque iuris peritis, qui, cum quis in iudicium vocatus erat, folebant *aduocari*, *παρακαλεῖσθαι*, h. e. rogari, vt de cauffa deliberarent, confilia darent, in iudicio adeffent, atque honoris cauffa, in fubfellio eius, qui accufatus effet, federent; ponitur etiam de *patronis cauffarum* fiue *oratoribus*, qui ad cauffas defendendas *aduocabantur*. cf. omnino *Knappius* in Opufcc. p. 128 fq. 164. et *Reiskii* Index Demofth. in his vocabulis. Porro fignificat: *monere*, *cohortari* Act. 20, 2. coll. 31. Tit. 2, 6. Philo de Tem. p. 268. C. *ἐκεῖνα δ' ἡμᾶς οὐ παρακαλεῖ, μὴ λίαν τοῖς ἀφανέσι προπιστεύειν*, *nonne illa monent, ne nimis incertis credamus.* Id. de Charit. p. 700. B. de Mofe adhortante Iofuam, ad rem ftrenue fortiterque gerendam: *ἦν δὲ καὶ χρησμὸς αὐτῷ παρακαλέσαι τὸν διάδοχον nec omnino fuit fuperuacaneum adhortatum eum fuiffe fucceſſorem*, de eadem re paulo ante vfus erat verbo *παραινέσαι*. Id. de Opif. M. p. 4. E. vbi Deum condidiffe ait hoc vniuerfum *οὐδενὶ παρακλήτῳ*, *nemine monente.* Denotat quoque *rogare*, *obfecrare*, vt Luc. 7, 4. Matth. 8, 5. vbi v. not. quae tamen notio in-

ſolentior eſt ſcriptoribus Atticis. Thomas Mag. παρακαλῶ· τὸ προτρέπω, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ· καὶ παράκλησις, ἡ προτροπή· ἅπαξ δὲ καὶ τὸ δέομαι vbi v. interpp. A Iudaeis Graece loquentibus ita quoque vſurpabatur, vt eſſet: *conſolari, exhilarare* v. τοὺς ὁ Pſ. 22, 5. 93, 19. 2 Cor. 1, 4. cf. not. ad Luc. 2, 25. Et in libris N. T. interdum etiam eo ſignificatu legitur, vt ſit *docere*, veluti 1 Theſſ. 2, 3. Tit. 2, 15. 1 Tim. 6, 2. Cum ergo variae ſint huius verbi notiones, haud magnopere mirabimur, interpretes varias quoque ſignificationes vocabulo παράκλητος hoc loco, aliisque locis Iohanneis, quibus occurrit, ſubſtituiſſe, v. *Suiceri* Theſ. Eccl. h. v. *Buxtorfii* Lex. Talmud- et Rabb. p. 1843. *Wolfius* in Curis, *Koecherus* in Analectis ad h. l. *Knappius* l. c. et *Erneſtius* Opuſcc. Philol. Crit. p. 567. Alii nimirum vertunt, *conſolator*, non repugnante vſu loquendi, cum, vt vidimus, omnino verbum παρακαλεῖν, hanc notionem obtineat. Nec, vt monuit *Knappius* l. c. p. 137. obſtat, quod *Boſio* et *Suicero* viſum eſt, forma παθητική, quam negant exprimi poſſe *conſolator*, qui potius παρακλήτωρ dicendus fuiſſet; Aquila enim et Theodot. מנחמים Iob. 16, 2. vertunt παρακλήτους, ſed Alexandrini habent παρακλήτορες. cf. praeterea quae notauimus ad Luc. 2, 25. Alii hanc vocem reddendam exiſtimant *doctor*. Prouocant ad argumentum orationis, quae ea commemoret attributa παρακλήτου et actiones, vt appareat, hoc nomen indicare *doctorem*. Notant vocabulum פְּרַקְלִיט in verſione Chaldaica Iob. 16, 20. 33, 23. reſpondere Hebr. מֵלִיץ quod ipſum *doctorem* ſignificet. Sed vt *Knappius* l. c. p. 142. obſeruauit, nomen מליץ nec illis in locis Iobi, nec aliis in locis literarum ſacrarum *doctorem* deſignat, vid. et *Roſenmülleri* Schol. ad Iob. l. c. neque in libris Rabbinorum inter ea vocabula, quibus *doctores* nominantur, et *doctorum* munus deſcribitur, nomina מליץ et פרקליט vsquam comparent. Quare *Knappius* approbauit, et rectiſſime quidem approbauit, eorum interpretum ſententiam, qui παράκλητος vertunt: *adiutor, opitulator, curator, auxi-*

liator, *Beyſtand*, *Helfer*. Scilicet Graece dicitur παράκλητος *aduocatus*, quem in auxilium vocauimus, vt nobis adſit *opitulator*, *adiutor*. v. *Reiskii* Ind. Gr. Demoſth. ſ. παρακαλεῖν et παράκλητος. add. Dionyſ. Halic. 10. p. 717. ed. *Sylburg.* ὅσοι μὲν ἦσαν ἀκέραιοί τε καὶ τῶν τὰ δίκαια λεγόντων παράκλητοι, *quotquot erant integri et iuſtae cauſſae defenſores.* In libris autem Rabbinorum commutantur inter ſe nomina *patroni* et paracleti פרקליטין et פַּטְרוֹנִין v. *Druſius* ad h. l. Ieſus ſe ipſum quoque παράκλητον eſſe ſignificat, verbis: ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον (alium, meas vices ſuſtinentem) δώσει ὑμῖν, verum Chriſtus non docendo tantum, ſed et aliis modis diſcipulos ſuos adiuuit, vt recte quoque iam *Heumanus* ad h. l. notauit. Sic et Spiritus S. quem Chriſtus Apoſtolis promiſit, eos in munere gerendo adiuuit, non docendo tantum, ſed aliis etiam modis, vt iis ad munus gerendum opus fuit non ſcientia tantum doctrinae, ſed et alio multiplici auxilio. In his vltimis autem Chriſti ſermonibus *doctoris* negotium, tanquam praecipua pars officii et muneris adiutoris illius, quem Chriſtus promittit, ſpectatur, vid. *Knappius* p. 139. ἵνα μένει μεθ᾽ ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα, *qui vobis*, poſt diſceſſum meum, *perpetuo adſit.* μένειν id. qd. εἶναι μετά τινος, *adeſſe alicui*, *iuuare aliquem.* v. ad Matth. 28, 20. εἰς τὸν αἰῶνα, *ſemper*, vsque ad vitae veſtrae finem, vt Ioh. 8, 35.

17. Accuratius iam docet, qualem adiutorem iis Deus conceſſurus ſit. τὸ πνεῦμα id. qd. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον coll. v. 26. In explicando autem vocabulo πνεῦμα, quod vario ſenſu in libris N. T. occurrit, disſentiunt interpretes. Ex nonnullorum ſententia per πνεῦμα indicatur, *noua mentis indoles in auxilium ventura*, *Apoſtolosque directura*, vid. *Niemeyeri* Commentatio in locum Eu. Ioh. 16, 12 — 15. Halae 1788. 4. Alii per πνεῦμα intelligunt: *ſyſtema doctrinae chriſtianae, per Chriſti mortem, reſurrectionem, in coelum reditum, et ea quae feſto Pentecoſtes euenerunt, perfectius redditum et confirmatum, den berichtigten, erweiter-*

ten, und befeſtigten Lehrbegriff, cognitionem doctrinae chriſtianae certiorem, pleniorem et accuratiorem, v. *Eichhornius* in *Allgem. Biblioth. der bibl. Literat. B.* 4. p. 290 ſs. add. *Starkius* in Commentar. in Ioh. c. 13, 17. Ien. 1814. Exc. 2. (coll. *Ergänzungsblätter zur Jenaiſchen Allgem. Literatur-Zeitung* N. 11. (1815.) p. 86 ſq.) qui per πνεῦμα ἅγιον ſignificari cenſet, *cognitionem veritatis (ſ. doctrinae) altiorem a Deo profectam, tributam.* Monent interpretes illi, Apoſtolos de veritatibus religionis chriſtianae vlterius meditando, concludendo et omnia ad formulam ac ſummam doctrinae ipſis cognitam referendo, ambitum ſcientiae ſuae auxiſſe et amplificaſſe, atque hanc vberiorem et accuratiorem doctrinae cognitionem eos ad profitendam, propagandam ac defendendam religionem idoneos reddidiſſe. Obſeruant praeterea, Chriſtum quidem de πνεύματι ἁγίῳ locutum eſſe tanquam de perſona, ſed hoc factum eſſe propterea, quod ſibimet ipſi, perſonae, oppoſuerit doctrinam, πνεῦμα, adiutorem inuiſibilem; neque eiusmodi mutationes rerum in perſonas ſcriptoribus ſacris inſolentes eſſe coll. Pſ. 57, 4. 147, 25. Ioh. 12, 48. neque Apoſtolos perſonam aliquam expectaſſe, locum Act. 2. ſat luculenter demonſtrare. Haec tamen vocabuli πνεῦμα interpretandi ratio, iure meritoque paulo durior, nec ſingulis locis Iohanneis, in quibus τὸ πνεῦμα ἅγιον memoratur 14, 16. 15, 26. 16, 7 — 14. 20, 22. accurate conueniens viſa eſt haud paucis interpretibus. cf. *Flattus* in *Storrii Lehrbuch d. chriſtl. Dogmatik* p. 160 ſqq. edit. ſec. p. 171 ſs. Aliis denique πνεῦμα ἅγιον eſt *vis diuina*, quae multis modis ſe exſerebat, *multiplici auxilio* Apoſtolos et chriſtianos reliquos *adiuuabat*, vis diuina, cui omnia, quae ad promouendam amplificandamque religionem chriſtianam faciunt, in literis ſacris N. T. adſcribuntur, a qua omnia, quae chriſtiani recte, et ſapienter, et feliciter agunt, deriuantur. Neque negari poteſt, hanc vocabuli notionem et locis Iohanneis et aliis locis apprime conuenire. Sic Ioh. 20, 22. legitur: *Ieſus adflans Apoſtolos, eos verbis his allocutus eſt: accipite* πνεῦμα

ἅγιον, vis diuina vos ad munus veftrum gerendum idoneos reddet. Luc. 24, 49. *mittam quod vobis a patre meo promiffum eft;* fed ἐπαγγελία explicatur ibi per δύναμις ἐξ ὕψους, vt adeo fenfus fit: diuinitus inftruemini facultatibus ac viribus ad munus gerendum neceffariis. Act. 1, 8. λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, *inftruemini dotibus, facultatibus eximiis aduentante ad vos fpiritu diuino,* vi diuina efficacem fe in vobis praebente. Eadem formula, quae Act. l. c. legitur: ἐπελεύσεται ἐφ' ὑμᾶς πνεῦμα ἅγιον, extat quoque Luc. 1, 35. ibique πνεῦμα ἅγιον aperte indicat, vim diuinam, nam πνεῦμα ἁγ. commutatur cum voce δύναμις ὑψίστου vid. ibi notata et ad Matth. 3, 16. Ioh. 1, 32. Omnino igitur Chriftus Apoftolis πνεῦμα ἅγιον promittens Ioh. 14, 26. 15, 26. 16, 7—14. fententiam exprimere voluit hanc: poft meum difceffum, vi diuina adiuti, operante, moderante, auxiliante Deo, meam doctrinam, omnem illius ambitum accuratius cognofcetis, et idonei euadetis religionis meae doctores. Iam vero πνεῦμα τῆς ἀληθείας eft *vis diuina veritatis* i. doctrinae meae *adiutrix,* quae doctrinam meam promouebit. Tralatitium enim eft, vocabulum ἀλήθεια, vt Hebr. אמת perquam frequenter *de religione vera* adhiberi v. ad Ioh. 8, 32. et hoc fignificatu noftro loco hoc vocabulum capiendum effe, vel locus Ioh. 13, 13. fat euidenter docet. ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν κ. τ. λ.] *quem* (fpiritum) *improbi accipere nequeunt, quoniam eum percipere et cognofcere nolunt.* θεωρεῖν et γινώσκειν funt h. l. fynonyma, vt 1 Ioh. 3, 6. copulata ad exprimendam fententiam: plane nolunt cognofcere. Eft autem de effectibus vis diuinae fermo, eos experiri, cognofcere nolunt. θεωρεῖν, γινώσκειν, experiri, cognofcere *velle,* vid. ad 8, 27. Luc. 1, 59. κόσμος religionis chriftianae contemtores et aduerfarii, vt 12, 31. al. ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτὸ κ. τ. λ.] *vos vero cognofcetis,* hanc vim diuinam, illius effectus, *nam vobis aderit, in vobis erit,* formulae idem valentes; fenfus: vos omni tempore et loco vis diuina adiuuabit. Praefentia γινώσκετε,

μένει, vim futurorum habent vt faepius v. 8, 31. id quod vel additum ἔςαι docet, et praeceffit v. 16. ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν.

18 — 20. *Sane vos non deferam orbos; redibo ad vos. Poſt breue tempus improbi me non amplius videbunt, vos vero me videbitis, ego enim vitam recipiam, et vos recipietis. Iſto tempore cognoſcetis, me cum patre eſſe coniunctiſſimum, et vos mecum, me vobiscum.* Chriftus qui in eo eft, vt confoletur difcipulos, disceffum ipfius lugentes, poftquam iis promifit adiutorem alium, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, promittit quoque, eos ipfum effe reuifuros, fe effe in vitam rediturum, iisque auxilio fuo adfuturum (Matth. 28, 20.). Scilicet verbum ἔρχομαι latiori fenfu fumendum eft *de praeſentia Chriſti viſibili, et inuiſibili ex effectu percipienda.* Etenim non perfpicitur, quomodo Chriftus dicere potuerit: οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς, fi haec verba referenda tantum effent ad breue illud temporis fpatium inter refurrectionem eius et reditum in coelum elapfum, intra quod, tefte hiftoria, v. Ioh. 20, 26. al. ne continuo quidem, vt antea, cum Apoftolis verfatus eft. Effe h. l. de praefentia Chrifti mente percipienda, de efficacitate ipfius in animis Apoftolorum, cogitandum, docet etiam v. 20. quae enim hoc verfu memorantur, euenerunt poft Chrifti in coelum reditum, vbi accuratior difcipulis cognitio contingebat, conf. v. 23. et not. ad v. 21. Sic quoque verbum ἔρχεσθαι legitur de inuifibili aduentu Chrifti, de manifeftatione maieftatis ipfius, ita vt ipfe non confpiciatur Matth. 16, 27. 28. 24, 44. vid. ibi et p. 646. Comment. in Matth. notata. Vt vero h. l. etiam cogitemus de aduentu Chrifti, quo rediuiuum fe amicorum oculis confpiciendum praebuit, vel fuadent verba v. 19. ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ. Eft ergo omnino formula ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς latiori fenfu accipienda. Sic vero etiam verba ὑμεῖς δὲ θεωρεῖτέ με non tantum notant, *oculis me conſpicietis*, fed etiam, *mente me videbitis*, efficacitatem meam experiemini, opi-

tulabor vobis, ac si praesens adessem, κἀγὼ ἐν ὑμῖν v. 20. Verbum θεωρεῖν etiam alias improprie adhibitum legitur, vt 6, 40. coll. 8, 38. 14, 9. ὀφθαλμοὶ διανοίας Eph. 1, 18. Haec explicandi ratio, quam *Hezelius*, aliique secuti sunt, et inprimis exornauit *Flattus* Symbolar. ad illustranda grauiora quaedam l. dicta in Eu. Ioh. P. 2. p. 21 sqq., propterea praeferenda videtur reliquis huius loci interpretationibus (de quibus deinceps dicendi locus erit), quoniam, ea admissa, plures difficultates euanescunt, quae reliquas interpretationes premunt. ὀρφανὸς, vt Hebr. יתום, proprie dicitur, vel, de parentibus, qui liberis carent, vel, de liberis, qui parentibus sunt destituti, vid. *Schleusneri* Lex. h. v. hoc loco exquisite adhibetur de discipulis doctore destitutis, cum apud Iudaeos, doctores a discipulis nominarentur patres, discipuli a doctoribus filii v. 13, 33. κόσμος etiam h. l. vt v. 17. al. doctrinae Christi contemtores et aduersarios significat. μικρὸν scl. διάστημα χρόνου ἐστι, vt 16, 16. v. *L. Bosius* de Ellips. p. 104. ed. *Schaefer.* καὶ pro ἐν ᾧ quo temporis spatio elapso. ζῆν est idem quod ἀναζῆν *reuiuiscere, vitam recuperare*, vt Luc. 24, 5. Ioh. 5, 25. Apoc. 2, 8. 20, 4. 5. al. Sed altero loco positum, tropice capiendum est, vt saepius, sicuti Hebr. חיה Gen. 45, 27. Ps. 22, 30. 69, 33. ὑμεῖς ζήσεσθε post aerumnas vobis quasi renati videbimini, laeti ac felices eritis, ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται 16, 20. χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία v. 22. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ illo tempore, intelligitur omnino tempus resurrectionem Christi secuturum. ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου, cognoscetis, me esse patri coniunctissimum, quoad voluntatem, consilia studia, opera coll. v. 10. eum me amare 10, 17. singulari auxilio suo adiuuare. καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ vos mihi esse coniunctissimos, nam me amabitis, mea praecepta obseruabitis v. 15. meam doctrinam propagabitis. κἀγὼ ἐν ὑμῖν me vobis esse coniunctissimum; vos redamabo, vobis auxilio meo in munere gerendo adero v. 12. quod mea caussa petieritis efficiam v. 13. 14. mittam vobis παράκλητον v.

17. incrementa cognitionis veſtrae capietis, (v. 26.) dotibus et facultatibus eximiis, animique bonis inſtruemini, coll. Act. 1, 8. Reſtat idm vt aliorum quoque huius loci interpretationes breuiter, pro inſtituti noſtri ratione recenſeamus. Ac plurimi quidem verba ἔρχεσθαι, θεωρεῖν, tantum de Chriſti in vitam reditu interpretantur. Sed vid. ſupra notata. Alii haec verba h. l. et 16, 16 — 23. explicant de ſola efficacitate Chriſti, vel ex virtute et poteſtate eius coeleſti (*Lightfootus* Hor. Hebrr. et Talmudd. ad 16, 16. *viderunt Ieſum diſcipuli poſt aſcenſum in coelum virtualiter et operatiue, in influxu ſuo et largitione Sp. S.*) vel ex doctrinae vi naturali pendente. Sic *Anonymus* in *Eichhornii Allgem. Biblioth. d. bibl. Literat.* B. 7. p. 1033 ſ. 1037 ſs. *Eckermanus*, alii. Ita vero in ſermonibus Ieſu vltimis, a Iohanne relatis, nulla prorſus reſurrectionis Chriſti mentio facta eſſet. Quis vero credat, Chriſtum in vltimis ſermonibus, ante abitum ſuum, eum inprimis in finem habitis, vt diſcipulos hunc ipſius diſceſſum lugentes conſolaretur, eorumque animos confirmaret, ſemel tantum Matth. 26, 32. et paucis quidem verbis memoraſſe reſurrectionem ſuam, ſaepius antea praedictam, cuius praedictionis repetitio certiſſimum quoque ſolatium praebuiſſet? Praeterea durius quoque θεωρεῖν in tali oppoſitione duplici ſenſu ſumitur, ita vt primo loco poſitum ſit *videre*, altero, *mente intueri*, hoc modo: breui homines improbi me non amplius videbunt, (nec vos me videbitis 16, 10. 22.) vos vero me, meam efficacitatem experiemini ſ. doctrinam meam accuratius cognoſcetis. *Paulus* in *Kommentar* B. 2. p. 523 ſ. ed. 1. et in *Zuſätzen* p. 420. quae h. l. et 16, 16—23. leguntur, refert ad illud tempus, quo Ieſus diſcipulos ſuos in ſedes beatas recepturus et felicitatis ſuae participes redditurus ſit, coll. 14, 1—4. Locum ita explanat: veniam ad vos, vobis obuiam procedam e ſedibus coeleſtibus, ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς, coll. v. 3. breui me improbi non amplius videbunt, vos vero me in coelo videbitis (h. e. omnino, ego immortalis et felix

ero, et vos eritis); tunc intelligetis accuratius, me apud patrem versari, nam vos mecum eritis, ego vobiscum. Recte vero opposuit *Süskindius* in *Flatti Magazin für christl. Dogm. u. Moral* St. 7. p. 192. formulam εἶναι ἐν τινὶ nusquam eo significatu occurrere, vt sit: *versari apud aliquem, esse cum aliquo;* imo formula ἐν πατρὶ εἶναι indicari h. l. intimam coniunctionem, quae inter Deum et Christum iam his in terris intercederet, vt 10, 30. 38. male autem confusum fuisse Christi caussae, si de hac coniunctione discipulis non prius firmiter persuasum fuisset, quam postquam ipsi in coelum fuissent recepti. Praeterea *Flattus* l. c. monuit, minus recte *Paulum* e verbis Christi initio cap. v. 2 — 4. argumentum petiisse ad interpretationem suam comprobandam, cum ille locus huic plane dissimilis sit. Ibi enim verbum ἔρχομαι ita definiri, vt omnis de sensu loci dubitatio tollatur, cum adiecta legantur verba: καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτὸν, ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, καὶ ὑμεῖς ἦτε coll. 12, 26. 17, 24. cf. et *Süskindius* l. c.

21. 22. ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς μου, καὶ τηρῶν αὐτὰς, *qui mea praecepta tenet et obseruat.* ἔχειν *tenere, scire* Act. 25, 26. Xen. Mem. 1, 6, 13 f. Anab. 3, 5. 3. Rep. Lac. 1, 3. Soph. Trach. 321. ἀγαπηθήσεται ὑπὸ τοῦ πατρός μου, *fauore patris mei perfruetur.* καὶ ἐγὼ ἀγαπήσω αὐτὸν, καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν, *ipse eum amabo, eique me patefaciam.* Verba ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν nonnulli explicant: ei me conspiciendum praebebo, amicis meis post meum in vitam reditum apparebo. Sed huic interpretationi aduersatur Christi horum verborum explanatio v. 23. Alii hisce verbis hunc sensum substituunt: me cognoscendum praebebo, vos veri et genuini cultores mei, accuratius meam personam, munus, dignitatem, doctrinam cognoscetis, verum et huic interpretandi rationi repugnant verba v. 23. μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν, quae neutiquam de sola cognitionis auctione intelligi possunt. Scilicet

formula ἐμφανίζειν σεαυτὸν non tantum fignificat: *apparere*, *confpiciendum praebere*, fed etiam *fe alicui patefacere*, *demonftrare qualis fis*, vt Exod. 33. vbi v. 13. in verfione Alexandrina legitur: ἐμφάνισόν μοι (הוֹדִעֵנִי) σεαυτὸν, fed v. 18. δεῖξόν μοι σεαυτοῦ δόξαν, *oftende mihi maieftatem tuam*. add. Hebr. 11, 14. Hoc loco verba ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν, vt contextus docet, coll. v. 23. omnino notant: demonftrabo me ei beneuolum et beneficum. Spectant autem verba Chrifti v. 21. et 23. non tantum Apoftolos, fed et reliquos ipfius cultores veros et genuinos; et relata ad Apoftolos formula ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν idem valet quod formula: κἀγὼ ἐν ὑμῖν ἔσομαι v. 20. vbi vid. notata; relata ad reliquos Chrifti cultores hoc nomine dignos notat: fauore meo perfruentur, opitulabor iis, cognitionis incrementa capient, omnibusque beneficiis ornabuntur, quae mea religio fuis cultoribus praebet. — 22. Apoftoli praeiudicatis opinionibus abrepti, Chrifti mentem non capiebant, fed de regno Meffiano terreno breui inftituendo cogitantes, vid. 13, 36. cum hac opinione fua componere non poterant verba magiftri: ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ v. 14. ἐμφανίσω ἐμαυτὸν τῷ ἀγαπῶντί με v. 21. quare Iudas, non Cariothenfis ille, fed Thaddaeus f. Lebbaeus, vid. ad Matth. 10, 3. Iefum interrogabat: *quare te nobis confpiciendum praebere vis, neque hominibus improbis?* adverfariis tuis, doctrinaeque tuae contemtoribus? Verbum ἐμφανίζειν h. l. propria fignificatione accipiendum. τί γέγονεν, ὅτι Hebr. מה היה Exod. 32, 1. id. qd. διατί, quid accidit quod f. quid cauffae fubeft, quod nobis tantum te confpiciendum praebiturus fis? v. *Kypkius* ad h. l.

23. ἐάν τις ἀγαπᾷ με κ. τ. λ.] *qui me amat, doctrinae meae praeceptis obfequetur, eum pater meus amabit, et ad eum veniemus, vt apud eum commoremur.* Verba καὶ ὁ πατήρ μου — παρ' αὐτῷ ποιήσομεν, refpondent verbis v. 21. ἀγαπηθήσεται — αὐτῷ ἐμαυτόν. Formula μονὴν ποιεῖν, vt verbum

fimplex *μένειν* notat *habitare, commorari, diuertere*, Iofeph. Ant. 13, 4. Ionathas *ἐν Ἱεροσολύμοις τὴν μονὴν ἐποιεῖτο, Hierofolymis habitabat.* ib. 8, 7. de Elia fpeluncam ad montem Sinai ingreffo *διετέλει ποιούμενος ἐν αὐτῷ τὴν μονὴν, commorari ibidem pergebat*, vid. *Raphelius* Obff. Herodo. et *Kypkius* ad h. l. et not. ad 1, 39. Sunt autem formulae *πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν* tropice accipiendae. Scilicet perquam frequenter in libris facris V. T. occurrunt locutiones: Deus tentorium in Iudaea fixit, commoratur Hierofolymis, habitat inter Iudaeos etc. vid. Leuit. 26, 11. 12. Ezech. 37, 26. al. ita, vt his locutionibus defcribatur numen, genuinis fuis cultoribus inprimis beneuolum atque beneficum. Iefus igitur ad Iudae interrogationem ita refpondebat, vt tropo fatis noto illuftraret formulam: *καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν*, atque doceret, fe his verbis Apoftolis et reliquis cultoribus fuis genuinis fuum et patris fauorem atque auxilium promififfe, vid. not. ad v. 21. Itaque *μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν* eft id. qd. *μεθ' ὑμῶν ἔσομαι* Matth. 28, 20. add. Apoc. 21, 3. vbi formula: *Θεὸς σκηνώσει μετὰ τῶν ἀνθρώπων* commutatur cum formula: *αὐτὸς ὁ Θεὸς ἔσται μετ' αὐτῶν*, iis auxilio fuo aderit, eos beneficiis ornabit. Verba *πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα* non funt vrgenda, fed ad ornatum pertinent. Alii, veluti *Semlerus*, *Schulzius*, verba: *καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν* explicant: ego et cultor meus ad patrem (*πρὸς αὐτὸν*) veniemus, perpetuo apud eum in coelo manfuri. Putant ergo Chriftum his verbis difcipulis fuis felicitatem alterius vitae promififfe, atque ad hanc fuam fententiam comprobandam prouocant ad v. 2 fqq. qui tamen locus noftro non eft plane fimilis. Ipfe orationis contextus eam verborum interpretationem, quam attulimus, flagitat. Male intellexerant difcipuli coll. v. 22. promiffionem a Iefu datam: *ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν* v. 21. repetit ergo Chriftus promiffionem illam quam v. 21. continet, et fimul explicat formulam *ἐμφανίσω ἐμαυτὸν* de beneficiis difcipulis fuis

poſt reſurrectionem ſuam, reditumque in coelum, his in terris, tribuendis.

24. 25. Poſtquam Ieſus accuratius conſtituit ſenſum formulae *ἐμφανίσω ἐμαυτὸν*, ad Iudae interrogationem *τί γέγονεν κ. τ. λ.* ita reſpondet, vt oſtendat, improbos, doctrinae ſuae contemtores et aduerſarios hoc *ἐμφανισμῷ*, his beneficiis eſſe indignos. *ὁ μὴ ἀγαπῶν με, τοὺς λόγους μου οὐ τηρεῖ*] *qui me non amat*, non colit, *doctrinae meae praecepta non obſeruat.* Iam vero e v. 23. repeti debet: neque fauore meo et patris, beneficiis vobis et genuinis meis cultoribus deſtinatis, vtpote iis indignus perfruetur. *καὶ ὁ λόγος — πατρὸς*] *doctrina enim, quam audiuiſtis, non mea eſt, ſed patris, qui me miſit.* Qui ergo eam repudiat, is repudiat patrem, neque adeo beneficia illa v. 21. *ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτὸν* v. 23. *μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν* exſpectare poteſt. *ταῦτα λελάληκα ὑμῖν παρ' ὑμῖν μένων*] haec, quae hactenus dixi, vobis dicenda erant, dum inter vos verſabar, vt animi veſtri ſpe laeta recrearentur, et praepararentur ad ea, quae mihi vobisque euenient, *μένων* idem quod *ὢν* Luc. 24, 44.

26. *τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου*] *Spiritus ſanctus, quem pater mea cauſſa mittet.* *ἐν τῷ ὀνόματί μου* loco et rogatu meo, vt religio mea propagetur, vid. not. ad v. 16. *ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα*] *omnia vos ille edocebit*, omnia reliqua, quae hactenus percipere non potuiſtis, quaeque adeo vobis non tradidi 16, 12. Opponitur vniuerſus veritatum ambitus, primis religionis doctoribus cognitu neceſſarius, inſtitutioni, qua huc usque gauiſi erant, animorum et ingeniorum ipſorum imbecillitati accommodatae, eamque ob cauſſam non penitus abſolutae. *καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν*] *et vobis in memoriam reuocabit omnia quae vobis hactenus dixi*, ita vt ea plenius et rectius intelligatis. Senſus igitur omnino eſt: vi diuina adiuti, cognoſcetis omnem veritatum religionis meae ambitum, et idonei reddemini ad

perſpicienda et intelligenda ea, quae vos docui et quae nondum perſpicitis.

27. *εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν κ. τ. λ.*] *felicitatem vobis* ſperandam *relinquo*, poſt meum abitum felices eritis, *meam felicitatem vobis promitto*, felicitatem quam a me exſpectare poteſtis, vid. ſupra ad v. 20. *non eo modo quo homines felicitatem promittere ſolent* (*διδῶσι* ſcl. *εἰρήνην*), quorum promiſſiones ſaepe euentu carent, *ego promitto. Ne igitur animus veſter triſtitia perturbetur, et futuram ſortem metuat.* *εἰρήνη* vt Hebr. שלום *felicitatem* indicat. Additum legitur: *εἰρήνην τὴν ἐμήν*. Solebat nimirum Ieſus cum ſermocinando aut colloquendo doceret, ſi quid dictum obſcurius videretur, id continuato aut iterato ſermone, vel per contextum orationis, vel per ipſam collocationem verborum, vel additis, mutatisue vno aut pluribus vocabulis apertum et dilucidum reddere. Sic et h. l. addito *ἐμήν* illuſtrauit vocabulum *εἰρήνη*, quod vſurparat. *ὁ κόσμος* h. l. non ſunt homines improbi, contemtores doctrinae Chriſti, hanc enim notionem contextus non requirit, ſed ſimpliciter *homines, vulgus*. Verba *οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσι*, alii explicant: non eam felicitatem, quae his in terris eſſe ſolet, quam homines felicitatem nominare ſolent, quae fallax eſt et caduca, animum paſcere et tranquillare nequit. Alii, non eam felicitatem regni Meſſiani, quam Iudaei (*ὁ κόσμος*) promittunt. Verbum *διδόναι* notat: *promittere*, vt Latinorum *dare*, vid. ad Matth. 24, 24. *ἀφίημι relinquo*, in verſione Alexandrina reſpondet verbo הֵנִיחַ Gen. 42, 33. et עזב interdum etiam נתן, vt *ταράσσεσθαι* verbo נבהל et *δειλιᾶν* verbo מָסַס Ieſ. 13, 7. 8. Diuerſam ab ea, quam hactenus propoſuimus verborum huius verſus priorum interpretatione, protulerunt *Grotius*, *Hackſpanius*, *Schulzius*, *Langius* et *Boltenius*. Hi nimirum interpretes verba *εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν* pro mera formula valedictoria habent, vt adeo ſimpliciter notent:

valedico vobis. Et *Schulzius* quidem hanc in rem laudauit *Assemani* Biblioth. Oriental. Vol. I. p. 376. vbi occurrit formula ܝܗܒ ܫܠܡܐ *pacem dedit* pro valedixit. Sed vt iam *Wolfius*, *Rusius*, *Moschius*, alii, notarunt, non potest probari Iudaeos ita loqui consueuisse, vt h. l. Iesus locutus esse perhibetur, vtebantur potius formula valedictoria hac; שלום לך vel שלום לכם adeoque potius legi deberet h. l. vt 20, 21. *εἰρήνη ὑμῖν*, neque Iesus iam suis valedicebat, sed sermonem continuabat v. 31. v. 18, 1.

28. 29. *ἠκούσατε ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν· ὑπάγω καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς*] *audiuistis me vobis dixisse: discedo quidem a vobis, sed redibo etiam ad vos.* *ὑπάγω* referri debet ad Christi mortem eiusque in coelum reditum; verbum autem *ἔρχομαι* (id. qd. *ἐλεύσομαι*), cum respexerit Iesus paulo ante v. 18 sq. v. 23. dicta intelligi debet tam de reditu Christi ad discipulos post resurrectionem suam, quam de praesentia Christi, post ipsius in coelum reditum inuisibili, a discipulis mente percipienda. cf. not. ad v. 18. *εἰ ἠγαπᾶτε με*, *si me amaretis* i. vere amaretis, si amor vester niteretur recta cognitione muneris, officiorum meorum, si me ita amaretis vt debetis, si mei magis quam vestri amantes essetis. Discipuli Iesum quidem amabant, et colebant tanquam Messiam promissum, sed cum praeiudicatis opinionibus indulgerent, exspectarent eum regnum terrenum instituturum esse, non recte Iesum amabant et colebant. Pertinet huc regula quam scripsit *Glassius* Phil. S. p. 213. ed. *Dath.*: verba quaedam non tantum vsitatam significationem, sed etiam quandam eius quasi qualitatem, adiunctum, aut conditionem simul indicant. v. exempla ibi allata. *ἐχάρητε ἂν ὅτι εἶπον, πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα*] *laetaremini, quod dixerim, me ad patrem abiturum esse.* Sed verbum *εἶπον* plures optimae notae codd. verss. et patres omittunt, et recte illud ex ordine eiecit *Griesbachius*, cum facilius potuerit addi, quam omitti. *ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί*] *nam pater meus me maior est.*

Haec verba plures ita interpretantur: ego sum patris legatus, qui me adeo maior est, ille postulat, vt ego, vtpote Messias, moriar. Alii: maior est omnibus aduersariis meis (10, 29.), vos melius potest tueri, quam ego possum. *Storrius über den Zweck der Evangel. Gesch.* p. 460.: pater perfruitur felicitate et gloria, qua ego his in terris perfrui non possum. Verior interpretandi ratio haec est: volebat Iesus his verbis Apostolos de ipsius abitu tristissimos consolari, promiserat iis adiutorem alium, auxilium patris, accuratiorem veritatum religionis suae cognitionem, dixerat Apostolos auxiliante Deo plus effecturos esse, quam ipse efficere potuisset v. 12. sensus ergo h. l. est: pater plus efficere potest, quam ego, pater per vos doctrinae meae praecones plus efficiet ad eam inter homines propagandam, quam ipse per tam breue temporis spatium efficere potui, et vero etiam efficere possem, si his in terris porro vobiscum versarer. — 29. *Et nunc quidem haec vobis significaui*, praedixi, me abiturum esse, *vt quando euenerit, fidem mihi habere pergatis*, ne per abitum meum vestra fides atque constantia minuatur et frangatur, ne a me descifcatis, v. 16, 1.

30. *Non multa amplius vobiscum loquar, adorietur enim me princeps hominum improborum, attamen nihil contra me valebit.* ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου, vid. not. ad 12. 31. per τὸν κόσμον significantur homines improbi, Satanae similes, eiusque regni ciues, nominatim h. l. Iudaei. Itaque sensus verborum ἔρχεται ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου omnino est: instat tempus, quo me Iudaei flagitiosi interficient. Pronomen τούτου in nonnullis libris deest, sed facile omitti potuit a librariis ob ὁμοιοτέλευτον. Verbum ἔρχεσθαι notat, *inuadere, adoriri*, vt 10, 12. Luc. 12. 39. vid. *Abreschius* Dilucidd. Thucydd. p. 443. Sed ἔρχεται positum est pro ἐλεύσεται, vt sequens ἔχει pro ἕξει. Verbum autem ἔχω h. l. vt saepius vim obtinet verbi δύναμαι, vid. not. ad Marc. 14, 8. Matth. 18, 25. Iam

vero fubintelligendum eft ποιεῖν, quod verbum poft ἔχειν etiam omiffum eft Marc. 14, 8. fed plena formula extat Luc. 12, 4. ἐν ἐμοὶ pofitum pro fimplici ἐμοὶ, eft datiuus incommodi, vid. *Storrius* Opufcc. Vol. 3. p. 265. Senfus igitur eft: Satanae conatus irriti erunt, non me vincet, in vitam redibo, opus meum continuabitur, illius regnum deftruetur 16, 33. Pro ἔχει in aliis libris legitur εὑρίσκει, in aliis εὑρήσει, nunc feruata etiam priore negatione, nunc deleto οὐκ, in nonnullis οὐκ ἔχει οὐδὲν εὑρεῖν, v. *Millius*, *Bengelius*, *Wetstenius* et *Griesbachius* ad h. l. quae quidem ipfa lectionis varietas fat euidenter docet, verbum εὑρίσκειν pro interpretamento effe habendum, quod hoc fibi voluerit: in me criminis nihil deprehendet f. quae nonnullorum patrum verba funt apud *Millium*, τῶν αὐτοῦ, τῶν ἰδίων fuae pravitatis nihil deprehendit. Hunc eundem fenfum etiam nonnulli vulgatae lectioni fubftituunt; nempe ἐν ἐμοὶ pofitum effe praecipiunt pro πρός με Act. 24, 19. καὶ vertunt *quamquam* Luc. 18, 7. et fubintelligunt αἴτιον, quamquam in me nihil habet, quod culpare poffit. Sed his ambagibus non opus eft, cum fupra propofita verborum explicatio et linguae legibus et orationis feriei apprime conueniens fit.

31. *Sed quo cognofcant homines improbi me patrem amare; patris mandata exfequor;* discedo a vobis, impetum principis improborum excipio, non fugio calamitates mihi imminentes, iis lubenter me fubiicio. καὶ vt faepius Hebr. ו eft fignum apodofeos. Alii poft ποιῶ incifi notam ponunt, et vltima verba cum antecedentibus copulant, hoc fenfu: *fed vt cognofcant improbi me patrem amare, me eius mandata exfequi, furgite iam, abeamus hinc* np. morti obuiam. ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν] Disfentiunt interpretes de loco quo Iefus ea quae c. 15 — 18. leguntur, locutus fit. Alii ftatuunt hos fermones ab eo habitos effe in coenaculo, poft coenam, cum ipfe et difcipuli iam a menfa furrexiffent, ex aliorum vero fententia

habiti funt inter eundum, cum Iefus, comitantibus ipfum difcipulis in villam Gethfemane tenderet. Equidem iis accedo qui priorem fententiam tuentur. Etenim Iohannes Iefum vno tenore dicentem fiftit, nulla interiecta lectorum admonitione, ea, quae c. 15 — 18. leguntur, ab eo in via ad montem oliuarum (Luc. 22, 39.) dicta effe. Parum praeterea probabile eft, Iefum per plateas Hierofolymorum cum difcipulis ambulantem, aut in via ad montem oliuarum, cum omnes viae tempore fefti frequentes effent, clara voce, vt omnes difcipuli ipfius verba audire poffent, haec omnia locutum effe, et preces etiam, quas c. 17. continet, fudiffe. Fingunt igitur interpretes illi, qui Iefum hos fermones in via habuiffe autumant, eum difcipulos per deuia duxiffe ad villam Gethfemane. Prouocant iidem etiam ad imaginem c. 15, 1 fqq. a vite defumtam, monent, Iefum fimilitudines, quibus fermones doctrinamque fuam illuftraret, a rebus praefentibus, iisque fub fenfus cadentibus depromere folitum effe, atque inde colligunt, eum propterea imaginem a vite deductam adhibuiffe, quod ipfi per medias vineas iter faciundum fuiffet. Sed et in ipfo coenaculo cauffae non deerant imaginem a vite defumendi. Vinum in menfa appofitum, τὸ γέννημα τοῦ ἀμπέλου, vid. Matth. 26, 29. ad comparationem illam c. 15, 1. deducebat. Ipfa etiam coenatio profpicere poterat vineas, furgenti a coena Iefu fub adfpectum venientes, vid. *Storrius* Opufcc. T. 3. p. 266. fortaffis etiam vitibus iugatis exterior paries aedium ita erat veftitus (Pf. 127, 3.), vt per feneftras coenaculi lampadibus illuftrati farmenta et palmites confpici poffent, vid. *Knappius* Opufcc. p. 304. Praecipue autem obftat illorum fententiae, qui in itinere, quae c. 15 fqq. memorantur, dicta putant, locus c. 18, 1. vt enim ibi ἐξῆλθε cum *Schulzio* pro fimplici ἦλθε pofitum putetur, vfus loquendi non permittit, fed verba: ταῦτα εἰπὼν ἐξῆλθε — πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων reddi debent: *his dictis, cum difcipulis vrbe egreffus, torrentem Cedronem tranfiit*, iis in locis qui in contrarium

afferuntur, verbo ἐξέρχεσθαι notio exeundi ineſt, vid. et *Langii Erklärung des Evang. Joh.* p. 395. Ea igitur, quae c. 13. 1 — 30. continentur, verba *Knappii* l. c. mea facio, praeſente Iuda Cariothenſi acta ſunt; reliqua Chriſtus, eo abſente, *partim* accumbens adhuc cum ſuis in conuiuio (c. 13, 31 — c. 14, 31.), *partim* poſteaquam ſurrexerant (c. 15, 1 — c. 17, 26.), locutus eſt. Illis quidem verbis 14, 31., ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν, ſignificatur, ſurgendum iam eſſe, diſceſſumque parandum: ſed qui c. 15 — 17. ſequuntur ſermones, ita cohaerent cum ſuperioribus, vt his continuo ſubnexi, et *ante diſceſſum* ex vrbe eodem in coenaculo habiti videantur; praeſertim cum Ieſus c. 18, 1. poſtquam haec locutus erat, tum demum vrbe exiiſſe dicatur cum diſcipulis.

CAPVT XV.

1. Cohortatur Chriſtus c. 15. 16. Apoſtolos, futuros religionis ſuae doctores v. 16. 26. 27. vt conſtanter doctrinam ſuam retineant, atque officiis ſuis, tanquam veri ipſius miniſtri, legati, et diſcipuli, rite et accurate fungantur, et ſic cum ipſo coniuncti maneant. Simul iis, ſi ſalua coniunctio manſerit, promittit bona, gerendo nominatim muneri neceſſaria v. 2. 7. 26. beniuolentiam et approbationem ſuam atque Dei conſtantem. Comparat autem Chriſtus initio cap. 15. ſe cum *vite*, qua imagine ſeſe deſcribit tanquam auctorem religionis ſalutaris, ducem et doctorem Apoſtolorum, miniſtrorum ſuorum, per quem, vt palmites a vite ſuccum et vim creſcendi accipiant, Apoſtoli vim et facultatem accipiant recte agendi et munere ipſis demandato rite fungendi. Apoſtolos comparat cum *palmitibus*, Deum cum *vinitore*, qui vitem plantauerit (a quo ipſe doctor diuinae religionis conſtitutus ſit), qui fertilitatem vitis promoueat, adeoque palmites curet et foueat v. 2. ad

quem fructus vitis et palmitum, et iudicium de palmitibus pertineat v. 2. 8. Neque haec imago, qua Iesus h. l. vsus est, Iudaeis insolens et inusitata erat. Pluribus enim in locis V. T. populus Iudaicus comparatur cum vinea a Deo plantata, vt Ies. 5, 1 sqq. Ioel 1, 7. al. Dixit autem Iesus se h. l. τὴν ἄμπελον τὴν ἀληθινὴν *vitem veram*, hoc nomine dignam, praestantissimam h. e. remoto tropo, ducem et doctorem discipulorum, ministrorum legatorumque suorum verissimum, praestantissimum, qui nobiliori modo id iis praestet, quod vitis soleat praestare palmitibus, qui omnem ex vite succum trahant. Simili modo se dixit φῶς ἀληθινὸν 1, 9. vbi v. ἄρτον ἀληθινὸν 6, 32. γεωργὸς *agricola* est h. l. id. qd. ἀμπελουργὸς *vinitor*, vid. ad Matth. 21, 33.

2. πᾶν κλῆμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρον καρπὸν κ. τ. λ.] *omnem palmitem, mihi adhaerentem*, (ἐν ἐμοὶ scl. ὂν) *fructum non ferentem resecabit.* κλῆμα μὴ φέρον καρπὸν, *palmitem sterilem* h. e. discipulum non fideliter officio, munere docendi, perfungentem. αἴρει *resecabit*, talem discipulum et ministrum improbabit et repudiabit pater, talis iacturam salutis suae faciet. αἴρειν *amputare, resecare*, Hebr. הָסִיר Gen. 35, 2. Hom. Il. 17, 724. Pronomen αὐτὸ redundat, de quo pronominis pleonasmo vid. *Vorstius* de Hebraism. N. T. p. 550. ed. *Fischer.* καὶ πᾶν τὸ καρπὸν φέρον, καθαίρει — φέρῃ] *ferentem vero purgabit, quo plures fructus ferat.* καθαίρει augebit scientia, indies magis erroribus liberabit, officiisque praestandis idoneum reddet. Verbum καθαίρειν proprie dicitur de agricolis et vinitoribus, qui inutilia sarmenta falce amputant, quo laetiores fructus arbores et vites ferant, vt ap. Philon. de Somn. p. 1116. E. vid. *Loesnerus* ad h. l. Cicero de Senect. 15. *vitem serpentem multiplici lapsu et erratico ferro amputans coercet ars agricolarum, ne siluescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur.* add. Columella 4, 24. ἵνα

πλείονα καρπὸν φέρῃ quo felicius munere officiisque suis fungi possit.

3 — 5. ἤδη ὑμᾶς — λελάληκα ὑμῖν] *vos iam purgati estis per doctrinam, quam vobis tradidi,* iam per doctrinam meam ignorantia, erroribus liberati, muneri praeparati estis. Adiecit haec Iesus, vt ostenderet, quae v. 2. dixisset, intelligenda esse de cognitionis incrementis quae capturi essent. — 4. μείνατε ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν] *manete mecum coniuncti, sicuti ego (tum) vobiscum coniunctus manebo,* μείνατε ἐν ἐμοὶ h. l. est, constanter tenete doctrinam, quam vobis tradidi; nam v. 7. verbis: ἐὰν μείνητε ἐν ἐμοὶ, *si mihi coniunctissimi manseritis,* adiecta leguntur haec: καὶ τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ, *et doctrina mea vobis infixa manserit.* καθὼς τὸ κλῆμα οὐ δύναται κ. τ. λ.] *sicuti palmes per se ipsum, fructum edere nequit, nisi cum vite coniunctus manserit, ita nec vos, nisi mecum coniuncti manseritis.* ἀφ' ἑαυτοῦ sponte, accuratius definitur: ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ, ergo, auulsus, separatus a vite, a qua succum et vim fructiferam accipit. Iam si haec ad Apostolos transferuntur, sensus est: non potestis officiis vestris perfungi, legati et interpretes mei esse, doctrinam meam latius propagare, nisi hanc ipsam meam doctrinam constanter retinueritis, atque ita mecum coniuncti manseritis. χωρὶς ἐμοῦ scl. ὄντες i. e. χωρισθέντες ἀπ' ἐμοῦ, a me quasi auulsi et separati οὐδὲν δύνασθε ποιεῖν, nihil eorum quae vobis legatis meis agenda sunt praestare, nec mei discipuli atque ministri dici poteritis.

6. *Qui mihi non adhaeserit,* a me meaque doctrina desciuerit, *foras proiicietur, sicuti palmites qui exaruerunt, quos colligent, ignique dabunt cremandos.* ἐβλήθη ἔξω, καίεται, omissa imagine notat: is poenis afficietur, salutis iacturam faciet, vid. not. ad Matth. 13, 30. 40. 3, 10. Singularis κλῆμα vim obtinet pluralis, nam sequitur συνά-

γουσι αὐτά. Legitur quidem in nonnullis libris *αὐτό*, fed haec fcriptura originem fuam debet librariis, qui *αὐτά* mutarunt in *αὐτό*, quoniam praeceffit *κλῆμα* et fequitur *καίεται*, quique non viderent *συνάγουσι* vni palmiti non conuenire. Aoriftus *ἐβλήθη* vim futuri habet, vid. *Glaffius* Philol. S. p. 306. ed. *Dath*. vt *καὶ* vim pronominis *ὃ*, vid. ad Marc. 2, 5. *σύναγουσι, βάλλουσι* imperfonaliter pofita funt, vid. Luc. 16, 4. 6, 38. *Glaffius* l. c. p. 246 fq.

7. 8. *ἐὰν μείνητε — μείνῃ*, vid. ad v. 4. *ὃ ἐὰν θέλητε αἰτήσεσθε, καὶ γενήσεται ὑμῖν*] *tum quodcunque petieritis, vobis concedetur*. Suam et patris opem promittit difcipulis legatisque fuis fidelibus et conftantibus, in munere gerendo. cf. v. 16. 16, 23. 24. Senfus ergo eft: quodcunque muneris veftri, propagandae religionis meae cauffa petieritis, vobis continget, v. 14, 13 fq — 8. *ἐν τούτῳ ἐδοξάσθη κ. τ. λ.*] *ea enim re pater meus illuftrabitur* (aoriftus pro futuro), maieftas Dei agnofcetur, numerus cultorum Dei augebitur, vid. 12, 28. 13, 32. *fi largos fructus profertis*, fi officiis legatorum meorum exacte fatisfacitis, munus vobis commiffum fideliter adminiftratis. *ἵνα* eft id. qd. *ἐάν, ὅταν*, vt v. 13. 3 Ioh. 4. vid. et *Schleufneri* Lex. h. v. *καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί*] *et vos eritis mei difcipuli*; cum iam effent Chrifti difcipuli, per fe intelligitur, haec verba explicanda effe: et fic apparebit vos effe meos veros et genuinos difcipulos, *ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε* 13, 35. Verba quae *fieri, effe*, vel *agere* fignificant, quandoque pro rei *cognitione* ponuntur *Glaffius* Phil. S. p. 225. Vltima verfus verba nonnulli coniungunt cum *ἵνα κ. τ. λ.* ita vero fcribi debuiffet, *γένησθε*, vt in nonnullis codd. ex interpretamento legitur, vid. *Beza* ad h. l.

9—11. *Quemadmodum pater me amat, ita ego vos amo, feruate ergo etiam vos veftrum erga me amorem*, vt porro amore meo digni reperiamini. *ἀγάπη ἐμή*, amor

erga me, vt v. 10. ἀγάπη μου, fic Luc. 11, 42. ἀγάπη Θεοῦ, *eſt amor erga Deum*. Confirmat hanc interpretationem locus 14, 23, 24. καὶ μένω αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγάπῃ, *conſtanti amore eum amplector* np. mandata patris exſequendo. — 11. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν — ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ] *haec*, vt me amare pergatis, praeceptis meis conſtanter obtemperetis, officiis veſtris fatisfaciatis, *dixi vobis, vt mea de vobis laetitia*, de veſtro amore, obſequio, fide, ardore, ſtudio, *eſſet perpetua, et vobis contingeret laetitia perfecta*, v. 1 Ioh. 1, 4. 2 Ioh. 12. χαίρειν ἐν τινὶ eſt laetari de aliqua re, χαρὰ ἐν σοί, gaudium quod ex te capio. Itaque ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν eſt, *gaudium meum de vobis*, ab hoc gaudio diſtinguitur ἡ χαρὰ ὑμῶν, vt recte, mea ſententia, iudicarunt *Heumanus, Thalemanus, Reichardus, Schottus* (in verſſ. Latt. Eu. Ioh.), alii. ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ eſt, vt monitis meis obtemperantes, retinentes doctrinam meam, muneris veſtri officiis fatisfacientes, percipiatis gaudium pleniſſimum, limpidiſſimum, ſummum (v. 3, 29. 17, 13.), cum ſcilicet ſciatis, me vos, miniſtros meos fideles, amare 9. 10. vos frui fauore et auxilio Dei v. 7. 16, 24. vos eſſe mecum coniunctos v. 4. 5. *Noeſſeltus* Opuſcc. T. 2. p. 39 ſq. praeeuntibus aliis, verba noſtra ita explanat: *vt veſtrum de me gaudinm maneret ſ. conſtans vobis adeſſet, et perfectum redderetur*, atque adeo ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ et ἡ χαρὰ ὑμῶν, voces idem valentes eſſe, et ἡ χαρὰ ὑμῶν ſine idonea ratione vim habere putat interpretandae alterius χαρᾶς. Per τὴν χαρὰν autem intelligit gaudium quod Apoſtoli, de Ieſu diſceſſu triſtes atque ſolliciti, percipere deberent ex eius profectione in coelum. Senſus ergo verborum eſſet: haec dixi, vt laetitia, quam ex meo diſceſſu percipere debetis, conſtans eſſet et perfecta redderetur. Sed prior verborum interpretatio, plurium adſtipulatione comprobata, vtpote ſimplicior et legibus linguae conſentanea, quaue admiſſa ſententia ſatis apta atque concinna procedit, omnino praeferenda videtur.

12—14. Cap. 13, 34. 35. Iesus Apostolos admonuerat, vt se inuicem amore prosequerentur, et suum in amando exemplum sequerentur, atque declararat, inde omnes intellecturos esse, ipsos esse genuinos suos discipulos. Supra v. 8. professus erat, Apostolos, si suam doctrinam seruarent, et muneris ipsis demandati officiis satisfacerent, eo ipso ostensuros esse, se veros et genuinos Christi ministros esse et discipulos. Memorarat porro supra v. 9. suum erga discipulos amorem, eosque excitarat, vt ipsum constanter amarent. Apposite igitur iam v. 12 ss. eos cohortatur, vt, si vellent discipuli sui veri ac genuini esse, atque muneris officiis feliciter perfungi, mutuo se inuicem amore prosequerentur, et magistri in amando exemplum imitarentur. ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμὴ praeceptum mihi, meae disciplinae proprium, supra 13, 35. ἐντολὴ καινή, vid. ibi notata. καθὼς *ad modum, ad exemplum, similitudinem,* Matth. 5, 48. Luc. 6, 36. etc. ἠγάπησα amaui et amo. — 13. μείζονα ταύτης κ. τ. λ.] vid. ad 13, 35. omnino his verbis amor plane eximius, tenerrimus, Christi exemplo commendatur. ἐστὲ pro ἔσεσθε, vt 8, 31. al.

15. Plerumque hunc versum ita interpretantur: *non amplius vos seruos dico,* vt dixi, laudant 12, 26. 13, 13 ss. Matth. 10, 24. 25. vel: *non amplius vos tracto vt seruos;* obseruant, Rabbinos discipulos suos primo paulo durius tractasse, eos magistris seruilia quaedam officia praestare debuisse, postea vero, cum in doctrinis ipsorum magis profecissent, liberalius et honorificentius a magistris tractatos esse, v. *Schoettgenius* Horr. Hebrr. ad h. l. ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους κ. τ. λ. *sed nunc amicos vos dixi* v. 14. vel: *vt amicos meos vos tracto, nam omnia quae a patre accepi,* nunc *vobis patefeci,* vobis consilia patris, de morte mea, resurrectione, reditu in coelum exposui. At enimuero Iesus discipulos suos paulo post v. 20. rursus cum δούλοις comparat, praeterea non nunc demum, sed iam antea eos vocauerat φίλους, v. Luc. 12, 4. semper discipulis suis fami-

liariffime vfus erat, iisque vltima fua fata iam dudum aperuerat. v. Ioh. 6, 53. Matth. 16, 21 fs. al. Itaque praeferenda mihi videtur *Wolfii* et *Mofchii* (*Leidensgefch.* p. 244.) ratio, qui verba οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλους vertunt: *non tantum vos feruos f. miniftros dixi et qua tales tractaui.* Scilicet οὐκέτι haud raro vim obtinet particulae οὐκ v. not. ad Marc. 7, 12. et οὐκ perquam frequenter ita ponitur, vt reddi debeat: *non tantum*, v. *Glaffius* Phil. S. p. 419 fq. *Feffelius* Aduerf. Sacr. 4, 3. p. 329. Praefens λέγω vim habet praeteriti, vt faepius. Sed οὐκέτι ὑμᾶς λ. δ. exprimi debet, *non tam* vos miniftros dixi *eorumque loco habui*, nam fequitur: ὅτι ὁ δοῦλος οὐκ οἶδε τι ποιεῖ αὐτοῦ ὁ κύριος. Vocabulum autem δοῦλος de Chrifti difcipulis adhibitum, non duriori fenfu accipiendum eft, ita, vt indicet hominem, qui inuitus fub iugum coactus eft, qui a domino contemnitur, dominum feruiliter metuit, fed omnino indicat eum, cuius minifterio aliquis vtitur, qui mandata accipit, miniftrum, fubditum, nam Ioh. 12, 26. commutatur cum nomine διάκονος. — ὅτι ὁ δοῦλος οὐκ οἶδε τί ποιεῖ αὐτοῦ ὁ κύριος] *minifter enim nefcire folet, quid dominus agere velit* (ποιεῖ agere *velit*, v. ad 8, 27. 10, 16.) non ita familiaris eft domino minifter, vt cum eo ille omnia confilia communicet, rationemque ei praeceptorum reddat, fatis habet, quae velit, iuffiffe. ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, *fed potius vos amicos dixi et qua tales tractaui.* ὅτι πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου, ἐγνώρισα ὑμῖν, *omnia enim quae a patre meo accepi, vobis aperui.* At c. 16, 12 f Iefus affirmat: fe multa adhuc Apoftolis dicenda habere, quae tamen nondum capere poffent, fed τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας eos accuratius edocturum effe. Itaque πάντα cum reftrictione intelligendum, omnia quae pater vos per me fcire voluit, vobis, tanquam amicis meis, expofui.

16. 17. A me amicitiae initium factum eft, officiis veftris me non ad amicitiam prouocaftis, vt vos redamare debuerim. ἐξελεξάμην ὑμ. φίλους, vos felegi amicos et fa-

miliares, non vos me delegistis amicum. *καὶ ἔθηκα ὑμᾶς, et vos constitui.* *τιθέναι* vt Hebr. שׂוּם perquam frequenter notat *constituere*, v. Act. 13, 47. 20, 28. Rom. 4, 7. Hebr. 1, 2. al. *ὑπάγητε* ex Hebraismo satis noto redundat, vt Matth. 18, 15. 19, 21. etc. *ἵνα καρπὸν φέρητε*, vt officiis vestris satisfaciatis, doctrinam meam latius propagetis, v. 5, 8. *καὶ ὁ καρπὸς ὑμῶν μένῃ*, *vt fructus vestri perennes sint*, nunquam marcescentes. Fructus quos ferre debebant Apostoli, erat diligens muneris administratio, doctrinae Christi propagatio; hi fructus marcescebant, si non fideliter munus administrabant, doctrinam propagare intermittebant; sensus ergo est: vt constanter, per omnem vitam vestram, munere vestro fungamini, doctrinam meam propagetis. Haec diligens muneris administratio hunc euentum habebit, cum hoc emolumento coniuncta erit: *ἵνα ὅ, τι ἂν αἰτήσητε τὸν πατέρα κ. τ. λ. vt impetraturi sitis quaecunque a patre, meo nomine petieritis*, vid. not. ad v. 7. — 17. *ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους*] *haec* vobis in memoriam reuocaui, de amore in vos meo *dixi*, *vt vos inuicem ametis*, quo magis vos ad amorem mutuum, et exempli mei in amando imitationem excitarem. *ἐντέλλομαι dico, inculco*, in versione Alexandrina respondet verbis אָמַר et דִּבֶּר Ios. 4, 12. 11, 23. Esth. 2, 15. al.

18. 19. Annuntiat iam discipulis, ipsos vtpote disciplinae suae alumnos, doctrinaeque suae praecones inuisos fore hominibus improbis, eosque suo ipsius exemplo erigit. *εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ — μεμίσηκεν*] *si vos improbi oderint, reputate, eos me prius odisse. γινώσκειν, reputare, cogitare*, vt Matth. 24, 39. add. 1 Petr. 5, 9. cf. *Abreschius* Dilucc. Thucydd. p. 392. *πρῶτον* pro *πρότερον prius, antea.* — 19. *εἰ ἐκ τοῦ κόσμου ἦτε*, si ex numero doctrinae meae contemtorum, iis similes essetis, v. Ioh. 8, 23. 44. *τὸ ἴδιον* pro *τοὺς ἰδίους*, eandem cogitandi agendique rationem sequentes. *ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου*, sed ego

vos ex hominum iftorum numero felegi, et in familiaritatem meam recepi.

20. 21. *Memores eftote dicti mei*, τοῦ λόγου οὗ εἶπον pro ὃν ἐγὼ εἶπον ὑμῖν, vid. ad 7, 39. οὐκ ἔϛι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ, minifter neque poteft, neque debet meliorem fortem exfpectare, quam dominus, non debet mirari, fi ipfi accidat, quod domino, v. Matth. 10, 24. Luc. 6, 40. εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσιν] interpretes nonnulli haec verba reddunt: *fi meum fermonem* l. *doctrinam, infidiofe obferuarunt, etiam veftrum infidiofe obferuabunt*. Ex eorum ergo fententia τηρεῖν pofitum eft pro παρατηρεῖν, ad quam fententiam fuam ftabiliendam prouocant ad vfum loquendi interpretum Alexandrinorum, qui hoc fignificatu adhibuerint verbum τειρεῖν, Gen. 3, 15. Ier. 20, 10. His tamen in locis non occurrit formula τηρεῖν τὸν λόγον, et in libris N. T. atque ipfis Iohannis commentariis formula λόγον τηρεῖν femper bono fenfu occurrit, ita vt fit, *doctrinam obferuare*, vt fupra v. 10. eadem igitur vis verbi h. l. retinenda eft. Alii haec verba ironice dicta putant: *vt meam doctrinam obferuarunt*, quod minime factum effe noftis, *ita et veftram obferuabunt*. Durius. Alii bono fenfu haec interpretantur: *cum meam doctrinam admiferint et obferuarint, etiam veftram obferuabunt*, vt adeo Chriftus triftia fata praedicens difcipulis, hoc folamen adiecerit, non omnes contemturos effe ipforum doctrinam, fore etiam qui eam amplectantur. Sed huic interpretationi repugnat nexus tum cum antecedentibus, tum inprimis cum proxime fequentibus, v. 21. ταῦτα πάντα ποιήσουσιν κ. τ. λ. v. 22. εἰ μὴ ἦλθον καὶ ἐλάλησα κ. τ. λ. Praeoptanda igitur mihi videtur eorum ratio, qui verba ita interpretantur; *fi meam doctrinam admififfent et obferuaffent, etiam veftram admitterent et obferuarent* (v. 22. εἰ μὴ ἦλθον κ. τ. λ. fi non veniffem etc.) i. vt meam doctrinam non amplexi funt, ita nec veftram amplectentur. — 21. ἀλλὰ ταῦτα — μου] *ita fe gerent erga vos mea cauffa*. διὰ τὸ ὄνο-

μά μου id. qd. *ἕνεκεν ἐμοῦ*, Matth. 10, 22. quoniam meam doctrinam profitemini. Pro *ποιήσουσιν ὑμῖν* in aliis libris legitur *εἰς ὑμᾶς*, quam lectionem pro genuina habendam esse puto, cum haec loquendi forma insolentior sit. Exod. 34, 7. *ὁ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας. ὅτι οὐκ — με*, *quoniam non norunt eum qui me misit*, intelligere, credere nolunt, Deum me misisse, me esse voluntatis ipsius interpretem, Messiam.

22. 23. *εἰ μὴ ἦλθον*, *sie non venissem* np. *εἰς τὸν κόσμον*, si non a Deo missus essem, v. 1, 9. *καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς*, *ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον*, *eosque edocuissem*, *non haberent peruicaciae culpam*, non potuissent contemnere et pertinaciter repudiare quae non didicissent. *ἁμαρτία*, vt 16, 9. al. intelligi debet de contemtione doctrinae diuinae pertinaci. *πρόφασις*, *caussa quam quis affert siue sit vera siue falsa*, *excusatio*, *praetextus*, hinc *προφάσεις ψευδεῖς*, Hos. 10, 4. *πρόφασις δικαία* Xen. Anab. 7, 6. 16. *πρόφασις ἀληθεστάτη* Thuc. 1, 23. Phil. 1, 18. vbi v. *Raphelius* Obss. Polybb. Hesych. *πρόφασις*, *αἰτία*. Phauorinus: *πρόφασις*, *καὶ ἡ ἀληθής*, *καὶ ἡ ψευδὴς αἰτία*. — 23. *Qui me odit*, *patrem odit*, nam sum Dei legatus, mea doctrina est patris doctrina, mea opera sunt patris, v. 5, 19 ss. 14, 7. 9 ss. 10, 37.

24. *εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς κ. τ. λ.*] *si non insignia facta inter eos edidissem*, *quae nemo alius edidit*, *contumaciae non tenerentur rei*. Dissident inter se interpretes, quo sensu Iesus dixerit, *τὰ ἔργα ἐποίησα*, *ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν*. Alii statuunt eum respexisse miracula a Mose et prophetis patrata; alii contra monent, Mosen et prophetas aeque insignia facta edidisse, neque adeo de his h. l. cogitari posse. Hinc alii arbitrantur Iesu verba referenda esse ad praestigias eorum, qui Messiae personam agere sustinuissent, alii vero vocem *ἔργα* non de miraculis interpretandam esse contendunt. Sed per se

parum probabile est, Iesum, in hac orationis serie, sua insignia facta comparasse cum praestigiis eorum, qui Messiae personam induissent, nec probari potest ante Christum extitisse, qui sibi Messiae dignitatem arrogassent. Praeferenda ergo est eorum sententia, qui statuunt, Iesum, qui in antecedentibus se legatum diuinum et Messiam descripserit, sua insignia facta cum Mosis prophetarumque factis comparasse. Qui hanc sententiam tuentur, obseruant: etsi concedatur Mosen et prophetas quaedam insignia facta edidisse, ipsam tamen historiam docere, Iesum ab eo inde tempore, quo initium fecisset publice docendi, vsque ad eum diem, quo quae h. l. diceret, tot ac tam benefica edidisse facta insignia, vt iure suo affirmare posset, neminem alium tot ac talia ἔργα, (tam exiguo potissimum temporis spatio) perfecisse, vid. *Moschius* in *Bibelfreund* Th. 3. p. 224 ss. *Storrius* in *Flatti Magazin für christl. Dogmatik u. Moral* St. 2. p. 84 ss. *Storrius* in Opuscc. Vol. 3. p. 152. *Schottus* in Diss. de consilio, quo Iesus miracula ediderit etc. P. 1. p. 41. Qui per ἔργα h. l. non innui posse putant *miracula*, eorum alii hoc vocabulum ad *solam docendi prouinciam* referunt. At enimuero, vt iam ad 5, 19. notatum est, demonstrari nequit, ἔργα ποιεῖν esse idem quod διδάσκειν, existeret praeterea, hac interpretatione admissa, ingrata et frigida tautologia, ob ea quae v. 22. leguntur. Alii per ἔργα intelligunt Christi agendi rationem, voluntati Dei consentaneam, facta honestatis Deo probatae studium declarantia. Verum nulla idonea afferri potest ratio, cur his terminis vis ac potestas vocabuli ἔργα describatur, nec fauent huic interpretationi alii loci, nempe Matth. 11, 21. 23. ib. v. 5. vbi Iesus ad insignia sua facta prouocat, cum Iudaei a Messia miracula exspectarent; Ioh. 14, 10. 11. qui locus nostro perquam similis est, vbi Christus ad comprobandam necessitudinem quae inter ipsum et Deum intercedat, partim ad doctrinam suam, partim ad ἔργα sua prouocat. Sic hoc quoque loco duas caussas affert, quare

Iudaei, qui ipfius legationem agnofcere nollent, non haberent quo fe excufarent, alteram inde defumtam, quod ipfe eos de fua legatione diuina edocuerit v. 22. alteram a factis infignibus ab ipfo editis v. 24. ἑωράκασι fcilicet τὰ ἔργα. vid. et not. ad 5, 36.

25. ἀλλ' ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος κ. τ. λ.] *fed hoc factum eft* l. *fieri oportebat, vt et de me valeret, quod in libris ipforum facris fcriptum extat, fine iufta cauffa me oderunt;* femper hic mos improborum fuit, vt pios ac probos odio perfequerentur, mihi non alia fors contingere potuit. ἀλλὰ fcl. τοῦτο γέγονε, v. Marc. 14, 49. coll. Matth. 26, 56. νόμος v. ad 10, 34. verba ipfa defumta funt e Pf. 35, 19. 69, 4. vbi Dauides de fe fuisque fatis loquitur; in textu Hebraico ibi legitur: שׂנאי חנם quae verba Alexandrini expreſſerunt: οἱ μισοῦντές με δωρεάν.

26. 27. Quamquam vero me odio perfequuntur, meamque doctrinam repudiant, mea tamen cauffa promouebitur, neque carebit defenforibus, doctrina mea, vbi vobis auxiliante Deo plenior et accuratior cognitio contigerit, per vos vi diuina adiutos latius propagabitur. παράκλητος, πνεῦμα τῆς ἀληθείας vid. ad 14, 16. 26. ὃν ἐγὼ πέμψω, *quem a patre mittam*, qui vobis, meo rogatu, a patre concedetur, coll. 14, 16. ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται] *qui a patre exit* i. ab eo mittitur, vobis conceditur, Ioh. 14, 26. ὃ πέμψει ὁ πατήρ. Neque in verbo compofito ἐκπορεύεται emphafis quaerenda eft, idem plane valet ἐκπορεύεσθαι quod fimplex πορεύεσθαι vel ἔρχεσθαι, coll. 16, 7. 8. et refpondet Hebraeorum בוא Iof. 15, 18. ἐκεῖνος pro ἐκεῖνο, per enallagen generis, nam praeceffit πνεῦμα, cf. locos fimiles Ioh. 16, 13. 14. Matth. 28, 19. μαρτυρήσει] *edocebit vos accuratius;* μαρτυρεῖν id. qd. διδάσκειν, vt v. 27. 7, 7. 14, 26. 1, 7. 18, 37. et μαρτύριον, *doctrina*, Sir. 45, 17. περὶ ἐμοῦ, de mea perfona, dignitate, negotio a patre mihi demandato, doctrina

mea. μαρτυρεῖτε pro μαρτυρήσετε, *docebitis*. ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐςε] *cum ab initio*, muneris mei Act. 1, 1. *mecum fueritis*, fuiſtis αὐτόπται rerum a me geſtarum, doctrinae meae auditores; interioris admiſſionis diſcipuli, non ergo dubitari poterit de iis quae vos vidiſtis et audiviſtis. Formula μετά τινος εἶναι omnino coniunctionem et ſocietatem indicat, v. Matth. 12, 30.

C A P V T XVI.

1. 2. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε] *haec vobis dixi, ne a me deficiatis*, ne vobis praeter exſpectationem accidant, vosque ita perturbent, vt a doctrina mea deſciſcatis. ταῦτα calamitates et perſecutiones vobis imminentes, coll. 15, 17 ſſ. σκανδαλίζεσθαι, de iis dicitur, qui per calamitates ob Chriſti doctrinae profeſſionem perferendas eo adducuntur, vt ab hac doctrina deſciſcant, v. ad Matth. 13, 21. — 2. ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς vid. not. ad 9, 22. ἔρχεται pro ἐλεύσεται, *veniet tempus quo*. ἵνα pro ὅτε, vt v. 32. vid. ad 12, 23. Particula autem ἀλλὰ vel reddi poteſt *ſane, vtique*, vid. ad 8, 26. vel *quin imo*, Hebr. לכן v. Iob. 32, 7. 2 Sam. 13, 2. ibique τοὺς ό· Act. 6, 13. 2 Cor. 2, 11. v. *Palairetus* Obſſ. p. 259. δόξῃ λατρείαν προςφέρειν τῷ Θεῷ] *ſacrificium Deo gratum ſe offerre exiſtimet*. Vocabulum λατρεία etiam Syrus interpres et Arabs de *ſacrificio* intellexerunt, quam explicationem adiectum verbum προςφέρειν, quod de oblatione ſacrificiorum κατ' ἐξοχὴν ponitur, aperte confirmat, v. Matth. 5, 23. 24. Sic quoque עבד λατρεύειν haud rarenter ponitur pro זבח *ſacrificare*, vt Exod. 8, 16. vbi legitur: ἵνα μοι λατρεύσωσι, ויעבדני ſed v. 21. ἐλθόντες θύσατε זבחו τῷ κυρίῳ· add. ib. 10, 7. 24. Opinabantur autem Iudaei Apoſtolos perſequentes, ſe Dei cauſſam agere, pro religione Moſis pugnare Act. 6, 13 ſq. Rom. 10, 2. *Bammidbar* R. 21. ad Num.

25, 13. *omnis effundens sanguinem improborum aequalis est illi, qui sacrificium offert.* Sensus ergo omnino est: putabit se pietati in Deum satisfecisse, Dei caussam egisse. Alii verba nostra reddunt: *cultum Deo gratum se praestare existimet.*

3. 4: ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα, οὐδὲ ἐμὲ, vid. 15, 21. 22.— 4. ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα, vt vbi illud tempus calamitosum accesserit. ὥρα vid. ad Matth. 26, 39. 35. ταῦτα δὲ ὑμῖν — ἤμην] *haec vobis ab initio non dixi, quoniam apud vos eram.* Quae de calamitatibus a vobis perferendis iam praedixi, ea initio muneris mei propterea vobis non annuntiaui, quoniam diutius vobiscum versabar, ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην, poteram harum calamitatum praedictionem, sine detrimento vestro, in aliud tempus differre, nunc vero temporis de sorte vestra futura non amplius reticere potui, etsi haec praedictio vestram tristitiam augeat v. 6. nam mihi a vobis discedendum, breui ad patrem, qui me misit, redeundum est v. 5. Affirmat ergo Christus h. l. se discipulis calamitates ab iis subeundas, neque initio muneris, neque postea praedixisse, sed distulisse hanc praedictionem ad extremum vitae suae tempus. At enimuero saepius locutus est Iesus de calamitatibus et periculis propter doctrinam suam imminentibus et subeundis, v. Matth. 10, 16 sqq. 5, 10 sqq. 9, 15. Varias interpretes ingressi sunt vias, quibus ex hac difficultate se extricarent. Ac *Lampius* quidem existimat, Iesum his verbis non tam calamitates ipsas, quam *caussam earum*, nempe odium Iudaeorum spectasse, eumque igitur hoc affirmasse, se nondum discipulis aperuisse, Iudaeos eo progressuros esse, vt etiam existimaturi sint se Deo gratam hostiam Apostolorum morte exhibituros esse, adeoque sub specie religionis ac pietatis eos oppressuros esse. Sed omnis verborum complexio satis aperte docet ταῦτα referendum esse ad calamitates ipsas discipulis imminentes. *Storrius* Opusce. T. 3. p. 155. verba v. 4. vltima refert ad παράκλητον mittendum; et

locum noftrum ita explanat: *ifta* (de odio, in quod venturi fitis) dixi, ne offendatis in me. v. 4. *ifta*, inquam, dixi, vt, cum aderit tempus, reminifcamini ea — *haec vero* (de miffione Sp. S. vobis de me teftimonium dicturis praefidio futuri 15, 26 f.), *non olim* tradidi, quia vobiscum eram, *nunc* vero, cum in eo fim, vt discedam a vobis (16, 5.), de hac cauffa, quae lugentibus disceffum meum (v. 6.) adhibere poteft maximam confolationem (v. 7.), non poffum non praecipere v. 8 fs. Notat praeterea *Storrius*, non obftare huic interpretationi duplex ταῦτα, cum Graeca dicendi confuetudo flagitaffet ἐκεῖνα, repetitum enim effe ταῦτα ex vfu loquendi Hebraico coll. Cohel. 3, 19. 1 Cor. 6, 13. Hanc vero loci explicandi rationem contortam quoque effe atque coactam, quis eft qui non intelligat? Recte omnino affirmare Iefus difcipulis potuit, fe non initio muneris fui praedixiffe calamitates, quae ipfis poft fuum disceffum inftarent. Nam Matth. 5, 10 fs. fermo eft de calamitatibus, quibus Chrifti fectatores premerentur tum, cum Chriftus ipfe adhuc his in terris verfaretur. Apud Matth. 9, 15. obfcurius loquitur Chriftus de fuo disceffu, nec ibi fermo eft de calamitatibus ab Apoftolis fustinendis. Quae autem Matth. 10, 16 fs. leguntur, ea Iefus, vt quae h. l. notata reperiuntur, paulo ante mortem fuam (Marc. 13, 9. Matth. 24, 9. Luc. 21, 12.) dixit. vid. ad Matth. 10, 17.

5. 6. Verba v. 5. priora: νῦν δὲ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με, cum antegreffis accurate cohaerent; nunc vero, munere meo ad finem properante, et me ad eum qui me mifit redituro, non amplius hunc fermonem differre potui. Poft verba πέμψαντά με, puncti nota ponenda eft, atque poft interuallum demum, cum fruftra Iefus exfpectaffet interlocutionem fiue interrogationem difcipulorum, adieciffe putandus eft verba: καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐρωτᾷ με· ποῦ ὑπάγεις; quae interrogatiue accipienda puto: *nullusne veftrum me amplius interrogat*, f. *interrogare cupit*,

quo abiturus fim? particula enim *καὶ* interrogationibus, quae cum admiratione mouentur, praeponi folet, v. ad Marc. 10, 26. Iam interrogarat quidem Petrus Iefum, quo abiturus effet? 13, 36. et Thomas conqueftus erat, fe nefcire, quo Iefus vadere vellet 14, 5. ipfe praeterea Iefus profeffus erat, fe abire ad patrem 14, 2. Sed Iefus h. l. reprehendit difcipulos propterea, quod fe ita dediffent triftitiae, vt quamnam vim haberet haec ipfius ad patrem disceffio, nec ipfi reputarent, nec amplius cur magifter ipforum discedere vellet, quiue fructus ex illa disceffione in ipfos redundaturus effet, interrogarent. Verbum nimirum *ἐρωτᾷν* rei continuationem indicat, v. not. ad 13, 19. *quaerendo inftare.* Senfus igitur verborum Iefu eft: intelligitisne quid hoc fibi velit: mihi ad patrem abeundum eft? quam vim hic disceffus habeat? quinam fructus ex eo in vos redundaturi fint? ignoratis haec, fed parum folliciti eftis de mei abitus confilio et fructibus, quoniam vos, praeconceptis opinionibus deditos, fumma triftitia inuafit. coll. v. 29. — 6. *ἀλλ' ὅτι ταῦτα λελάληκα κ. τ. λ. verum fumma animum veftrum occupauit triftitia, quoniam haec* de disceffu meo, et calamitatibus vobis imminentibus *dixi.*

7. Sed mihi credite, abitus meus vobis perquam vtilis et fructuofus erit. Verba *τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν* refpondent formulae alias vfitatae: *ἀμὴν*, *ἀμὴν λέγω ὑμῖν* coll. v. 20. *συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω*, *expedit vobis, vt ego abeam*, nam per abitum meum, haec erat Chrifti mens et fententia, praeconceptae veftrae opiniones euanefcent, melior vobis continget doctrinae meae, muneris, officiorumque meorum cognitio. Quamdiu enim Iefus his in terris verfaretur, nondum pares erant difcipuli intelligendo confilio diuino in Chrifto ad falutem hominum adhibendo coll. v. 12. femper enim exfpectabant terrenam a Chrifto conftituendam rempublicam. Haec vero fpes vana, cum Chriftus abiiffet, iis prorfus adimebatur, vi diuina adiuti, accuratiorem Chrifti et religionis ipfius cogni-

tionem nancifcebantur, eam aliis quoque impertire, et munere doctorum legatorumque Chrifti rite perfungi poterant. ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω κ. τ. λ.] *nifi enim abiero, adiutor ille* promiffus *vobis non continget*, non contingere vobis poterit falubris conuerfio, quam Deus efficiet in animis veftris, *vbi vero abiero, eum vobis mittam*, v. 15, 26.

8—11. καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος, ἐλέγξει τὸν κόσμον, περὶ ἁμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως] *cum venerit ille, edocebit doctrinae meae contemtores de peccato, de eo quod ius et fas erat, de iudicio.* Ipfi meliore cognitione imbuti, ea alios quoque imbuetis. Per τὸν κόσμον, vt 12, 31 etc. intelliguntur doctrinae Chrifti contemtores, praecipue Iudaei. ἁμαρτία, vt 15, 22. 24. eft id. qd. ἀπιστία, doctrinae Chrifti contemtio et repudiatio, nam v. 9. diferte legitur: ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμὲ, *quod me meamque doctrinam non admiferunt*; particula enim ὅτι rem ipfam, de qua fermo eft, indicat, vt Phil. 1, 27. 2, 22. 1 Theff. 1, 5. et verba quae v. 9. 10. 11. vocabulis ἁμαρτία, δικαιοσύνη, κρίσις addita leguntur, explicationis cauffa adiecta funt, vt appareret, quid intelligendum effet per τὴν ἁμαρτίαν, δικαιοσύνην et κρίσιν. Verbum ἐλέγχειν notat: *edocere, conuincere*, vt Ioh. 8, 46. Ael. H. V. 12, 51. al. Senfus ergo verborum: ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας eft: adiutor ille per vos, veftramque doctrinam, contemtores meos eo perducet, vt intelligant et fateri cogantur, fe peccaffe, quod meam doctrinam repudiarint, vos vi diuina adiuti eos ἀπιστίας conuincetis. δικαιοσύνη vt Hebr. צְדָקָה, צֶדֶק, et מִשְׁפָּט notat, *id quod ius et fas eft, quod fieri debet*, Pf. 139, 9. Ief. 54, 17. Prou. 1, 3. Quanam in parte δικαιοσύνη h. l. ponenda fit, docet v. 10. ὅτι πρὸς τὸν πατέρα μου ὑπάγω, καὶ οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με, *dum ad patrem abeo, nec me amplius confpicietis.* Sed Chrifti abitus, de quo ipfe faepius locutus erat 7, 33 fs. 8, 21. etc. 16, 5. et Iudaeos et difcipulos quam maxime offendebat, quoniam Meffiam non moriturum, et ex his terris abiturum, imo regnum

perpetuum his in terris inftituturum effe credebant, v. 12, 34. Itaque fenfus verborum: ἐλέγξει περὶ ἁμαρτίας eft: Deus per vos doctrinae meae contemtores eo rediget, vt intelligant et agnofcant, ita ex decreto patris fieri debuiffe, vt per mortem ad eum redirem, et vobis adfpectum meum fubtraherem; falutarem meam mortem, vtilem et fructuofum meum ad patrem reditum effe, meque pro Meffia effe habendum. *Michaelis*, *Storrius* Opufc. Vol. 3. p. 256. δικαιοσύνη explicant *de liberatione a culpa et poena peccatorum* per Chrifti mortem. Sed huic explicationi non fauent verba v. 10. ὅτι πρὸς τὸν πατέρα κ. τ. λ. quibus non tantum ipfius mors, fed omnino eius difceffus, οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με, refpicitur; neque, vt recte *Schulzius* ad h. l. monuit, in libris N. T. a reditu Chrifti ad patrem, fed a morte ipfius deriuatur delictorum venia. Plerique ad vocem δικαιοσύνης fubintelligunt pronomen μου, atque δικαιοσύνη explicant *vel, innocentia*, laudant Pf. 7, 9. vbi permutantur צדק et תם; οἱ ό ibi habent δικαιοσύνη, ἀκακία. Pf. 18, 21. 25. vbi fibi inuicem refpondent צֶדֶק et בֹר יָדַיִם δικαιοσύνη et καθαριότης τῶν χειρῶν add. Luc. 23, 47. *vel, bona cauffa* צדקה Pf. 17, 1. al. Senfum ita conftituunt: edocebitis doctrinae meae contemtores, Iudaeos, qui me fraudatorem et rebellem nominarunt, de innocentia f. bona cauffa mea, per mortem meam, meumque ad patrem abitum declarata. περὶ κρίσεως *de iudicio*; additur v. 11. ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται, *iudicatum effe*, inferiorem difceffiffe, cauffa cecidiffe, *principem hominum improborum*. ἄρχων τοῦ κόσμου Satanas, cuius regni ciues funt homines improbi, doctrinae Chrifti aduerfarii, vid. not. ad 12, 31. Senfus igitur eft: ἄπιστοι per vos vi diuina adiutos, ad mea figna adducti, atque ita a fuperftitione, infcitia, vitiis, a poteftate Satanae liberati, profitebuntur Satanam inferiorem difceffiffe, nil contra me valuiffe aduerfariorum meorum ftudia, irrita reddita effe eorum confilia, per me vim improbitatis fractam et imminutam effe, vid. 12, 31. 14, 30.

12. Poſtquam Chriſtus de conſilio et vtilitate diſceſſus ſui disputarat, ita pergebat: *ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι] multa quidem vobis adhuc dicenda habeo, ſed ea nondum capere poteſtis,* ergo equidem ea reticere ſatis duco. Pertinebant huc legis cerimonialis abrogatio, communia Iudaeorum gentiliumque iura etc. cuiusmodi veritates diſcipuli, praeconceptis opinionibus adhuc dediti, nondum ferre potuiſſent, ſi eas Chriſtus iis clarius expoſuiſſet. *βαστάζειν ferre*, nonnunquam ita ponitur, vt ſit *intelligere, percipere* vt h. l. Epictet. Enchir. c. 36. *τὴν σεαυτοῦ φύσιν κατάμαθε, εἰ δύνασαι βαστάσαι, tuam naturam explora an poſſis ferre*, vid. *Kypkius* ad h. l.

13. Quae non didiciſtis, quae adhuc ab inſtitutione mea ſeiungenda putaui, in poſterum percipietis. *ὅταν δὲ ἔλθῃ — εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν] vbi vero venerit ſpiritus veritatem promouens* cf. not. ad 14, 17. *is vos omnem veritatem docebit. πᾶσα ἡ ἀλήθεια*, eſt vniuerſus veritatum doctrinae diuinae ambitus, quarum non niſi partem a Chriſto didicerant, ob ingeniorum imbecillitatem et tarditatem. *ὁδηγεῖν* quod proprie ſignificat *viam monſtrare, ducere*, per metaphoram notat *edocere, inſtituere*, vt h. l. Act. 8, 31. Pſ. 86, 11. vbi in textu Hebraico legitur: הוֹרֵנִי דַּרְכֶּךָ *doce me viam tuam*, οἱ ό habent: *ὁδήγησόν με ἐν τῇ ὁδῷ σου.* Pſ. 143, 10. *τὸ πνεῦμά σου τὸ ἀγαθὸν ὁδηγήσει με ἐν τῇ εὐθείᾳ.* Pſ. 24, 5. *ὁδήγησόν με ἐπὶ τὴν ἀλήθειάν σου, καὶ δίδαξόν με*, vbi *ὁδηγεῖν* et *διδάσκειν* ſynonyma ſunt. Philo de Gigant. p. 291. C. *τούτῳ μὲν οὖν τὸ θεῖον ἀεὶ παρίσταται πνεῦμα, πάσης ὀρθῆς ἀφηγούμενον ὁδοῦ, huic certe ſemper adeſt Dei ſpiritus in omnem rectam viam ducens*, vid. et not. ad Matth. 15, 14. Pro *εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν* in nonnullis libris legitur *ἐν πάσῃ τῇ ἀληθείᾳ*, ſed haec lectio originem ſuam debere videtur grammaticis, quibus notior eſſet conſtructio verbi *ὁδηγεῖν* cum praepoſitione *ἐν*, frequenter in verſione ſeptuagintauirali occurrens, quam eiusdem verbi conſtructio cum praepoſitione *εἰς*. Ne vero

opinarentur Apoftoli perfectiorem inftitutionem, quam accepturi effent, alienam fore ab ea, quam hactenus a Chrifto accepiffent, et doctrinis, quibus imbuendi effent, eas, quas hactenus didiciffent, fublatum et abrogatum iri; accuratius definit perfectioris illius inftitutionis naturam, atque docet, notitias religionis quibus fucceffu temporis imbuendi effent, cum doctrina a fe propofita plane confentientes fore. οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ, λαλήσει] *neque vero fuo arbitratu loquetur, fed quae audiuerit, ea docebit.* Vt Iefus de fe ipfo profeffus erat, fe legatum patris v. 7, 28. 5, 43. non docere ἀφ' ἑαυτοῦ proprio arbitrio, a fe excogitata, diuinae voluntati non confentanea 7, 18. 14, 10. fed fuam doctrinam effe Dei doctrinam 7, 16. ita etiam h. l. declarat fpiritum veritatis docturum effe Apoftolos non ἀφ' ἑαυτοῦ h. e. non proprio arbitrio, non fua inuenta, fed ὅσα ἂν ἀκούσῃ nempe παρὰ τοῦ Θεοῦ 8, 26. quae audierit a patre, ergo, a Deo acceptam doctrinam. Cum vero v. 14. Iefus adiecerit ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, patet omnino fenfum effe: Spiritus docebit vos doctrinam, quam ego a Deo accepi, illius doctrina ab ea quam a me didiciftis, non differet. Vis diuina auxiliatrix, in perfonam mutata, comparatur h. l. vt 15, 26. cum legato principis, qui nonnifi ea loquitur, quae ipfi a mittente demandata, quae eius fententiae ac voluntati accommodata funt; neque in hac comparatione omnia ad latum vnguem refecari debet. καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν] *et futura vobis aperiet.* τὰ ἐρχόμενα id. qd. τὰ ἐλευσόμενα, *futura, euentura;* prouocant interpretes, praeeunte *Grotio*, ad ea loca in Apoftolorum fcriptis, in quibus rerum futurarum fignificatio facta fit 2 Theff. 2. 1 Tim. 4, 1. 2 Tim. 3. 2 Petr. 1, 14. quod omnino ferri poteft, neque tamen excludit, vt recte iudicarunt *Semlerus*, *Niemeyerus* Disf. in Ioh. 16, 12 fs. Halae, 1788. *vberiorem declarationem* eorum, quae ad ipfam vitae Iefu partem eam, quae, dum haec diceret, adhuc inftabat, pertine-

bant, in qua erant quae perturbarent Apoſtolorum animos, eosque de ſpe in eo tanquam Meſſia poſita, tantum non deiicerent. Poterat Ieſus, cruciatus, mortem ſuam in cruce, reditum in vitam, abitum in coelum etc. τῶν ἐρχομένων nomine amplecti. Suadet hunc ſenſum vſus verbi ἀναγγέλλειν apud Graecos V. T. interpretes. Hi enim hoc verbo non tantum ita vtuntur, vt ſit *annuntiare*, ſed etiam ita, vt notet *aperire*, *edocere*, *ſenſum rei obſcurae docendo illuſtrare*, atque reſpondeat Hebr. הוֹרָה. Sic Theodotion Dan. 2, 26. hoc verbum adhibuit de explicatione ſomnii, et ſimiliter vſurpatur in verſione Alexandrina Deut. 24, 8. de explicatione et commentatione legis. Etiam Act. 20, 8. vbi verbum διδάσκειν eius ſynonymum eſt. Heſychius: ἀναγγέλλει, κηρύσσει, λέγει.

14. 15. ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει] *ille me illuſtrabit*, doctrinam meam promouendo; vos edocendo et per vos alios, efficiet, vt legatio mea diuina, dignitas mea Meſſiana agnoſcatur, honor meus, cum apud vos, tum apud alios promoueatur, vid. ad 12, 23 ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, *nam de meo ſumet*, Dei doctrinam docebit, mea doctrina eſt Dei doctrina, eſt patris et meus legatus 15, 26. mea mandata perferet v. 13. quae vos docebit erunt tantum auctaria et ſupplementa doctrinae meae, non aliam ſed eandem doctrinam tradet, continget vobis auxiliante Deo plenior et perfectior doctrinae diuinae cognitio. Hanc interpretationem confirmant ea quae v. 15. leguntur: πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐςι, *omnia quae patris ſunt, mea ſunt*, mea et patris doctrina eadem eſt. πάντα τὰ ἐμὰ, omnis mea doctrina, vid. ad Matth. 11, 27. Caeterum pro λήψεται in aliis libris extat λαμβάνει, quam lectionem *Grieſbachius* rectiſſime in textum recepit; ſcilicet librarii cum ſequatur ἀναγγελεῖ et v. 14. praeceſſerit λήψεται, praeſens λαμβάνει mutarunt in futurum λήψεται.

16. *Breui tempore me non videbitis, et iterum breui tempore me videbitis, nam abeo ad patrem.* Confolatio quae praeceffit, vt obferuauit *Noeffeltus* Opufcc. T. 2. p. 54. vim habere poterat ad tranquillandos difcipulos, *praeceptore* et *magiftro* orbatos, fed non tantum doctrinae defiderium triftitiae cauffa erat, fed triftiffima quoque atque moleftiffima iis erat disceffio *amici*; vt ergo huic eorum ab amicitia profecto dolori, quoad poffet, et per rem ipfam liceret, mederetur, fpe reditus fui eorum animos iam erigere Iefus ftudebat. ἔτι μικρὸν fcl. διάϛημα χρόνου ἐϛι. Hof. 1, 4. עוד מעט οἱ ὁ· ἔτι μικρόν. add. Hagg. 2, 7. καὶ pofitum eft pro ἐν ᾧ, vt 14, 19. hoc reddi poteft vel, *quo temporis fpatio elapfo*, vt 14, 19. vel, *quo durante*; cum vero h. l. fequatur: ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα, reddi debet: breue temporis fpatium erit, *quo durante, intra quod*; per breue tempus me non videbitis, et rurfus per breue tempus me videbitis. *Mofchius (Leidensgefch.* ad h. l.), *Noeffeltus, Rofenmüllerus*, ad verba ὄψεσθέ με repetunt μικρόν τι hoc fenfu: *breui me non confpicietis, et rurfus breui me videbitis ad breue tempus.* Durius. Contorta quoque eft eorum ratio, qui ad verba καὶ πάλιν μικρὸν repetunt θεωρεῖτέ με, et verba: καὶ ὄψεσθέ με cum fequentibus coniungunt hoc fenfu: *per breue temporis fpatium me videbitis, quo elapfo me confpicietis ad patrem abeuntem*; cui interpretationi nec ea fauent, quae v. 17. leguntur. Pro οὐ in nonnullis libris e gloffemate legitur οὐκέτι. Pronomen ἐγὼ ante ὑπάγω plures libri omittunt, vnde recte illud ex ordine eiecit *Griesbachius*. Verbum ὑπάγω cum additum legatur πρὸς τὸν πατέρα, non de Chrifti morte, fed de eius in coelum reditu explicari debet. Verba autem οὐ θεωρεῖτέ με ad Chrifti mortem, et καὶ ὄψεσθέ με ad eius vifibilem poft refurrectionem adventum referenda funt. Supra quidem c. 14, 19. flagitante contextu, formula ὑμεῖς δὲ θεωρεῖτέ με latiori fenfu de praefentia Chrifti vifibili, et inuifibili ex effectu percipienda, occurrebat, fed inde non fequitur, h. l. formu-

lae καὶ ὄψεσθέ με, hanc eandem vim ac poteftatem tribuendam effe. Aduerfantur huic interpretationi h. l. verba v. 22. ὄψομαι ὑμᾶς, *ego vos videbo*, quae nonnifi coacte de efficacitate Chrifti mente percipienda explicari poffunt. Nec fauet illi interpretationi v. 20. vbi de triftitia difcipulorum e morte Chrifti, eorumque laetitia ex refurrectione ipfius orta, fermo eft. Nihil omnino in omni oratione h. l. reperitur, quod interpretationi verbi θεωρεῖν fupra propofitae, *videre oculis* repugnet. *Paulus* verba: καὶ πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με v. 16. ὄψομαι ὑμᾶς v. 22. explicat: *in coelo breui tempore elapfo me videbitis, et ego vos videbo.* Sed vt inter alia appofite contra monuit *Süfkindius* in *Flatti Magazin für bibl. Dogmatik u. Moral* St. 7. p. 197. triftitia difcipulorum e Chrifti disceffu orta, non in altera demum vita in laetitiam mutari debebat. Obftat praeterea huic interpretationi alia fupra 14, 18. allata. Nonnulli interpretes verba huius verfus hunc in modum explanant: breui me non videbitis (oculis corporis), fed breui me, muneris mei naturam, coeleftem dignitatem, accuratius cognofcetis (me mentis oculis videbitis), quoniam ad patrem abeo, quoniam disceffus meus praeconceptas opiniones, et vanas exfpectationes veftras, ex animis veftris exftirpabit. Neque hanc interpretationem admittendam effe, ex iis quae fupra notauimus patet. cf. et not. ad 14, 18.

17—19. Difcipuli adhuc praeconceptis opinionibus de regno Meffiano indulgentes, fperantes, Chriftum regnum terrenum perpetuum inftituturum, et fe vna cum eo felicitate terrena infigni perfruituros effe, quae iam ipforum magifter de abitu et reditu fuo dixerat, non perfpiciebant, nec cum praeconceptis fuis opinionibus componere poterant, inprimis iis obfcurus erat fenfus formulae κατὰ μικρόν. Itaque *nonnulli eorum* (nam in verbis ἐκ τῶν μαθητῶν eft ellipfis pronominis τινὲς, fatis vfitata, vt Matth. 23, 34. Luc. 21, 16. Act. 21, 16. coll. Ioh. 6, 64. 7, 25.

LXX. Prou. 22, 25. Ex. 2, 1. vid. *Münthius* ad h. l. *Küsterus* ad Ariftoph. Nubb. 754. *Perizonius* ad Aelian. H. V. 1, 14.) *inter se quaesiuerunt, quid hoc sibi vult, per breue tempus me non videbitis* etc. „Non male *Heumanus* hic admonet: Iefum poft hunc fermonem v. 16. ex ifto loco paululum *discessisse; ambulasse* in illo coenaculo Luc. 22, 12. Itaque difcipulis locum quafi fuiffe, requirendi de eius orationis fenfu." *Semlerus* ad h. l.

20. 21. Verba κλαίειν et θρηνεῖν, vt Luc. 6, 21. Marc. 15, 10. κλαίειν et πενθεῖν, copulata funt ad indicandam doloris acerbitatem fummam. Ac verbum quidem θρηνεῖν vt vocabulum θρῆνος faepe de moeftitia animi graviffima legitur, vt Eurip. Hec. 433. ὡς πρὶν σφαγῆναί γ' ἐκτέτηκα καρδίαν θρήνοισι μητρός, *nam antequam mactor, contabesco pectore, prae luctu matris.* ὁ δὲ κόσμος χαρήσεται] *sed homines peruersi laetabuntur.* In profeffo eft per κόσμον intelligendos effe nominatim Iudaeos de morte Chrifti triumphantes. ἀλλ' ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται] *sed vestra tristitia in laetitiam mutabitur*, nempe poft refurrectionem meam, coll. v. 22. πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς κ. τ. λ. Conftructio γενήσεται εἰς Hebraica eft, vid. ad Matth. 19, 5. add. Luc. 13, 19. — 21. Cum Hebraeis perquam vfitatum effet, dolores grauiffimos comparare cum doloribus parturientis Ief. 21, 3. 26, 17. 37, 3. Ier. 4, 31. 22, 23. 30, 6. add. Hom. Il. λ', 269 fs.; hactenus dicta illuftrat Iefus exemplo a femina parturiente defumto. *Puerpera dolores sentit, quando parturiendi tempus accessit, sed partu edito, non amplius recordatur dolorum, sed laetatur, infantem in lucem esse editum.* λύπη de doloribus partus h. l. effe explicandum, bene iam monuit *Wolfius* in Curis ad h. l. et prouocat hanc in rem ad Sophocl. Electr. v. 534. ὥρα tempus parturiendi. ἄνθρωπος *infans* Sir. 3, 13. Num. 22, 30, *puer* Ioh. 7, 23. εἰς τὸν κόσμον redundat.

22. Iam docet Iefus, ita quoque difcipulos fuos per aliquod tempus triftitia affectum iri, fed hanc triftitiam excepturam effe laetitiam nunquam interituram. *καὶ ὑμεῖς οὖν λύπην μὲν νῦν ἔχετε*] *pariter vobis quidem iam inftat tempus, luctus dolorumque plenum.* *ἔχετε* pofitum eft pro *ἕξετε*, praeceffit enim v. 20. *κλαύσετε καὶ θρηνήσετε*. *καὶ χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία κ. τ. λ.*] *fed animus vefter laetabitur, neque quisquam hanc veftram laetitiam vobis eripiet, αἴρει* pro *ἀρεῖ*, laetabimini de mea refurrectione, erit laetitia veftra conftans, non interrumpet eam disceffus meus ad patrem (*τὸ ὑπάγειν πρὸς τὸν πατέρα*), poft meam refurrectionem meliora edocebimini a me, et fecuturo tempore a *παρακλήτῳ* de confiliis patris, mortis meae fine, disceffu meo ad patrem, apud quem fumma beatitate fruar, intelligetis quae vobis iam obfcura funt et mira videntur. „Neque enim vnquam legimus, Apoftolos doluiffe de disceffione Chrifti in coelum, poftquam eum viderant reuerfum in vitam; non quo eius praefentiam non defideraffent, fed quod ab eo ipfo tempore haud dubie meliora effent edocti de confilio Dei fuper Chrifto in terrarum orbem mittendo, atque modo, quo is deberet, *per aduerfa* videlicet, transire *ad* praemia *beatitatemque* fine fine futuram. Haec quidem Chriftus docuerat difcipulos quosdam fecum Emmauntem iter facientes Luc. 24, 26 f. quidni et Apoftolos? quibuscum, narrante Luca Act. 1, 3. illo tempore poft reditum e fepulcro colloqueretur *de rebus ad Dei regnum pertinentibus.*“ Sunt verba *Noeffelti* Opufcc. T. 2. p. 55.

23. *καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε οὐδὲν*] *tunc temporis nihil habebitis quod ex me quaeratis.* Verbum *ἐρωτᾶν* notat *rogare, petere*, et, *interrogare.* Priori fignificatu *ἐρωτᾶν* h. l. accipiunt *Voffius* in Harmonia Paffionis L. 1. c. 18. §. 18. *Grotius, Schoettgenius, Schulzius*, vertunt: tunc, poft meam refurrectionem, nihil amplius petetis, non me, fed patrem rogabitis. Sed vt iam *Noeffelius*

l. c. *Boltenius*, alii, obferuarunt, orationis contextus fa-
vet potius pofteriori verbi ἐρωτᾶν fignificationi. Etenim
ipfi fermoni Chrifti occafionem dederat *interrogatio* ab Apo-
ftolis proponenda v. 17. de fenfu eorum quae antea v. 18.
dixerat, quam quaeftionem Iefus ipfe docendo occuparat
v. 19. ifto tempore quo Iefus haec cum difcipulis ageret,
iis verba magiftri non intelligentibus neceffe erat, vt eum
quaerendo percunctarentur v. 5. fed per Chrifti mortem,
refurrectionem, et poft eam a Chrifto Luc. 24. v. fupra
v. 22. atque adiutore promiffo plenius edocebantur, neque
adeo eiusmodi quaeftionibus opus erat. Itaque ἐρωτᾶν h. l.
notat *interrogare*. Sed obiecerunt nonnulli, huic interpre-
tationi repugnare locum Act. 1, 6. e quo appareat Apofto-
los poft Chrifti refurrectionem ei eiusmodi interrogationes
propofuiffe, nec tunc temporis rectam fatis notionem abi-
tus Chrifti ad patrem tenuiffe, cum eum ibi de regno in-
ftituendo interrogaffe legantur. At enimuero verba ἐν
ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, *illo die* f. *tempore*, non funt nimis pre-
menda, non tam intelligenda funt de tempore, quod
proxime refurrectionem Chrifti fequebatur, quam potius
de omni tempore poft Chrifti refurrectionem et in coelum
reditum, id quod fatis perfpicue docent, partim, quae fe-
quuntur de precibus ab Apoftolis, doctoribus in Chrifti lo-
cum fubftitutis (Matth. 28. extr. Luc. 24. extr.), quod mu-
nus ipforum attineret, poft Chrifti in coelum reditum, ad
Deum mittendis; partim Chrifti verba v. 22. non inter-
rumpetur laetitia veftra, quae reliquum quoque tempus
poft Chrifti ad patrem abitum fpectant. Verbum praeterea
ἐρωτήσετε explicari debet: *opus erit vt me interrogetis*, vid.
Storrii Obff. ad Anal. et Syntax. p. 17. Senfus igitur eft:
vbi vos reuidero, ad vos rediero, vos eo perducemini, vt
non amplius opus habeatis, me interrogare de religionis
meae capitibus, effatis vobis adhuc obfcuris, eiusmodi
quaeftiones proponere, qualem modo proponere volebatis
v. 17. 19. continget vobis plenior et accuratior cognitio
v. 12 fq. Alii verba Chrifti referunt tantum ad illud effa-

tum, quod v. 16. legitur, vertunt: tunc nihil amplius de ſenſu illius dicti ex me quaeretis. — Iam diſcipulis (qui nonnulla interlocuti eſſe videntur, a Iohanne, qui ſummam tantum orationis Chriſti attulit, omiſſa) Chriſtus promittit, preces ipſorum, quas vtpote doctores in eius locum ſubſtituti facturi eſſent, ratas fore. *ὅσα ἂν αἰτήσητε τὸν πατέρα, δώσει ὑμῖν*] *dabit vobis pater, quaecunque eum rogaueritis*, *ἐν τῷ ὀνόματί μου*, mea cauſſa, tanquam mei legati, quod attinet munus veſtrum, vid. 14, 13. 15, 7. *δώσει vobis dabit, concedet, preces veſtras exaudiet*, vid. de hoc huius verbi vſu not. ad Matth. 13, 11. Marc. 10, 37. Sic Aeſchyl. Agam. v. 1344. *πόλιν μὲν ἑλεῖν ἔδοσαν μάκαρες Πριάμου.*

24. *ἕως ἄρτι οὐκ ᾐτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου*] *hactenus nihil petiiſtis*, a patre, *tanquam legati mei*, plenius inſtituti, pro vera Dei cauſſa. Bene; *Noeſſeltus* Opuſcc. T. 2. p. 408. ſenſum loci hunc in modum conſtituit: diſcipuli quidem mei adhuc fuiſtis, a me quoque creati vt doctrinam meam commendaretis hominibus, nec tamen recte me, nec verum Dei conſilium in me mittendo, nec veram dignitatem felicitatemque veſtram cognouiſtis, nec propterea hanc cauſſam fortunandam Deo precibus commendaſtis. Nunc autem, cum in locum meum ſuffecti et plenius eruditi per Spiritum S. fueritis, rogate Deum, tanquam legati mei pro vera Dei cauſſa, atque ſic, quod ita rogaueritis, conſequemini. *αἰτεῖτε, καὶ λήψεσθε, ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη*] *modo in poſterum rogate, et quae rogaſtis, accipietis, ita vt limpidiſſimum gaudium animos veſtros perfundat*; preces veſtrae pro Dei cauſſa factae, ratae erunt, felici ſucceſſu Dei cauſſam promouebitis, et inde percipietis gaudium limpidiſſimum, v. 15, 11.

25. *ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν*, *haec ſubobſcurius locutus ſum*, viſus ſum vobis loqui obſcurius, cum verba mea non ſatis recte intellexeritis. *ταῦτα* referri debet ad ea omnia quae c. 13 ſqq. leguntur, inprimis

ad ea, quae de morte, resurrectione sua, abitu ad patrem, huius abitus fructu, de doctore ab Apostolis exspectando alio, dixerat, vid. 13, 36. 14, 5. 16, 5. 17. haec discipulis, praeconceptis opinionibus abreptis, obscuriora erant. Sed vt recte notarunt *Glassius* Phil. S. p. 228 sq. et *Rosenmüllerus* ad h. l. ea, quae hactenus Iesus de abitu suo etc. dixerat, in se spectata, non erant obscura, sed tantum discipulis, quoniam ea cum praeconceptis opinionibus suis componere non poterant, si ab his opinionibus animum auocassent, commode mentem Christi capere potuissent. Valet praeterea hic ea regula, quam *Glassius* l. c. scripsit: verba quae *esse* vel *facere* significant, quandoque pro *rei opinione* ponuntur, et intelligenda sunt φαινομένως, reputatiue. παροιμία est h. l. *sermo obscurus*, opponitur ei ἐν παῤῥησίᾳ ἀναγγέλλειν, *aperte et perspicue loqui* 10, 24. 11, 14. Phauorinus et Suidas: παροιμία ἐςὶ — λόγος ἀπόκρυφος. vid. *Suicerus* Thes. Eccl. T. 2. p. 601. *Schoettgenius* Horr. Hebrr. ad v. 29. ἀλλ' ἔρχεται ὥρα ὅτε κ. τ. λ.] *sed veniet tempus, quo non obscuro sermone ad vos loquor, sed aperte et perspicue vos edoceam*, quo institutio mea vobis non obscura videatur. Quodnam tempus Christus h. l. innuerit, ambigunt interpretes. Plerique cogitant de tempore post Christi resurrectionem, coll. Luc. 24, 25 sqq. Act. 1, 3. Matth. 28. extr. vid. supra ad v. 22. Alii intelligunt tempus post Christi in coelum reditum, atque verba explicant de παρακλήτῳ discipulis promisso, per quem Christus eos vberius edocturus esset, coll. v. 14. 15. Equidem, cum negari nequeat, Iesum, post resurrectionem suam, discipulos plenius et accuratius edocuisse, vid. Luc. Act. ll. cc. versus autem qui sequitur 26, agat de tempore quo iam Apostolis contigerat ὁ παράκλητος, quo ipsi munus legatorum Christi aggressi erant, vid. ad v. 25. de vtraque institutione h. l. cogitandum esse arbitror, de Christi ipsius, post resurrectionem, et de vlteriore, quae Apostolis, post Christi in coelum reditum, coll. 14, 16. 15, 26. (ὁ παράκλητος ὃν πέμψω

ὑμῖν) 16, 14. operante Deo contingebat. (τὰ) περὶ τοῦ πατρὸς de patris confiliis atque decretis, de mortis meae et abitus in coelum fructibus, de dignitate mea, felicitate hominum per me promouenda etc.

26—28. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ vbi vos meliora edocuero, et mentes veftrae, operante, auxiliante Deo, vi diuina, illuftratae fuerint, poft meum in coelum reditum, ἐν τῷ ὀνόματί μου αἰτήσεσθε vt legati mei, quod attinet munus veftrum, preces facietis. καὶ οὐ λέγω ὑμῖν ὅτι ἐγὼ κ. τ. λ.] *non dico vobis me veftrum gratia patrem rogaturum effe.* Sed 14, 16. declarauerat Iefus, fe patrem rogaturum effe difcipulorum gratia; et 17, 9. eos Deo commendat. Sunt ergo verba hunc in modum explananda: praetereo f. vt taceam, non neceffe eft, vt vobis affirmem, me ipfum apud patrem pro vobis deprecaturum effe. Quae forma loquendi praeteritio dici folet, vid. *Heumanus* ad h. l. Aliorum interpretationes horum verborum minus commendabiles attulerunt *Wolfius* et *Köcherus* ad h. l. — 27. αὐτὸς *fponte, vltro* (vid. *Glaffius* Phil. S. p. 154. *Palairetus* ad h. l.) etiam me non intercedente, vos commendante. Φιλεῖ ὑμᾶς vos fuo amore amplectitur, fed hoc verbum in hac orationis ferie maius quid inuoluit, amat vos et annuet pro amore fuo precibus veftris. Itaque verbis: καὶ οὐ λέγω ὑμῖν — φιλεῖ ὑμᾶς, omnino fententia expreffa eft haec: vota veftra rata erunt; Deus mea cauffa et pro fuo in vos amore preces veftras exaudiet. ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε κ. τ. λ.] *quod me amatis, vobisque* perfuafum habetis, me effe a Deo *profectum*, legatum diuinum, promiffum Meffiam. — 28. *A patre profectus, in hanc terram veni*, doctor prodii. Significatur quidem hisce verbis omnino legatio Chrifti diuina, cum vero fequatur: πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον, καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα, *iterum hac terra relicta, ad eum redeo;* in promtu eft verbis ἐξῆλθον κ. τ. λ. in hac orationis ferie fimul praeexiften-

tiam Christi apud patrem notari, vid. not. ad 6, 62. 1, 9. *Oertelii Christologie* T. 2. p. 542.

29. 30. Consternatio Apostolorum cesserat auditis promissionibus quae eorum animos delinirent, coll. v. 20 — 24. 26 adeoque laetabundi in haec erumpebant verba: νῦν παῤῥησίᾳ λαλεῖς, καὶ παροιμίαν οὐδεμίαν λέγεις, *nunc perspicue, omni obscuritate remota loqueris*, neque tamen exinde consequitur, discipulos recte cepisse Christi mentem, et de abitu ipsius ita iudicasse, vt indicare debebant. Postea enim eos ipsius mors offendebat, et resurrectionem ipsius in dubium vocabant. Imo potius opinabantur, Iesum ad patrem quidem esse abiturum, sed paulo post de coelo reuenturum, et regnum terrenum instituturum, Deumque omnia ipsorum vota felicitatem terrenam spectantia exauditurum esse. Existimabant se Christi verba probe intelligere, sed ea neutiquam recte intelligebant, praeiudicatis opinionibus indulgentes sese ipsos fallebant. — 30. νῦν οἴδαμεν — ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθες] *nunc intelligimus te omnia praeclare nosse, neque opus habere, vt quisquam te interroget. Hac de caussa credimus, te a Deo esse profectum*, te esse Messiam. Iesus, vt v. 19. legitur, antequam discipuli ei quaestionem proposuerant, cognouerat, quae eum interrogare vellent; opinabantur praeterea Apostoli Iesum hactenus votis ac desideriis ipsorum conuenienter locutum esse; eo referenda sunt verba, quae h. l. leguntur. Mens igitur Apostolorum, qui h. l. loquentes inducuntur, haec erat: iam ipsi experientia edocti scimus, te omnia (πάντα) cogitata, vota ac desideria hominum nosse, atque haec cognitio cogitationum nostrarum, cuius modo luculentum documentum dedisti, persuasionem nostram de auctoritate tua diuina, dignitate Messiana, mirifice confirmauit. Prophetis enim, inprimisque Messiae singularem et plane inusitatam cognitionem animi humani tribuebant Iudaei. cf. 1, 49 ss. 2, 25. 4, 19. De verbo πιστεύειν vid. ad 13, 19.

31. 32. ἄρτι πιστεύετε; *ergone iam certo vobis persuasum est?* me esse a Deo profectum; verene iam adeo firma est vestra de auctoritate mea diuina et dignitate Messiana persuasio? inest his verbis ironia et correctio. ἄρτι id. qd. νῦν, vt Matth. 26, 53. al. et respicitur τὸ νῦν v. 30. Alii sine interrogatione haec verba legunt: *nunc*, cum tutum sit, nullum periculum immineat, *fidem habetis*, vobis persuasum est me esse Messiam. — 32. Non adeo firma est vestra fides. ἰδοὺ ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐλήλυθεν κ. τ. λ.] *instat tempus, imo iam adest* (4, 23. 5, 25.), *quo vos suam quisque domum dilapsi, me solum relinquatis*, vid. Matth. 26, 31. σκορπισθῆτε metu periculi aufugietis, alius alio dissipabimini. εἰς τὰ ἴδια scl. οἰκήματα l. δώματα, vid. ad 1, 11. καὶ οὐκ εἰμὶ μόνος, ὅτι ὁ πατὴρ μετ' ἐμοῦ ἐστι, *sed non ero solus*, auxilio destitutus, desertus, *nam pater mihi aderit* auxilio suo, et mea caussa triumphabit, v. 8, 29.

33. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, *haec vobis dixi*, nempe patrem auxilio suo mihi adfuturum. ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε, *vt per me tranquilli essetis*. Vocabulum εἰρήνη, quod vt Hebraicum שלום omnis generis *felicitatem* indicat, h. l. flagitante orationis serie notat, *animi* tranquillitatem. ἐν ἐμοὶ explicant: vt me consisi animum haberetis tranquillum, vt vos consolarer in hoc meo casu, ne meam caussam, cum Dei caussa sit, desperatam putetis, vid. 14, 1. Alii sensum ita constituunt: vt meo exemplo disceretis bono animo etiam in rebus aduersis esse; quae quidem interpretandi ratio propterea praeferenda est, quoniam sequitur: ἐν τῷ κόσμῳ θλίψιν ἕξετε, homines improbi, doctrinae meae contemtores et aduersarii vos malis affligent. Pro ἕξετε verissime *Griesbachius* reposuit ἔχετε, vulgaris lectio glossema redolet; sed praesens ἔχετε vim futuri obtinet. ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον] *ego istos aduersarios meos vincam. Vincere* de iis dicitur, qui superiores hostibus discedunt, incolumes sunt, quibus illi nocere ni-

hil possunt, vt Rom. 8, 37. 1 Ioh. 4, 4. Apposite autem *Noesseltus* Opusc. T. 2. p. 61. notauit haec: cum proxime ante haec verba Iesus de Apostolorum, non de suo periculo locutus esset, istam victoriam hactenus sibi tribuit, quod cauturus esset, ne per aduersa, aut hostium furorem, a fide auocarentur; curabo ne vobis noceant, ne vos de fide vestra deturbent. νενίκηκα praeteritum propheticum pro futuro v. 13, 31.

C A P V T XVII.

1. „Christus cum finem dicendi fecisset, (dixerat autem Apostolis quae mitigarent sui desiderium, eosque aduersus tristitiam e sua discessione orituram munirent) ipsi iam Deo tradit et commendat suam suorumque caussam, vt et animum confirmet suum in imminenti vitae periculo, et familiaribus suis modum ostendat quo depellere aegritudinem seque recreare Dei confisione deberent" *Noesseltus* interpret. c. 17. Eu. Ioh. Opusc. T. 2. p. 67. πάτερ, ἐλήλυθεν ἡ ὥρα — δόξασῃ σε] *pater, instat tempus, illustra filium tuum, vt et te vicissim illustret.* ὥρα tempus constitutum, nempe mortis v. 12, 27. 13, 31. de morte sua locutus etiam erat Iesus in proxime praecedentibus 16, 32. et alias quoque saepius ὥρα de tempore calamitoso adhibetur Marc. 14, 35. 1 Ioh. 2, 18. Apoc. 3, 10, vt Lat. *tempus*, v. *Ernestii* Clauis Cic. h. v. Alii intelligunt tempus illustrationis Christi, ὥραν δοξασμοῦ 12, 27. post Christi mortem. De vi ac potestate verbi δοξασθῆναι, cum ad Christum refertur, iam dictum est ad 12, 23. ibique notatum, vario sensu illud vsurpari, et loco quoque orationis contextum definire debere, quaenam notio ei tribuenda sit. Ac nostro quidem loco, vt 16, 14. intelligi debet, *de Christi, post mortem ipsius, his in terris illustratione*, de agnitione dignitatis Christi, seruatoris generis hu-

mani, augendo numero cultorum Chrifti, propagatione doctrinae ipfius. Vt hunc fenfum formulae δόξασόν σου τὸν υἱὸν fubftituamus, omnis orationis feries, non tam poftulat, quam potius flagitat. Etenim c. 16, 32. praecellit: ὁ πατὴρ μετ' ἐμοῦ ἐςι. v. 33. ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον vid. ibi not. h. l. fequitur: ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε, v. 2. autem fermo eft de Chrifti fectatoribus; v. 3. de admiffione doctrinae ipfius, es v. 4. legitur: ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς. Itaque fenfus verborum eft: efficias, pater, vt poft meam mortem mea doctrina latius propagetur, numerus cultorum meorum augeatur, mea dignitas Meffiana agnofcatur, vt fic et numerus tuorum cultorum augeatur, tua maieftas agnofcatur. Alii verba; δόξασόν σου τὸν υἱόν, interpretantur, de *dignitate Chrifti coelefti*, qua fimul contineatur *poteftas* profperos doctrinae fuae his in terris fucceffus adiuuandi, atque locum vertunt: *pater, largire filio tuo dignitatem illam coeleftem, qua praeditus*, (doctrinae fuae propagationem adiuuare f. praeftantiam fuam inter homines illuftrare, itaque) *tuae quoque naturae excellentiam in luce collocare valeat: fiquidem ei hanc prouinciam mandafti, vt* etc. v. *Flattus* Symbolar. ad illuftr. grauiora quaedam I. dicta in Eu. Ioh. P. 2. Tubing. 1808. p. 12. Haec tamen interpretatio nimis quaefita videtur, nec ei fauet v. 22. coll. v. 24. vbi declaratur, chriftianos aliquando participes fore τῆς δόξης τοῦ Χριςοῦ, (h. e. beatitatis Chrifti coeleftis) vid. ib. not. Iis autem in locis, in quibus chriftiani, coeleftis Iefu dignitatis et imperii participes fore (συμβασιλεύειν 2 Tim. 2, 12.) eius amici dicuntur, v. Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. Apoc. 3, 21. quas formulas interpretationis illius defenfores *de imperii conforlio* i. *de efficientia quae ad falutem regni diuini fpectat*, interpretantur, hae ipfae formulae non funt nimis premendae, fed iis omnino depingitur felicitas maxima in altera vita exfpectanda, vid. not. ad Matth. et Luc. ll. cc.

2. Ratio et caussa harum precum affertur haec: tu mihi hanc demandasti prouinciam, ut hominibus te colentibus, et me tuum legatum atque Messiam, salutis auctorem admittentibus, felicitatem perennem largirer v. 2. 3. *καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς κ. τ. λ.*] *siquidem omnes homines eius potestati subiecisti, vt omnibus a te ipsius disciplinae commissis felicitatem aeternam largiretur.* *καθὼς siquidem, nam* v. Act. 7, 17. Rom. 1, 6. 1 Tim. 1, 3. *ἔδωκας ἐξουσίαν* dominum constituisti omnium hominum, non Iudaeorum tantum, sed et gentilium, nempe per doctrinam, vt adeo potestatem habeat, omnibus qui ipsius doctrinam admittant, felicitatem largiendi v. 13, 3. *πᾶσα σάρξ* omnes homines, ex Hebraismo. v. Matth. 24, 22. Luc. 3, 6. 1 Petr. 1, 24. Quod autem constructionem verborum attinet, *ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον*, ea Hebraica est: לְמַעַן כָּל־אֲשֶׁר נָתַן לוֹ תִּתֵּן לָהֶם חַיֵּי עוֹלָם pro, *ἵνα πᾶσι οὓς δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ ζωὴν αἰώνιον*, neque tamen scriptoribus Graecis inusitata, vid. *Kypkius* ad h. l. Scilicet neutrum *πᾶν* vim obtinet masculini v. Hebr. 7, 7. Ioh. 6. 37. 39. casus autem voculae *πᾶν* est vel nominatiuus absolutus, qualis occurrit Act. 7, 40. 20, 3. 1 Ioh. 2, 27. cf. *Raphelius* Obss. Xenophh. ad Luc. 21, 6. ex Arriano ad Act. 20, 3. *Elsnerus* et *Wolfius* ad h. l. vel accusatiuus, pro datiuo positus v. Marc. 6, 16. Matth. 21, 42. et *Kypkius* ad h. l. et ad Act. 10, 36. atque *αὐτοῖς* redundat v. ad 15, 2. *Glassius* Phil. S. p. 177. quod denique pluralis in *δώσῃ αὐτοῖς* referendus sit ad singularem *πᾶν*, constructio est ad sensum, v. *Kypkius*.

3. *αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ — Ἰησοῦν Χριστόν*] *cuius felicitatis perennis haec est caussa*, conditio, ita paratur vita aeterna; *vt te agnoscant vnum verum Deum, et quem misisti Iesum, Messiam.* *Chrysostomus, Heinsius,* alii, v. *Lampium* ad h. l. vt deitatem Christi etiam hoc dicto defenderent,

verba noftra hunc in modum conftruenda praeceperunt: ἵνα γινώσκουσί σε καὶ Ἰησοῦν Χριςὸν, ὃν ἀπέςειλας, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, *vt te et quem mififti Iefum Chriftum verum Deum agnofcant.* Recte improbarunt hanc verborum transpofitionem, qua fine idonea ratione eorum ordini vis infertur, *Lampius*, *Heumanus*, *Semlerus* ad h. l. alii. Neque nobis arridet *Fabri* fententia, qui in Progr. ad locum Ioh. 17, 3. Onoldi 1775. 4. ellipfin verbi εἶναι admittendam, et verba ipfa ita ordinanda ftatuit: ἵνα γινώσκουσί σε εἶναι τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ Ἰησοῦν Χριςὸν εἶναι ἐκεῖνον, ὃν ἀπέςειλας, *vt cognofcant te effe vnum verum Deum, et Iefum Chriftum effe legatum tuum.* Simpliciffima haud dubie atque veriffima eft *Noeffelti* ratio, qui verba ita diftinguit: ἵνα γινώσκουσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν· καὶ, ὃν ἀπέςειλας Ἰησοῦν, Χριστόν. Confirmat hanc rationem locus fimilis Ioh. 20, 31. ἵνα πιςεύσητε ὅτι, ὁ Ἰησοῦς ἐςὶν ὁ Χριςὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. add. 2 Cor. 4, 5. κηρύσσομεν Χριςὸν Ἰησοῦν κύριον. Ioh. 14, 1. *confidite Deo et mihi quoque confidite.* Complectuntur autem huius verfus verba, vt appofite *Noeffeltus* annotauit, omnem vim religionis chriftianae, quatenus ea vel a *ftultitia* gentilium diftinguitur, qui plures fictitios deos colerent, vel ab errore *Iudaeorum*, qui Iefum Meffiam effe negarent. Praeceffit v. 2. πάσης σαρκὸς et Deus nunquam dicitur ἀληθινὸς *verus*, nifi vt ab idolis discernatur, vt 1 Ioh. 5, 20. vbi poftquam Apoftolus dixit veniffe Chriftum, vt *cognofceremus Deum verum*, hanc admonitionem fubiicit: *cauete vobis ab idolis.* add. 1 Theff. 1, 9. 10. ἡ ζωὴ αἰώνιος per metonymiam notat *cauffam felicitatis*, *medium*, *viam* confequendae felicitatis. Loci fimiles 6, 63. 12, 50. cf. et *Glaffius* Phil. S. p. 845 fq. Caeterum γινώσκειν non tantum agnitionem fignificat, fed etiam animi et vitae ad haec quae cognoueris accommodationem, ergo, Deum colere, praecepta eius fequi, doctrinam Chrifti amplecti, eique conuenienter viuere.

4. *ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς*] *ego te his in terris illustraui*, ab inscitia et superstitione homines liberaui, a vitiis sceleribusque eos auocaui, effeci docendo, vt tua maiestas agnosceretur coll. v. 6. *τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω*] *exegi hoc opus, quod mihi exsequendum mandaueras.* Ad negotium Christo a patre demandatum, pertinebat etiam negotium mortis subeundae, quam Christus ipse referebat ad ἔργον quod perficiendum erat, v. Matth. 20. 28. Ioh. 6, 51. 10, 18. 19, 30. sed h. l. per ἔργον intelligi debet, munus, negotium docendi. Etenim Christus hactenus doctrinae suae salutaris propagationem, per eamque suam his in terris illustrationem efflagitarat v. 1 ss. munus docendi, quo Christus hactenus perfunctus erat, pertinuerat ad patris δόξαν patefaciendam v. 1. 3. Christus finitis precibus quae hoc in cap. leguntur, morti obuiam iuit, nec postea palam docuit, reuera ergo hoc negotium docendi peractum erat; praeterea Christus ipse alias formula τελειοῦν τὸ ἔργον de negotio docendi vsus est, v. Ioh. 4, 34. Alii opinantur includi h. l. simul mortem a Christo subeundam, loqui eum etiam dé morte sua, et quidem tanquam iam perpessa, quod eam subire firmiter apud se constituisset, atque illa ei proxime immineret, vid. *Grotius*, *Storrius über den Zweck* etc. p. 189. sq. eiusdem *Lehrbuch der christl. Dogmatik herausg. von Flatt* p. 577.

5. Verba fecerat Iesus in prioribus sermonibus suis c. 13 ss. de reditu suo ad patrem, atque discipulis promiserat, ipsos felicitatis suae futurae in coelo obtinendae participes fore, v. 16, 28. 14, 2. 3. in his ipsis quoque precibus v. 3. mentionem fecerat felicitatis perennis, quam sui et patris cultores consecuturi essent; hinc iam v. 5. memorat etiam beatitatem quae ipsum in coelo maneat. Qua quidem beatitatis suae memoratione, in cuius communionem suos venturos esse declarabat coll. v. 24. mirifice confirmabat discipulorum animos, eosque excitabat ad

doctrinam ſuam conſtanter profitendam. καὶ νῦν δόξασόν με — παρὰ σοὶ] *nunc tu quoque, pater, frui me iube ea apud te beatitate, qua apud te gauiſus ſum ante mundum conditum.* Verbum δοξασθῆναι adhiberi quoque ſolet de *felicitate vitae coeleſtis*, vt Rom. 8, 30. vbi δοξάζειν de Deo adhibitum eſt: largiri chriſtianis felicitatem alterius vitae. Rom. 5, 2. δόξα Θεοῦ futura felicitas, quam Deus chriſtianis tribuet. Rom. 8, 17. εἴπερ συμπάσχομεν (ſcl. τῷ Χριςῷ), ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν. add. infra v. 23. 24. Iam ſupra quidem v. 1. formula δόξασόν με, cuius ſenſum accuratius conſtituebant addita verba: ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε, de propagatione doctrinae Chriſti accipienda erat; ſed h. l. vt omnis orationis ſeries et verborum complexio docet, δόξασόν με, intelligi debet *de gloria, beatitate Chriſti coeleſti.* Nam additum legitur παρὰ σεαυτῷ *apud te*; hoc autem παρὰ σεαυτῷ opponitur verbis quae v. 4. praeceſſerant, ἐπὶ τῆς γῆς, *in terra*, in qua opus ſuum Chriſtus peregerat, ergo δόξα παρὰ Θεῷ *eſt beatitas Chriſti coeleſtis.* Additur porro etiam h. l. ᾗ (vid. ad 8, 44. infra v. 11.) εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί, *qua apud te gauiſus ſum ante mundum conditum*, quae verba de praeexiſtentia Chriſti apud Deum eiusque beatitate intelligenda ſunt, coll. 1, 1. 2. 14. 6, 62. 3, 13. 16, 28. Declarat denique Chriſtus v. 22. 24. ſectatores ſuos hoc nomine dignos, conſecuturos eſſe felicitatem perennem (quam et alias iis promiſit v. Matth. 19, 28. Luc. 22, 30. Ioh. 14, 3. etc.), hanc vero δόξαν comparat cum ſua, affirmat, eos conſecuturos eſſe δόξαν ſibi a patre datam, tempore quidem et gradu inferiorem, eandem tamen genere et loco, παρὰ Θεῷ (Matth. 5, 48.). Verba igitur v. 5. explicanda eſſe *de beatitate Chriſti coeleſti futura* et *de ea beatitate qua iam ante mundum conditum apud patrem gauiſus erat*, ita certum eſſe arbitramur, vt recte dubitari a nemine vllo modo poſſe videatur. Recentiorum tamen interpretum haud pauci ea, quae hoc in verſu leguntur, *vel*, retulerunt ad doctrinae Chriſti propagationem ſ. ad dignitatem et excellentiam

Chrifti ipfa doctrinae eius propagatione illuftrandam, ei *a Deo decretam* f. *deftinatam* v. *Noeffelti* Opufcc. T. 2. p. 72 fs. *Löffleri Anhang zu Souverain Verfuch üb. den Platonismus d. Kirchenväter* p. 389. *Eckermanus* in *Erklärung aller dunkeln Stellen d. N. T.* ad h. l., *vel*, ad beatitatem Chrifti coeleftem *ei a patre decretam* f. *deftinatam*. A) Qui priorem interpretandi rationem fequuntur, verba noftra vertunt: *concede mihi pater ex decreto tuo, honorem, quem mihi ante mundum conditum decreuifti*; explicant: efficias vt his in terris agnofcatur mea dignitas, latiori doctrinae meae propagatione. Ad hanc interpretationem confirmandam his fere argumentis vtuntur: *a*) Non poteft effe h. l. fermo de praeexiftentia Chrifti et maieftate ea, quam Chriftus fecundum naturam diuinam habuit ante mundum conditum, quoniam honor ifte, quem Chrifto Deus dederit, idem a Chrifto ipfo dicitur v. 22., quem dederit viciffim amicis fuis. Iam in antecedentibus fermo fuit de agnitione dignitatis Chrifti his in terris, propagatione doctrinae ipfius promouenda, de hac ergo etiam v. 5. fermo effe debet. *α*) At h. l. *illuftratio Chrifti apud patrem* (παρὰ σεαυτῷ, παρὰ σοί v. 5.) diferte opponitur *patris illuftrationi his in terris* v. 4. ergo non poteft fermo effe de propagatione doctrinae Chrifti, quae fuiffet Dei et Chrifti illuftratio his in terris, fed fermo eft de beatitate Chrifti coelefti; quodfi hanc per δόξαν παρὰ πατρὶ intelligimus: e rationibus fupra iam allatis, quibus accedunt aliae paulo poft afferendae, negari nequit Chriftum δόξαν, genere eandem cultoribus fuis recte promittere potuiffe v. 22. 24. cf. et *Oertelii Chriftologie* Th. 2. p. 514 fq. *b*) δόξα, quam Chriftus difcipulis fuis v. 22. promittit, non commode poteft vitam coeleftem fpectare, cum additum legatur: ἵνα ὦσιν ἕν, fed intelligi debet de illuftratione dignitatis Chrifti per ipfius doctrinae propagationem; et δόξα difcipulorum eft honor in difcipulos ex doctrinae Chrifti propagatione redundans, vid. *Eckermanus*, qui v. 22. vertit: *dignitatem doctoris religionis verae quam mihi tribuifti, iis tribui, eo con-*

filio, vt pariter ac nos consentiant, et v. 24. ita expressit: *volo vt vbi ego doctrina mea efficax fuero, et doctoris diuini nomine colar, ibidem discipuli legatorum meorum honore afficiantur.* β) Quidni vero potuerit Christus cultores suos v. 22. ad voluntatis studiorumque consensum, ad consensum in tenenda et profitenda doctrina diuina excitare spem iis praebendo felicitatis in altera vita praemii loco obtinendae, cum eandem et alias constantibus suis cultoribus promiserit? v. Luc. 22, 28 sq. Ioh. 12, 25. 26. 14, 3. 2 Tim. 2, 12. etc. Durissima porro, vt verissime obseruauit *Flattus* Symbolar. ad illustr. grauiora quaedam dicta I. in Eu. Ioh. P. 2. p. 8. et vsui loquendi contraria, et a sensu locorum Ioh. 12, 26. 14, 3. aliena est verborum v. 24. θέλω, ἵνα, ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμοῦ, interpretatio, quam *Eckermanus* protulit. Nec v. 22. 24. sermo est de discipulis *Christi legatis*, sed omnino de eius sectatoribus coll. v. 20. *c*) Cum per δόξαν Christi intelligenda sit dignitas Christi, doctrinae ipsius propagatione illustranda: in promtu est hac δόξῃ non frui potuisse Christum *ante mundum conditum*; ergo παρὰ σεαυτῷ reddi debet: *ex decreto tuo, destinatione tua*, vt Rom. 11, 25. 12, 17. add. LXX. Prou. 3, 7. 14, 12. γ) Huic obseruationi recte *Flattus* l. c. p. 5. opposuit haec: „Fac nihil obstare, quo minus verba: (τῇ δόξῃ) ᾗ εἶχον, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοὶ, sic vertas: quam ante mundum conditum mihi *decreueras*, haud statim tamen hanc verborum παρὰ σοὶ vim, ad antecedentia, παρὰ σεαυτῷ, ita transferre licet, vt valeant: *ex decreto tuo*. Primum enim, etiamsi sententia: *hoc mihi a te destinatum, tua sententia decretum est*, sic exprimi possit: ἔχω παρὰ σοὶ, non continuo in verba: παρὰ σοὶ s. παρὰ σεαυτῷ *per se* cadit significatio: *ex destinatione tua*. Quod quidem nec ex iis, tum interpretum Alexandrinorum, tum N T. locis, Prou. Rom. ll. cc. efficitur, quibus formula παρά τινι idem valet quod *coram aliquo — ex sententia cuiusdam* (teste vel iudice alio): differt enim iudex vel testis, ab eo, qui *vllam rem alicui decernit*. Deinde otiosum plane et superuacaneum

foret illud παρὰ σεαυτῷ, quo nonnifi obfcurius idem figni-ficaretur, quod fequenti commate: ᾗ — παρὰ σοὶ, maiori tum grauitate, tum perfpicuitate dicitur. Accedit quod ea-dem verba παρὰ σεαυτῷ antecedentibus ἐπὶ τῆς γῆς v. 4. manifefto refpondent." *d*) Verba ᾗ εἶχον παρὰ σοὶ, verten-da funt: *quam mihi deftinaras* f. *decreueras.* Hanc verbo-rum explicationem fert vfus loquendi, v. Matth. 25, 34. Eph. 1, 3 f. 2 Tim. 1, 9. 1 Petr. 1, 20. Apoc. 13, 8. Be-refchit R. 1, 5. *Sex res praeceſſerunt creationem mundi, lex, folium gloriae, patres, Ifrael, domus fanctitatis, nomen Mef-fiae, ante creationem mundi afcenderunt in cogitationem Dei,* (vid. Prolegg. p. 8fi. not. 34.) cf. *Wetftenius* ad h. l. et Matth. l. c. Confirmat hanc interpretationem etiam v. 22. ibi enim τὴν δόξαν ἣν δέδωκάς μοι, δέδωκα αὐτοῖς eft: *ho-norem quem mihi deftinafti, iis deftinaui* fiue *promifi,* non poffunt haec verba explicari: *honorem quem mihi dedifti, iis dedi,* nam illuftrationem fuam adhuc exfpectabat Chri-ftus coll. v. 5. neque Apoftolis contigerat, nam v. 24. le-gitur: θέλω, ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμοῦ. Itaque δόξα ἣν εἶχον παρὰ σοὶ v. 5. eft id. qd. v. 22. δόξα ἣν ἔδωκάς μοι h. e. *honor quem mihi deftinafti.* *e*) Loci e libris N. T. et Rabbinorum fcriptis allati, quibus inter-pretes illi probare volunt formulam ἔχειν τι παρά τινι in-effe notionem *deftinationis*, funt ab h. l. prorfus alieni, haec formula in iis non occurrit. Ponamus v. 22. nullam aliam interpretationem admittere, quam illam modo alla-tam, inde tamen non confequitur verbis v. 5. eundem fen-fum fubiiciendum effe, praefertim cum nulla exempla ido-nea afferri poffint, quibus probetur, εἶχον παρὰ σοὶ, per vfum loquendi notare poffe *quem mihi decreueras.* Neuti-quam vero etiam neceffe eft, vt v. 22. δέδωκας vertamus: *deftinafti.* Poffunt verba ἐγὼ τὴν δόξαν κ. τ. λ. vfui lo-quendi conuenienter, ita explicari: *beatitatem quam mihi concedes* (pro δώσεις), quam in eo es vt mihi des, *iis*, con-ftantibus meis fectatoribus *promifi.* Solet nimirum de re certo et breui futura, inprimis in oratione affectus plena,

qualis haec eſt, adhiberi praeſens et praeteritum pro futuro, vid. v. 10. 11. 13, 31. nec offendere nos poteſt, verbum *δοῦναι* ſic duplici ſignificatu h. l. poſitum eſſe, haec enim loquendi ratio Iohanni perquam familiaris eſt, vid. ad 1, 33. ſic quoque Gen. 35, 12. verbum נתן et apud τοὺς ό verbum *δοῦναι* ita legitur, vt primo loco poſitum ſignificet *promittere*, altero, *dare*. — B) Alii cum viderent tam multis et grauibus difficultatibus premi eam interpretationem, qua *δόξα Χριστοῦ* de religionis Chriſti propagatione et dignitate Chriſti per eam his in terris illuſtranda accipitur: verba v. 5. ita reddenda cenſuerunt: *me apud te*, in coelo, peracto a te mihi demandato negotio, *perfrui iubeas ea felicitate*, *quam mihi ante mundum conditum deſtinaſti*; et v. 22. *ego legatis meis* (ſed vid. ſupra β. extr.) *eandem felicitatem quam mihi deſtinaſti*, *promiſi*, qua, munere ſuo recte et fideliter adminiſtrato, perfruentur vid. *Gableri Neueſt. theol. Journal.* B. 2. p. 179 ſs. Obſtant vero et huic interpretationi, quae de vi ac poteſtate formulae *ῇ εἶχον παρά σοὶ* paulo ante (lit. δ.) monita ſunt. Praeferenda ergo omnino eſt ea verborum huius loci explicatio, quam ſupra propoſuimus et pluribus argumentis defendimus.

6. *ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις κ. τ. λ.*] *tuam doctrinam tradidi his viris*, *quos mihi e coetu improborum dediſti*, *tui erant*, *mihi eos commiſiſti*, *doctrinam tuam ſeruarunt*, conſtanter retinuerunt. *τὸ ὄνομά σου* minus accurate nonnulli interpretantur, *tuam maieſtatem* iis manifeſtaui. Vocabulum *ὄνομα* ſaepius adhibetur ad deſignandam perſonam ipſam v. Ioh. 15, 21. Matth. 10, 22. et *ὄνομα τοῦ Θεοῦ* haud raro ponitur pro *Θεὸς* vt Rom. 2, 24. 1 Tim. 6, 1. vid. ad Matth. 6, 9. ſic h. l. *ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα* proprie notat: *manifeſtaui te*, h. e. ſi ſenſum ſpectamus, *tuam doctrinam tradidi*; nam v. extr. ſequitur: *καὶ τὸν λόγον σου τετηρήκασι*, et v. 14. *ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σου*. Per *τοὺς ἀνθρώπους hos viros* (ὁ ſaepiuſcule

poni pro οὗτος, tralatitium eſt) intelliguntur Apoſtoli, qui praeſentes aderant, pro quibus Ieſus precabatur. Ieſum enim pro Apoſtolis tantum, futuris ſuis legatis, nec, vt alii volunt, ſimul quoque pro caeteris quos tunc ſibi addictos habebat diſcipulis, in prima parte harum precum v. 6 — 20. precatum eſſe, patet e v. 12. 18. 20. οὓς δέδωκάς μοι, quos tua prouidentia meae diſciplinae tradidit, vt fierent doctrinae meae praecones 6, 37. ἐκ τοῦ κόσμου exemtos e grege contemtorum meorum, ab eorum turba ſecretos. σοὶ ἦσαν tui erant, ratione rectae indolis et mentis docilis, non vitiis flagitiisque dediti, erant tui veri cultores.

7. 8. *Iam planiſſime intelligunt, omnia quae mihi tradidiſti, a te eſſe profecta.* πάντα ὅσα δέδωκάς μοι referri debet ad Chriſti doctrinam, vt Matth. 11, 27. vbi v. nam v. 8. haec verba explanantur: τὰ ῥήματα ἃ δέδωκάς μοι Senſus ergo eſt: ſciunt meam doctrinam tuam, a te profectam eſſe, coll. 8, 26. 12, 50. 14, 10. ἔγνωκαν vim praeſentis habet. — 8. Nam doctrinam a te mihi traditam illis tradidi, eamque admiſerunt, vere cognoſcentes, me a te eſſe profectum, te me miſiſſe, v. 16, 30. 6, 69. Matth. 16, 16.

9. 10. ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ] *ego pro illis precor*, tuae curae eos commendo. περὶ pro ὑπὲρ, vt v. 20. 16, 26. Matth. 26, 28. vbi v. not. οὐ περὶ τοῦ κόσμου ἐρωτῶ, *non pro hominibus me repudiantibus precor*. Non haec erat mens et ſententia Ieſu, ſe omnino nolle precari pro aduerſariis ſuis, hoc enim ab eo in crucem acto factum eſt, v. Luc. 23, 34. cf. etiam Matth. 5, 44. ſed his verbis volebat ſententiam exprimere hanc: precor pro tuis cultoribus digni ſunt tuo fauore, audi igitur has meas preces. Nec rei natura patiebatur, vt eodem ſenſu pro improbis precaretur, quo pro ſuis precabatur v. 21. ὅτι σοί εἰσι, *nam tui*, tui cultores et miniſtri ſunt, tuam doctrinam profitentur et ſequuntur coll. v. 8. Hanc primam cauſſam affert,

cur pro difcipulis fuis preces faciat. Addit: *καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐςι, enimuerò omnia mea tua funt, et tua mea,* quibus verbis rationem reddit, cur dixerit ὅτι σοί εἰσι. Senfus eft: qui mei difcipuli funt atque miniftri, funt etiam tui, funt eiusdem doctrinae meae atque tuae cultores et interpretes. Neutrum ergo pro mafculino pofitum eft; vt fupra v. 2. 3, 6. 6, 37. 39. al. Eadem verba, alio tamen fenfu leguntur 16, 15. *tua doctrina mea eft.* Alia cauffa cur pro iis precetur eft: *καί δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς, et eorum opera illuftrabor,* doctrinam meam propagando, eadem quae iis tradidi, aliis tradendo, dignitatem meam Meffianam confpicuam reddent v. fupra v. 2. Sermo eft de re certo futura, eft ergo δεδόξασμαι praeteritum propheticum, v. fupra not. ad v. 5. fub lit. *δ*.

11. Cur Apoftolos Dei curae atque fauori commendet, pro iisque precetur, affert denique etiam cauffam hanc: *καὶ οὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ κ. τ. λ.*] *equidem non amplius inter homines verfabor, hi autem inter eos remanent, me ad te redeunte.* εἰμὶ pro ἔσομαι. Sunt fibi ipfis quafi relicti *ἐν τῷ κόσμῳ*, inter homines, qui eos odio perfequuntur, ὁ κόσμος αὐτοὺς μισεῖ 15, 19. add. 16, 33. *πάτερ ἅγιε, τήρησον αὐτοὺς κ. τ. λ.*] h. e. *Pater fancte, iube eos conftanter doctrinam tuam tenere et profiteri, quos mihi commififti. ἅγιε, fancte, venerande,* Luc. 1, 49. Apoc. 6, 10. *ἐν τῷ ὀνόματί σου* pofitum eft pro ἐν σοὶ, quod vim habet fimplicis pronominis σοί. Sic etiam 2 Cor. 8, 1. et Act. 4, 12. datiuus per ἐν exprimitur. Sed fenfus verborum: *ferua eos tibi*, eft: adiuua eos, vt conftanter doctrinam meam teneant et profiteantur et fequantur, nec per aduerfa, per hoftium furorem fe a fide auocari patiantur. Hanc interpretationem commendant ea quae v. 12. leguntur, coll. v. 8. 9. 10. (σοί εἰσι) 14. Sed pro οὓς in pluribus codd. extat ᾧ, quam lectionem vtpote difficiliorem, pluriumque codd. auctoritate munitam, *Griesbachius* et *Matthaeius* in ordinem receperunt, in aliis legitur ὃ, probante *Bengelio*,

qui ὃ positum esse statuit pro οὓς, vt v. 2. πᾶν ὃ — αὐτοῖς, qui tamen locus non est plane similis. Qui lectionem ᾧ tuentur, hoc pronomen referendum esse monent ad vocem ὄνομα, ita, vt ᾧ positum sit pro ὃ, vt supra v. 5. τῇ δόξῃ ᾗ pro ἣν, cum pronomina non semper ad verbum quod sequitur, effingantur, sed imitentur caussam eius nominis quod praecesserat; v. *Glassius* Phil. S. p. 168. Verba autem ipsa, quae proprie sonant: *serua eos in nomine tuo, quod mihi dedisti*, vertunt, vel: *serua eos in doctrina quam mihi tradidisti*, vel; *serua eos per doctrinam, quam mihi tradidisti*, supplent: in fide. Sed insolens omnino est formula ὄνομα σου ᾧ l. ὃ δέδωκάς μοι, *nomen quod mihi dedisti*, pro, *doctrina, quam mihi tradidisti*; ὄνομα τοῦ Θεοῦ, τοῦ Χριστοῦ, saepius quidem eo *sensu* legitur, vt indicet *doctrinam diuinam*, *doctrinam Christi*, sed nullus idoneus afferri potest locus, vbi ὄνομα et ὄνομα τοῦ Θεοῦ l. Χριστοῦ eo *significatu* legatur, vt denotet *doctrinam*, *doctrinam Dei et Christi*. Praeterea non semper difficilior et exquisitior lectio vera est, vid. *Fischerus* Prolusf. Palaephat. 2. p. 22 ss. Puto igitur lectionem ᾧ, vt et alteram illam ὃ, originem suam debere grammaticis, qui vulgarem lectionem οὓς mutarunt in ᾧ vel ὃ, vt sententiam exprimerent hanc: *serua eos per potestatem, quam mihi dedisti*; cum scirent, vocabulum ὄνομα haud raro significare, *maiestatem*, *potestatem*, et ἐν notare *per*; cum v. extr. legerent ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς ἡμεῖς, et v. 10. τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά, atque haec verba referrent ad vnitatem essentiae Patris et Filii (cf. *Lampius* ad v. 10. 11.); cum iis etiam superflua viderentur verba οὓς δέδωκάς μοι, cum praecesserit αὐτοῖς, αὐτούς. Hanc coniecturam nostram confirmare videtur *Euthymii* ad h. l. notatio: *Pater sancte, serua eos per nomen tuum, quo donasti me, hoc est, serua eos per nomen tuum omnipotens, quod et ego natura habeo, nam et ego Deus sum.* conf. et Scholion ap. *Wetstenium* ad h. l. ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς ἡμεῖς] *vt aeque ac nos sint coniunctissimi.* Cum h. l. haec coniunctio et concordia existere ex eo dicatur, quod

tueantur et conferuent doctrinam diuinam; per fe intelligitur, cogitandum effe in his verbis, de intimo voluntatis ftudiorumque confenfu refpectu doctrinae diuinae, de confenfione in eadem doctrina tenenda et profitenda. cf. et not. ad 10, 30.

12. ὅτε ἤμην μετ' αὐτῶν ἐν τῷ κόσμῳ — ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ] *quamdiu apud eos his in terris fui, operam dedi, vt tuam doctrinam conftanter profiterentur; quos mihi commiferas conferuare ftudui, et nullus eorum periit, praeter hominem illum perfidum, atque hac ratione fcriptura non caruit euentu.* ἀπώλετο cum opponatur ἐτήρουν, ἐφύλαξα, notat: *defecit, fidem fefellit.* ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, Ief. 57, 4. Ifraelitae *perfidi, idololatriae dediti* dicuntur יִלְדֵי פֶשַׁע, ab Alexandrinis τέκνα ἀπωλείας. Nomen פשע defectionem indicat, ἀποστασίαν, vnde etiam 2 Theff. 2, 3. υἱὸς τῆς ἀπωλείας, eft homo, qui a doctrina chriftiana defecit, vid. ibi interpp. Sic h. l. Iudas proditor dicitur υἱὸς ἀπωλείας h. e. perfidus, qui a Chrifti partibus defecit; cf. et infra 18, 9. Ipfa autem locutio υἱὸς τῆς ἀπωλείας Hebraica eft. Solent enim Hebraei vocabulum בן aliis nominibus ita adiungere, vt fignificet eum, ad quem res illae, quae iftis nominibus declarantur, quocunque modo pertinent, vid. ad Matth. 8, 12. 11, 19. ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ] plerumque his verbis refpici putant Pf. 41, 10. quem locum Iefus ipfe, v. 13, 18. de Iudae proditione verba faciens in rem fuam transtulit. Praeplacet mihi tamen eorum fententia, qui, cum non laudata fint fcripturae verba, Iefum refpexiffe putant oracula prophetarum, quae ipfius mortem fpectarent, v. Matth. 26, 25. 54. Luc. 24, 25.

13. 14. νῦν δὲ πρός σε ἔρχομαι, καὶ ταῦτα λαλῶ ἐν τῷ κόσμῳ κ. τ. λ.] *iam ad te rediturus, haec precatus fum, adhuc inter homines verfans, vt laetitia ex me percepta, limpidiffima perfruantur.* ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ eft h. l. gaudium Apoftolorum de Chrifto (vt 15, 9. ἀγάπη ἡ ἐμὴ id. qd.

ἀγάπη μου) non, vt alii volunt, laetitia, et cauffa laetitiae, felicitas, quam Chriftus, poft fuum ex his terris abitum, in coelo percepturus effet, ea enim Apoftoli his in terris perfrui non poterant. *ταῦτα* referendum ad preces a Chrifto hactenus factas, hoc fenfu: haec precatus fum, vt poft meum difceffum laetitia perfruantur confummatiffima, cum fciant, me effe rebus humanis miferiisque exemtum, me frui felicitate apud te maxima, me eos tibi commendaffe, cum fperare poffint ipfos meam cauffam felici fucceffu effe promoturos, et aliquando per me et mecum felicitate maxima perfruituros, v. 2. 4. 5. 10. 11. Alii *ταῦτα* referunt ad verba quae proxime praeceflerunt, *reuertar ad patrem*, et gaudium Apoftolorum, *χαρὰν τὴν ἐμὴν* explicant tantum de gaudio orto ex fortunata Chrifti conditione, quam fubiturus effet poft difceffum ex hac vita in coelis. — 14. *ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σου*, *doctrinam tuam iis tradidi*, vt eam aliis tradant. *καὶ ὁ κόσμος ἐμίσησεν αὐτοὺς propterea homines improbi*, doctrinae meae contemtores, *eos odio profequentur*, *ὅτι οὐκ εἰσὶν ἐκ τοῦ κόσμου κ. τ. λ.*] nam eorum fentiendi et agendi ratio, ficut et mea quam maxime aliena eft, ab illorum hominum fentiendi agendique ratione, v. 15, 18 fq. 8, 23.

15. 16. *οὐκ ἐρωτῶ ἵνα ἄρῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ κόσμου*] *non te precor, vt eos hominibus improbis fubtrahas*, periculis, quae ipfis a doctrinae meae contemtoribus imminent, eripias; bene mereantur de tua cauffa, fideliter fuo munere fungantur, experiantur potius odia illorum hominum, quam vt tua cauffa neglecta, fuae tantum faluti et commodis externis confulant. Alii vertunt: non precor, vt eos ex hac vita auferas. *ἀλλ' ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ πονηροῦ*] *fed vt eos aduerfus Satanam tuearis*, tuearis aduerfus infidias Satanae, ne Satanas eos fubigat. *ὁ πονηρὸς* eft Satanas, vt 1 Ioh. 5, 19. Matth. 6, 13. qui *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου* vocatur, Ioh. 14, 30. Memoratur autem Satanas, quoniam Iudaei omnia mala, etiam delicta hominum, a Satana, tanquam

auctore et promotore deriuare folebant, hinc omnia quae religioni chriftianae eiusque propagationi impedimento, contraria funt, ex vfu loquendi N. T. Satanae tanquam auctori adfcribuntur, hinc etiam Satanas, Chrifti cultoribus infidias ftruere, eosque ad defectionem a religione chriftiana follicitare dicitur, v. ad Matth. 6, 13. Luc. 22, 3. 31. Ioh. 13, 27. Senfus ergo h. l. eft: conftantes eos ferua v. 11. 12. ne tentationibus et peccandi illecebris fuccumbant, neue a mea doctrina defcifcant. Alii πονηροῦ genere neutro fumunt, et per τὸ πονηρὸν *peccatum* i. e. *defectionem a religione chriftiana*, intelligunt; aut *miferias, calamitates*, hoc fenfu: praefta iis auxilium, ne fuccumbant calamitatibus. — 16. Satanae infidiae iis non deerunt, *nam non funt fimiles hominibus improbis, ficut nec ego.* v. Ioh. 15, 19.

17. 18. *Fac vt tibi fint per tuam veritatem confecrati, doctrina tua veritas eft.* ἁγιάζειν inter alia fignificat, *deftinare aliquem muneri facro, conferre alicui munus facrum*, vid. not. ad 10, 36. notat etiam, *efficere, vt aliquis fit et maneat verus Dei et Chrifti cultor*, 1 Theff. 5, 23. 1 Cor. 6, 11. vnde h. l. etiam *Beza*, *Grotius*, *Thalemanus*, *Reichardus*, verba reddiderunt: *reddas eos indies per doctrinam tuam fanctiores.* Sed h. l. fermo eft de Apoftolis doctrinae diuinae futuris interpretibus, de Chrifti legatis coll. v. 18. eatenus v. 19. dicuntur ἡγιασμένοι, et Iefus ipfe, vtpote Meffias atque Dei legatus, vocatur, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ, ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασε, καὶ ἀπέστειλε, Ioh. 10, 36. Apoftoli autem tunc temporis iam deftinati, delecti erant, ad munus legatorum Chrifti obeundum. Itaque ἁγίασον αὐτοὺς explicari debet: *efficias, vt fint et maneant tibi confecrati, legati tui et mei, vt tales fe in pofterum praeftent*, coll. v. 15. Ad ἁγιάζειν fubintelligi debet σοι, quod pronomen verbo ἁγιάζειν additum legitur Ex. 13, 2. Num. 3, 13. al. ἐν τῇ ἀληθείᾳ, per veritatis profeffionem et propagationem. *ἐν per* l. *quod attinet ad* vid. *Schleufneri*

Lex. fub v. ἐν. — 18. *Quemadmodum tu me mififti ad homines*, vt iis veram doctrinam traderem, vt voluntatis tuae interpres effem; *ita ego ad homines*, cum mihi iam abeundum fit ab ifta prouincia, *eos ablego*, vt fint doctrinae tuae et meae praecones. ἀπέςειλα *mitto* i. mittam, vt 4, 36.

19. καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν κ. τ. λ.] *equidem me ipfum pro iis confecraui tibi, vt hi quoque per veritatem*, tuam doctrinam propagantes *tibi confecrati effent*. ἁγιάζω ἐμαυτὸν fcl. σοι. Praefens pofitum eft pro praeterito, vid. *Glaffius* Phil. S. p. 307 fq. Ioh. 8, 58. 1 Ioh. 4, 17. *me tibi, minifterio tuo confecraui*, munus legati tui fufcepi, legatus tuus veni, ὑπὲρ αὐτῶν eorum cauffa, vt iis tuam doctrinam traderem v. *Heumanus* ad h. l. *Noeffeltus* Opufcc. T. 2. p. 81. Exercitt. p. 137. Accurate hic verfus cohaeret cum eo qui praeceffit, vt particula καὶ docet, et verbum ἁγιάζειν v. 17. et 19. eodem fenfu capiendum effe, declarant etiam fequentia verba: ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ, vt hi, poft meum disceffum legatorum tuorum munere fungerentur, ad munus interpretum doctrinae tuae a me praeparati. ἁγιάζειν, vt Hebr. קדשׁ interdum fignificet: *expiare, victimam offerre Deo*, v. Exod. 29, 35 fs. Leuit. 22, 2. 3. Ier. 12, 3. haud pauci interpretes, praeeuntibus Chryfoftomo (Homil. 72. in Ioh. qui explicat: προςφέρω σοι θυσίαν) et Cyrillo, vid. *Suiceri* Thef. Eccl. T. 1. p. 56. contextus rationem non habentes, cum nihil de morte Chrifti praeceſſerit aut fequatur, verba: καὶ ὑπὲρ αὐτ. ἁγ. ἐμαυτὸν, male interpretati funt: me tibi pro iis vt facrificium offeram, mea morte eos expiabo, vel omnino, falutis eorum cauffa mortem fubibo. Quod reliqua verba attinet, interpretes ifti variant. Alii ea explicant: vt, vbi neceffitas poftulauerit, ipfi parati fint pro veritate (ἐν ἀληθείᾳ pro ὑπὲρ τῆς ἀληθείας), mortem fubire. Alii: vt per hoc facrificium

vere (ἐν ἀληθείᾳ pro ἀληθῶς) puri fint a peccatorum fordibus.

20. 21. οὐ περὶ τούτων δὲ — εἰς ἐμὲ] *neque tamen pro his* (Apoftolis) *tantum precor, fed et pro iis, qui per horum doctrinam mihi fidem habituri funt.* Pro πιστευσόντων in aliis libris legitur πιστευόντων, ita vt praefens vim futuri obtineat, quae vera lectio eft; πιστευσόντων pro interpretamento grammaticorum habendum. — 21. ἵνα πάντες ἓν ὦσι κ. τ. λ.] *vt omnes inuicem fint coniunctiffimi, ficuti tu pater mecum, et ego tecum, vt ipfi quoque nobiscum fint coniunctiffimi.* Intelligenda funt haec verba, vt omnis contextus planiffime docet, de intimo voluntatis ftudiorumque confenfu, praecipue in doctrina coll. v. 11. Omnes eandem teneant, profiteantur et fequantur, vita et factis exprimant doctrinam, atque ita, cum mea doctrina, mea cauffa, tua fit, confentiant nobiscum, vnanimi confenfu noftram cauffam tueantur. ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ ὅτι σύ με ἀπέστειλας] *vt doctrinae meae contemtores fibi perfuadeant, me effe a te miffum.* Bene *Noeffeltus* Opufcc. T. 2. p. 83. „nempe cum eandem doctrinam omnes chriftiani tuerentur, non modo coniunctis viribus eandem propagabant ad alios, fed etiam ipfa virtus, efformata ad illam Chrifti difciplinam, commendabat doctrinam difciplinamque ipfam; qua re efficiebatur, vt vel profani agnofcerent eius praeftantiam et diuinam Iefu Chrifti a Deo miffi auctoritatem." vid. Matth. 5, 16. 1 Petr. 2, 12. Act. 2, 47. 4, 22.

22. 23. Vid. fupra not. ad v. 5. lit. δ. et β. Per δόξαν *Chryfoftomus, Theophylactus, Euthymius, Grotius, Hammondus, Clericus, Schoetgenius, Langius, Boltenius,* intelligi voluerunt, vim miracula patrandi, cui tamen interpretationi neutiquam fauet v. 24. vbi Chriftus verba τὴν δόξαν τὴν ἐμὴν ἣν ἔδωκάς μοι repetens, diferte loquitur de beatitate alterius vitae; eft praeterea h. l. fermo

de Chrifti fectatoribus omnibus, non de Apoftolis. *ἵνα ὦσιν ἓν — καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας*] *vt inuicem coniuncti fint, confentiant, ficut et nos, vt inquam, ego* (*ἐγὼ ἐν αὐτοῖς* repetendum *ἵνα* et fupplendum *ὦ*) *cum iis coniunctus fim,* meam cauffam et doctrinam, quae etiam tua eft, tueantur, *ficuti tu mecum* (*καὶ σὺ* pofitum pro *καθὼς σὺ* v. 21.) *quo perfecte fint coniuncti, et hac ratione homines profani intelligant, te me mififfe* (vid. ad v. 21. extr.) *teque eos amare* (*ἠγάπησας* pro *ἀγαπᾷς*) *ficuti me amas*, intelligant hoc ex fauoris tui documentis, quibus eos ornas, e profpero ftudiorum eorum fucceffu. *τετελειωμένοι εἰς ἕν*, funt ii, qui *τελείως* fiue *ἀληθῶς* confentiunt. Caeterum pertinet huc obferuatio *Noeffelti* Opufcc. T. 2. p. 82. „repetit Chriftus et eadem fere, et iisdem paene verbis, in quibus grata quaedam negligentia regnat, profecta ab vna quafi cogitatione, quae omnem occupaffet animum Chrifti, et pectore amoris Dei fuorumque difcipulorum pleno, quale pectus fponte emittit, quaecunque menti obuerfentur, non quaerit operofe quae fint, aut quo modo dicenda.“

24. *Pater, precor,* (*θέλω* vid. ad Matth. 15, 28. fupra v. 9. 20. *ἐρωτῶ*) *vt quos fectatores meos effe voluifti* (v. 6.) *mecum eodem loco vbi ego* (*εἰμὶ* pro *ἔσομαι*) *verfentur*, vt mecum coniuncti, vna mecum *fint*, *vt fint participes felicitatis, quam tu mihi certiffime dabis* (*δέδωκας* id. qd.) *δώσεις*, vid. ad v. 5. lit. *d.* extr.), *quoniam iam ante primordia mundi, cum apud te effem, me amore complexus es*, vid. 1, 18. *θεωρεῖν* non tantum eft *fpectare*, *teftem effe alicuius rei*, fed etiam notat, *experiri*, *percipere*, verba enim fenfuum externorum faepe ad fenfus internos referuntur, v. Pf. 26, 8. Ioh. 8, 51.

25. 26. *Benigniffime pater, quamquam* (*καὶ* v. ad Luc. 18, 7. *Graevius* ad Hefiod. Ἔργ. v. 357. *Elfnerus* ad h. l.) *homines improbi te*, tuam benignitatem *agnofcere nolunt*, tua confilia falutaria agnofcere nolunt, me legatum tuum

repudiant (fequitur enim: καὶ οὗτοι ἔγνωσαν ὅτι σύ με ἀπέϛειλας) *ego tamen te*, tua confilia, tuam voluntatem *noui*, fum legatus tuus, non cauffa cadam 16, 11. 32. 33. *et hi* (Apoftolos praefentes manu monftrabat) *norunt te me miſiſſe. Te iis manifeſtaui* (v. 6.), tuam iis patefeci doctrinam, *et in poſterum manifeſtabo*, ipfe, poft refurrectionem meam et per παράκλητον v. 14. 16. 20. 21. *vt eodem amore quo me complecteris, et ipſi fruantur*, vt digni fint et reddantur amoris tui documentis, auxilio tuo, felicitate huius et alterius vitae v. 23. 24. *et mecum coniuncti maneant*, meam cauffam in pofterum tueantur v. 23. δίκαιος h. l. non eft *iuſtus*, fed *benignus*, id quod vel vltima verba v. 26. docent; hoc fignificatu faepius nomina צדיק et צדקה leguntur, v. Pf. 112, 6. 9. not. ad Matth. 1, 19. ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησάς με pro καθ' ἣν ἠγάπησάς με vel ᾗ ἠγαπ. με, v. *Kypkius* ad h. l.

C A P V T XVIII.

1. 2. *His dictis Ieſus cum diſcipulis vrbe egreſſus* (14, 31.) *torrentem Cedronem tranſiit, vbi erat hortus, quem Ieſus illis ipſum comitantibus intrauit.* Pro τῶν κέδρων in aliis libris extat τοῦ Κεδρὼν, quam fcripturam vnice veram effe, recte iudicarunt *Beza*, *Caſaubonus*, *Semlerus*, *Griesbachius*, alii, a *Wolfio* in Curis ad h. l. laudati. Scilicet Κεδρὼν Hebr. קדרון erat nomen torrentis et vallis inter Hierofolymam et montem oliuarum v. 2 Sam. 15, 23. 1 Regg. 2, 37. 15, 13. 2 Regg. 23, 6. 2 Chron. 29, 16. Ier. 31, 40. Ioſeph. Ant. 7, 12. memorat τὸν χείμαῤῥον Κεδρῶνος. Ant. 9, 7. 3. τὴν Φάραγγα τοῦ Κεδρῶνος. cf. et *Bachiene Beſchr. von Palaeſtina* Th. 1. p. 154. קדרון deriuatum eft a קדר *nigrum eſſe*, atque hoc nomen torrens accepit, vel, vt *Lightfootus* ad h. l. ftatuit, a colore aquae nigro, vel vt *Relandus* in Palaeftina p. 294. contendit, a tenebris et ob-

fcuritate vallis, quae inter altiffimos montes media fuerit, et hortis arboribusque, quae eam obumbrarint, ftipata. Lectio *τῶν κέδρων* profecta eft ab indoctis librariis, qui nomen e Graeca lingua repeterent, atque hic de *cedris, arboribus*, agi putarent, quas tamen Hebraei diuerfo prorfus vocabulo ארזים vocant. *Cedri* autem *non gaudent locis humilibus et profundis, fed ficcis et montanis*, vt fcribit Plinius H. N. 16, 18. et Iofepho locis fupra laudatis torrens aeque ac vallis dicitur Κέδρων. Caeterum eadem lectionis varietas, quae h. l. reperitur, deprehenditur etiam in verfione Alexandrina 2 Sam. 15, 23. et 1 Regg. 15, 13. *κῆπος hortus* Hebr. גן Deut. 11, 10. Xenoph. Oecon. 4, 13. erat hortus in villa Gethfemane, vid. Matth. 26, 36. *ὅτι πολλάκις συνήχθη ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖ μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ*] *cum ibi faepius Iefus cum fuis* noctu *conuenire folitus effet.* Solebat Iefus, cum feftis diebus Hierofolymis effet, noctu verfari prope montem oliuarum, et Bethaniae pernoctare. cf. Luc. 21, 37. Matth. 21, 17. Ioh. 8, 1. 2. 2, 23. vbi v.

3. *Quare Iudas cum excubiis templi, et facerdotum principum atque Pharifaeorum apparitoribus, cum facibus, lampadibus et armis, eo fe contulit.* Per *τὴν σπεῖραν*, cum additus fit articulus, *Grotius*, *Lampius*, *Heumanus*, *Rufius*, *Semlerus*, *Mofchius*, alii, intelligunt *cohortem Romanam*, milites praefidiarios Romanorum, in arce Antonia excubias agentes; cum vero parum probabile fit, vniuerfam cohortem (vid. ad Matth. 27, 27.) ad vnum hominem, aut paucos in loco folitario noctu comprehendendos abiiffe, partem tantum cohortis, eam nimirum, quae templi porticus diebus feftis cuftodiret (vid. *Mofchius Leidensgefch.* p. 440. *Storrius* Opufcc. T. 3. p. 231.), intelligendam effe, interpretes illi praecipiunt, vt adeo pars cohortis *σπεῖρα* dicta fit, per fynecdochen. Sed articulus *ὁ*, vt tritum eft, faepius indefinite ponitur. Cohors Romana, vt bene monuit *Gurlittus* in Explicatione

c. 18. Euang. Ioh. Hamburgi 1805. 4. p. 5. fine dubio Iesum statim deduxisset ad Pilatum, non ad Hananum. Non probabile est, milites Romanos secum assumsisse ministros publicos synedrii, et χιλίαρχον, tribunum (v. Act. 23.) cum parte cohortis ad Iesum capiendum abiisse, vid. *Michaelis* et *Schulzius* ad h. l. conf. praeterea quae notauimus ad Matth. 26, 27. Rectius igitur per τὴν σπεῖραν intelligitur, caterua excubitorum templi, turba Leuitarum, qui in templo excubias agebant, quibus praeerant ϛρατηγοὶ 2 Paral. 35, 8. vid. ad Matth. l. c. quarum excubiarum supremus praefectus κατ' ἐξοχὴν dicebatur ὁ ϛρατηγὸς, vid. ad Luc. 22, 4. et infra v. 12. vt 3 Esdr. 1, 9. χιλίαρχος vocatur, vt adeo neque hoc vocabulum nos cogitare iubeat de tribuno militum Romanorum et cohorte Romana. Ipsum quoque nomen σπεῖρα quod in linguam Chaldaicam אספיר, v. *Buxtorfii* Lex. Chald. p. 171. et Syriacam ܐܣܦܝܪ transiit, significat omnino *coetum, turbam hominum*, vid. *Castelli* Lex. Syr. p. 615. vnde et Matth. 26, 47. pro vocabulo σπεῖρα quo Iohannes vsus est, legitur voc. ὄχλος. *Sacerdotum principes* et *Pharisaei*, sunt periphrasis synedrii, vt saepius, vid. Marc. 14, 43. nominantur Pharisaei, quoniam potiorem partem synedrii absoluebant, et hostes Iesu acerrimi erant. Φανὸς h. l. *fax*, quo significatu Attici hoc vocabulum adhibebant, recentioribus laternam significat, vid. *Wetstenius* ad h. l. *Sturzii* Lex. Xenoph. et *Schleusneri* Lex. h. v. λαμπὰς h. l. *laterna*, lucerna oleo humectanda instructa, vt Matth. 25, 3. ὅπλων *arma*, describuntur Matth. 26, 47.

4. 5. *Tum Iesus, qui omnia sibi euentura praeuidisset, egressus, eos interrogauit: quem quaeritis?* εἰδὼς, v. ad Ioh. 8, 56. τὰ ἐρχόμενα pro ἐλευσόμενα. ἐξελθὼν *egressus*, nempe, ex horto. At v. 26. seruus pontificis ita loquens inducitur, ἐγώ σε εἶδον ἐν τῷ κήπῳ, *in horto te apud illum conspexi.* Verum in sermone populari, vt monuerunt

ad h. l. interpretes, verba non funt nimis premenda, Petrus vna cum Iefu in horto fuerat, et cum eum confpiceret feruus, ex horto modo egreffus erat; quae autem v. 4 fqq. leguntur, ante oftium horti euenerunt. vid. *Lilienthalius* in *die gute Sache d. göttl. Offenbarung* Th. 10. p. 889. Alii ἐν explicant *prope, apud,* de qua vi ac poteftate praepofitionis ἐν vid. *Schleufneri* Lex. h. v. n. 7. Alii, qui in horto Iefum comprehenfum effe ftatuunt, ἐξῆλθε vertunt: *obuiam iis proceffit,* fed defiderantur exempla idonea, quibus haec fignificatio comprobetur. τίνα ζητεῖτε, *quemnam quaeritis?* ad quemnam capiendum iuffu fynedrii exiiftis? Iudas, vt Matth. 26, 47. Marc. 15, 45. Luc. 22, 47. referunt, quo certius fcirent quis prehendendus effet, promiferat, fe ofculum prehendendo effe daturum. Iefum enim capiendum effe, haud dubie tantummodo apparitorum praefectis notum erat. Iam quaefiuerunt interpretes, vtrum quae h. l. v. 4 — 8. leguntur, euenerint, ofculo iam dato, an eo nondum dato? vid. *Rufius* in Harmon. Eu. et *Lampius* ad h. l. Qui pofteriorem fententiam amplectuntur, eam inprimis hoc argumento defendunt: fi Iudas ofculo iam prodidiffet fatellitibus Iefum, non, *quem quaererent?* ei percontanti refpondiffent, quafi illius adhuc non fatis gnari, quod ipfe effet, *Iefum Nazarenum*; nec opus fuiffet, vt is demum iis diceret, fe illum effe. Qui priorem fententiam tuentur, eorum nonnulli, vt ex hac difficultate fe expediant, coniiciunt, mentis conturbationem, malas actiones comitari folitam, effeciffe, vt Iudas ofculum tempore minus apto daret. Eum turbam praeiuiffe, eo confilio, vt ofculo dato capiendum oftenderet, attamen, vt perfidiam hanc magiftro et condifcipulis occultaret, celeriter proceffiffe, non exfpectaffe cateruae aduentum, Iefumque falutaffe. Satellites ergo Iefum propterea non agnouiffe, quod Iudam ofculum ipfi figentem non vidiffent. vid. *Maknightii* Commentar. in IV. Euangg. T. 3. p. 432. et *Lamyi* Commentar. in Harmon. IV. Euangeliftar. p. 544. Equidem accedo eorum fententiae, qui Iudam ofculatum

esse Iesum statuunt, antequam euenirent ea, quae h. l. v. 4 sqq. leguntur. Etenim parum probabile est, Iudam tum demum osculatum esse Iesum, vt cateruae ostenderet eum capiendum esse, cum Iesus iam bis affirmasset, se esse eum, quem quaererent, cumque iam turba Iesum nosci-tasset, coll. v. 6. Praeterea Lucas 22, 47. diserte refert, Iudam praeiuisse turbam, et ad Iesum accessisse, vt eum oscularetur; atque apud Matthaeum 26, 49. legitur: *καὶ εὐθέως προσελθὼν τῷ Ἰησοῦ — κατεφίλησεν αὐτόν*. Ex his igitur locis patet, Iudam osculatum esse Iesum, antequam hic alloqueretur turbam. Iam vero narrationes Euangelistarum mihi ita componendae esse videntur. Iudas turbam praeibat, haec eum non magno interuallo sequebatur. Cum Iudas Iesu incidisset, eum salutabat et osculabatur. Iesus vero, cum paucis verbis hominis impietatem castigasset, vid. Matth. 26, 50. Luc. 22, 47. turbae iterum propius accedenti obuiam ibat, et graui ac forti voce apparitorum praefectos interrogabat, quemnam quaererent? Hi cum Iesum conspicerent, eiusque vocem audirent, perturbati et consternati simulabant, se eum non nosse, et respondebant: Iesum Nazarenum. Apparitores vero ipsi, qui ignorarant hactenus, ad quem capiendum missi essent, cum Iesum agnoscerent, et hic grauiori et fortiori voce affirmaret, se eum esse, quem quaererent, retrocedebant, et plures eorum humi procumbebant. vid. ad v. 6. Circumdederant apparitores discipulos quoque. Nonnulli igitur eorum audaciores reliquis, cum se ex terrore recepissent, discipulis manus iniicere volebant. Quare Iesus repetita vice, praefectos graui et forti voce interrogabat, quem quaererent? qui voce eius denuo perturbati, iterum respondebant: Iesum Nazarenum. Cum vero Iesus mitiori voce adiiceret ea, quae v. 8. leguntur, cum apparitores eorumque praefecti sibi nihil a Iesu metuendum esse viderent, eosque etiam confirmarent synedri, qui cateruam comitati erant, vid. Luc. 22, 52. animum resumebant, et in Iesum ipsum irruebant. Petrus stricto gladio

Malchum, pontificis summi seruum, vulnerabat, vid. Matth. 26, 51. Marc. 14, 47. Luc. 22, 49. 50. Ioh. v. 10. Iesus, cum nimiam Petri audaciam reprehendisset et repressisset Matth. 26, 52. Luc. 22, 51. et Malchum sanasset, vid. Luc. l. c. vinculis constringebatur Ioh. v. 12. Sequuntur iam ea, quae Matth. 26, 55. Marc. 14, 48. Luc. 22, 52. Matth. 26, 56. Marc. 14, 50. leguntur. εἱστήκει δὲ καὶ Ἰούδας — μετ' αὐτῶν, Iudas, facinore commisso, pudore suffusus adiunxerat se cateruae, adstabat, suspenso animo rei exitum exspectans.

6. ὡς οὖν εἶπεν αὐτοῖς — ἔπεσον χαμαί] *cum Iesus dixisset, se illum esse, retrocesserunt, et humi prolapsi sunt.* Interpretes haud pauci quae h. l. leguntur de satellitibus voce Christi prostratis, ad miraculum referunt, alii, in his *Heumanus*, *Morus*, *Hezelius*, *Rosenmüllerus*; e caussis naturalibus rem explicari posse statuunt. Recte. *Scilicet, vt iam supra notauimus, perquam probabile est, turbam ipsam ignorasse, quis prehendendus esset, conf. Ioh. 7, 45 sqq. hoc tantum apparitorum praefectis notum fuisse. Cum ergo Leuitae et apparitores repente cernerent Iesum, quem scirent tot insignia facta edidisse, tanta cum vi docuisse per Palaestinam, cum audirent, se ad hunc insignem doctorem et thaumaturgum capiendum missos esse, cum Iesus promte et intrepide, graui ac forti voce affirmasset, se eum esse quem quaererent, poenam et interitum metuentes, retrocesserunt, vacillarunt, et plures eorum humi prociderunt. Non legitur h. l. omnes in terram esse prolapsos, indefinite Iohannes scripsit; quodsi vero etiam adiectum esset πάντες, hoc tamen vocabulum commode explicari posset de pluribus in terram prolapsis, cum πάντες haud raro ponatur pro πολλοί, v. *Schleusneri* Lex. h. v. Caeterum ad illustrandam rem h. l. expositam, laudant interpretes locum Valer. Max. 8, 9. 2. *Missi a saeuissimis ducibus milites ad M. Antonium obtruncandum, sermone eius obstupefacti, destrictos iam et vibrantes gladios cruore vacuos*

vaginis reddiderunt. Vellei. Paterc. 2, 19. 3. *Ad quem* (C. Marium) *interficiendum missus cum gladio seruus publicus, natione Germanus, qui forte ab imperatore eo, bello Cimbrico captus erat, vt agnouit Marium, magno eiulatu expromente indignationem casu tanti viri, abiecto gladio profugit e carcere.*

8. 9. Ex ipsis v. 8. verbis patet, satellitum nonnullos manus iniicere voluisse discipulis, dictis vero Iesu admonitos, et cum iis non mandatum esset, vt discipulos quoque comprehenderent, ab iis abstinuisse. — 9. *Ita vt etiam hic valeret Iesu effatum, neminem eorum, quos mihi attribuisti, amisi.* Respexit Iohannes his verbis effatum Christi, supra 17, 12, allatum. ἀπώλεσα id. qd. ἐφύλαξα καὶ οὐδεὶς ἀπώλετο, custodiui eos, vt nullus eorum deficeret. Attulit autem Euangelista illud Christi effatum hoc sensu: Euentum etiam tunc habuit Christi dictum: quamdiu cum iis versatus sum, quantum fieri potuit, caui, ne vllus eorum a me, a mea disciplina, deficeret, hanc prouidam curam etiam tunc temporis Christus probauit, prospexit ne vna cum ipso captiui abducerentur discipuli. Discipuli enim in vincula coniecti, male tractati, cum tunc temporis nondum satis firma eorum fides esset, Iesu caussam haud dubie deseruissent, vt vel Petri exemplum affatim docet. Nonnulli interpretes Iohannem magistri verba accommodasse, iisque alium sensum, quam quo Christus ea dixerit, substituisse autumant, atque adeo ἀπώλεσα explicant: perire, miserum esse passus sum; nullus eorum abductus, in vincula coniectus, mihi vi, caede ereptus est.

10. 11. Vid. not. ad Matth. 26, 51. Μάλχος Iohannes solus serui nomen affert, quoniam, vt *Semlerus* coniicit, antea in aedibus pontificis summi subinde versari solitus erat, coll. v. 15. 16. atque ita seruitiorum nomina didicerat. τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, οὐ μὴ πίω αὐτό;] nonne in me suscipiam calamitatem e voluntate

patris fubeundam? ποτήριον imago *calamitatum, fortis adverfae*, vid. ad Matth. 20, 22. 26, 39.

12—14. Vid. not. v. 3. Ἰουδαῖοι fynedri, vt faepius. ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, *qui*, Caiaphas, *illo tempore pontifex fummus erat*, vid. not. ad 11, 49. ἦν δὲ ὁ Καϊάφας κ. τ. λ. notauit haec Euangelifta, ad eleuandam iudicii de Chrifto habiti auctoritatem, vt oftenderet, quam parum fibi Chriftus cognitionem aequam et iuftam ab hoc iudice promittere potuerit. Quae iam inde a v. 15. fequuntur, in aedibus Caiaphae gefta funt, vid. not. ad Matth. 26, 57 fq.

15. αὐλή, vid. ad Matth. 26, 57. Verbis καὶ ὁ ἄλλος μαθητής, *et alius difcipulus*, Iohannem ipfum fe defignaffe, plerique cum veterum, tum recentiorum interpretum, recte opinor, ftatuunt, vid. 20, 2. 3. 4. 8. coll. 13, 23. Alii tamen per τὸν ἄλλον μαθητὴν Iohannem defignari negant, atque hanc fententiam fuam his fere argumentis defendunt: a) „Non additum legitur h. l. vt alias, *qui Iefu inprimis carus erat.*“ At enimuero, hic certe, vt bene *Semlerus* monuit, parum commodus locus erat huic defcriptioni, longe autem potior erat illa: ὃς ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ. b) „Non perfpicitur, quomodo pifcator Galilaeus in quandam propiorem notitiam Caiaphae, pontificis fummi, peruenire potuerit.“ Sed Iohannes erat Zebedaei, haud infimae fortis pifcatoris, filius, v. Prolegg. p. 1. et variae rationes effe poffunt, vtor *Rofenmülleri* verbis ad h. l. ex quibus fit, vt vnus prae aliis homini cuidam innotefcere poffit. c) „Iohannes cum Galilaeus effet, non minus quam Petrus, Galilaeus, in periculum incidiffet.“ Sed Iohanni nihil metuendum erat a domefticis, cum his notus effet, atque ipfi pontifici, et hic ei faueret. d) „Quomodo Iohannes potuit amicus effe Iefu et Caiaphae?“ Fauere potuit fummus pontifex Iohanni, etfi hic nullo modo talem fauorem promereri vellet. *Semlerus*.

Itaque nulla idonea ratio adeſt, vt a vulgari ſententia recedamus, et vel cum *Grotio*, aliisque, qui eum ſecuti ſunt, intelligamus, *ciuem nobilem Hieroſolymitanum*, clandeſtinum Chriſti diſcipulum, in cuius forte aedibus Paſcha celebrauerat Ieſus (ſed ὁ ἄλλος μαθητής refertur ad Petrum *Apoſtolum*); vel cum *Merkenio* in Obſſ. Crit. in Paſſionem I. C. p. 392. (vid. *Lampius* ad h. l.) *Heumano*, aliis, de *Iuda proditore* cogitemus. Cuius poſterioris ſententiae propugnatoribus atque patronis *Semlerus* oppoſuit haec: „Iudae nomen Iohannes paulo ante v. 2. 5. bis poſuit, ſine illa additione, ὁ μαθητής. Quomodo igitur hic Iohannes, poſtquam deſciuerat Iudas a Ieſu 17, 12. 18, 9. poſt ſcelus illud peractum, tamen eum ſic deſcribat: ὁ ἄλλος μαθητής; Nomen ἄλλος refertur ad Petrum, is adhuc perſtabat in omine et iure diſcipuli, in amore et ſollicitudine ob Ieſum; Iudas igitur dicatur *alius* diſcipulus, vt Petrus ſic dicitur eſſe diſcipulus? Quis credat, Petrum in colloquium Iudae veniſſe, et quaſi adiutorem ſibi expetiiſſe Iudam? Potuiſſe *fidere* et ſecurum eſſe? Nempe ſi Iudas interfuiſſet negationi huic, poteratne Petrus tamen confidere, de Iudae bona in ipſum voluntate?“ Caeterum apud reliquos Euangeliſtas *omnes* diſcipuli Ieſum deſeruiſſe dicuntur, et h. l. Petrus tamen et Iohannes eum ſecuti eſſe. Sed apud reliquos Euangeliſtas τὸ *omnes* ſenſu populari dicitur, pro, *paene omnes.* ἦν γνωςὸς τῷ ἀρχιερεῖ, *pontifici notus erat*, adiecit haec Euangeliſta, vt oſtenderet, qui fieri potuerit, vt ipſe cum Petro atrium pontificis, nemine obſtante, penetraret.

16—18. τῇ θυρωρῷ ancillae ianitrici v. ad Matth. 26, 69. Marc. 13, 34. ψῦχος *frigus* Xen. Cyr. 4, 2. 15. Mem. 4, 3. 8. h. l. *nox frigida*, quales circa tempus feſti Paſchalis in Palaeſtina eſſe ſolent, vid. *Bynaeus* de morte Chriſti L. 2. c. 4. §. 24. *Lightfootus* et *Hezelius* ad h. l.

19—21. Breuiter exponit Iohannes interrogationem a Caiapha inſtitutam, vid. Matth. 26, 59. Luc. 22, 67 ſqq.

ὁ οὖν ἀρχιερεὺς ἠρώτησε κ. τ. λ.] *Pontifex igitur Iesum interrogabat de discipulis suis atque doctrina.* Pontifex, qui Iesum seditionis et impietatis reum facere vellet, insidiose eum interrogabat de discipulis, quos magno numero coegisset, vnde suspicio facile oriri possit, seditionem ipsum moliri; de doctrina, quam fama percrebuerit esse nouam et erroneam, Mosi doctrinae contrariam et seditiosam, interrogabat eum, quem in finem asseclas collegisset, vid. 4, 1. 2. an hoc fecisset vt sibi regiam dignitatem acquireret (*μαθηταὶ* sensu latiori positum asseclae, v. ad Matth. 24, 1.), quaenam dogmata iis tradidisset? Quas quidem quaestiones Iesu proponebat, vt ex responsionibus ipsius occasionem eum criminandi captaret. — 20. 21. Iesus vero innocentiae suae sibi conscius, et probe sciens, se coram iudice iniquo, qui ipsum iam morti destinasset, stare Ioh. 11, 53. Luc. 22, 67 sq. respondebat: *ego palam ad homines locutus sum; assidue in synagogis docui, et in templo, quo conuenire solent omnes Iudaei, neque quicquam in occulto tradidi. Quid me interrogas? interroga potius auditores meos, quid iis tradiderim, hi quales sermones habuerim, sciunt.* Declarabat Iesus his verbis, se neutiquam concitare voluisse populum, seque non tradidisse doctrinam impiam et seditiosam. Exprobrabat praeterea interrogationis institutae iniquitatem, quod cum publice docuerit, non per testes idoneos ipsi ob oculos ponatur, quid mali commiserit, sed insidiose interrogetur Deut. 19, 15. *πάντοτε*, *assidue, frequenter*, vid. *Glassius* Phil. S. p. 373. Articulus ante *συναγωγῇ* in pluribus codd. deest, adscriptus haud dubie a librariis, cum eum nomini *ἱερῷ* adiunctum viderent. Singularis autem positus est pro plurali, nec tantum de synagogis Hierosolymitanis (plures fuisse Hierosolymis synagogas docuit *Deylingius* Obss. Sacrr. P. 2. p. 334.), sed de quibus suis etiam aliis cogitandum esse arbitror. Neutiquam ergo audiendus *Harduinus* Opp. Select. p. 904. qui duas tantum Hierosolymis synagogas fuisse statuit, alteram ciuium, alteram Libertinorum Act. 6, 9. memoratam, at-

que h. l. cum articulus additus fit, fynagogam ciuium intelligendam effe contendit, vid. *Wolfius* in Curis ad h. l. et *Deylingius* l. c. Pro πάντοθεν *vndique*, in aliis libris legitur πάντοτε, in aliis πάντες, et haec pofterior lectio, quam optimae notae codd. tuentur, vnice vera eft, quare eam etiam *Griesbachius* in ordinem recepit. πάντες, Ἰουδαῖοι, *omnes*, *Iudaei*, Iudaei ex omnibus Palaeftinae partibus, qui feftis diebus Hierofolymam proficifci et templum frequentare folebant. Volebat ergo Iefus his verbis fimul hoc declarare, pontificem etiam ex Iudaeis alias Palaeftinae regiones inhabitantibus facile comperire poffe, fe et extra Hierofolymam atque Iudaeam non impiam ac feditiofam doctrinam tradidiffe. καὶ ἐν κρυπτῷ ἐλάλησα οὐδὲν, nihil priuatim docui, quod a doctrina publica diuerfum effet Matth. 10, 27. Luc. 12, 3.

22. ἔδωκε ῥάπισμα τῷ Ἰησοῦ vnus ex apparitoribus *faciem Iefu palma contudit.* Formulam ἔδωκε ῥάπισμα h. l. et 19, 3. *Beza*, *Heumanus*, *Semlerus*, *Mofchius*, *Hezelius*, *Boltenius*, alii, interpretati funt, *bacillo Iefum percuffit*. Scilicet ῥαπίζειν, vt ῥάπισμα διδόναι, proprie fignificat, *virga*, *baculo caedere*; fed admodum pauca huius notionis verbi veftigia in veterum Graecorum monumentis reperiuntur, vid. *Fifcherus* de vitiis Lexx. N. T. p. 63 fs. Ex confuetudine autem loquendi recentiorum notat 1) *os palma caedere* (fic Iofeph. Ant. 8. 15. 4. Hau. formulam Hebraicam 1 Regg. 22, 24. וַיַּכֶּה עַל־הַלֶּחִי, *percuffit os palma*, expreffit verbo ῥαπίζειν) et, 2) *palma caedere*, fublata oris notione, ita, vt adiungantur verba: ἐπὶ κόῤῥης, κατὰ κόῤῥης, ἐπὶ τὴν σιαγόνα Matth. 5, 39. vbi vid. *Kypkius* et *Fifcherus* l. c. p. 69. omninoque 3) *caedere*, ita, vt adiiciatur vocabulum rei, qua quis alterum percufferit, aut faltem hoc vocabulum e vicinia verborum reperiri debeat, vt ῥαπίσαι τῇ ῥάβδῳ ap. Antonin. Liberal. p. 158. ed. *Verheyk.* ῥαπίσαι τῇ πτέρυγι de aquila ap. Aefop. fab. 2. Itaque cum confuetudo loquendi recentior et vulgaris, quae in N. T. regnat, ad-

hibuerit verbum ῥαπίζειν ea notione vt esset *os palma caedere*, cum hoc sensu legatur Matth. 5, 39. cum Matth. 26, 67. diserte inter se distinguantur κολαφίζειν *pugnis caedere* et ῥαπίζειν *palmis caedere*, cum h. l. non additum legatur ῥάβδῳ, formula ἔδωκε ῥάπισμα explicanda est: *faciem palma contudit.* οὕτως ἀποκρίνῃ τῷ ἀρχιερεῖ, *siccine respondes pontifici?* adeo irreuerenter, impudenter Exod. 22, 28.

23 — 28. *Tum Iesus: si perperam respondi, demonstra, hoc a me factum esse, sin vero recte, cur me depalmas?* εἰ κακῶς ἐλάλησα, si contumelias et falsa protuli, Hebr. רעה de omnibus vitiis ponitur. εἰ καλῶς, si modeste respondi et vera protuli. καλῶς λαλεῖν, *vera dicere*, Marc. 12, 28. Ioh. 13, 13. Pro δέρεις in nonnullis libris legitur δαίρεις, male ac perperam, vid. ad Matth. 21, 34. — Verba v. 24. parenthefeos nota includenda sunt. Iohannes supra v. 14. notare oblitus erat, Iesum ex aedibus Hanani ad Caiapham fuisse deductum, id ipsum iam v. 24. addit. Itaque ἀπέστειλεν reddi debet *miserat*, vt ἔδωκεν *dederat* Matth. 26. 48. Caeterum cf. not. ad Matth. 26, 57. Particula οὖν in pluribus codd. deest, in aliis eius loco extat δὲ, vtraque lectio profecta est a grammaticis, qui has particulas adiecerunt, vt verba huius versus accuratius cum antegressis connecterent. — 25 sq. Vid. ad Matth. 26, 71 ss. Luc. 22, 54 sqq. συγγενὴς ὢν οὗ pro ἐκείνου οὗ, de qua ellipsi vid. *Fischerus* Animaduu. ad Weller. Vol. 2. p. 241. ἐν τῷ κήπῳ, vid. supra ad v. 4. vidi, te cum eo in horto fuisse. αὐτοῦ emphatice, cum Iesu. — 28. πραιτώριον, vid. not. ad Matth. 27, 27. ἀπὸ τοῦ Καϊάφα, *ex aedibus Caiaphae;* de quo locutionis genere cf. not. ad Marc. 5, 35. ἦν δὲ πρωΐα primo mane, vid. Matth. 27, 1. in aliis libris legitur πρωΐ, vulgaris lectio e Matth. l. c. in hunc translata videtur. αὐτοὶ οὐκ εἰσῆλθον κ. τ. λ., *ipsi tamen praetorium non ingressi sunt, ne polluerentur, sed agnum Paschalem comedere possent.* Iesus vna cum Saddu-

caeis vno die prius Pafcha ordinarium anticiparat, conf. not. ad Matth. 26, 17. p. 720 fq.

29 — 31. Breuis et fuccincta eft Iohannis narratio. Nempe Synedri, qui nihil magis in votis haberent, quam vt Pilatus Iefum quantocyus fupplicio afficeret, procuratorem e praetorio euocauerant, eumque rogauerant, vt famofum illum hominem, quem ipfi mortis reum deprehendiffent, capitis damnaret, et fententiae ipforum exfecutor effet. Sperabant Pilatum auctoritate fynedrii permotum, omiffa omni cognitione cauffae, Iefum, vna cum latronibus ad tempus Pafchale, vt punirentur, afferuatis, vid. ad Matth. 27, 38. fupplicio affecturum effe. Pilatus vero his importunis flagitatoribus neutiquam annuebat. Multa de Iefu fanctitate et probitate audiuerat, et de odio, quo eum primores populi perfequebantur; Iefum fanaticum quidem imprudentem, fed Romanis minime periculofum habebat; contemnebat Iudaeos, inprimisque eorum principes; perfuafum ipfi erat, eos e mero liuore Iefum necandum fibi tradidiffe. Interrogabat ergo fynedros: *τίνα κατηγορίαν φέρετε κατὰ τοῦ ἀνθρώπου τούτου; cuiusnam criminis hunc hominem accufatis?* quid contra leges Romanorum deliquit, vt a me morte mulctandus fit? Hanc percunctationem procuratoris inique ferentes fynedri, ei refpondebant: *εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιὸς, οὐκ ἄν σοι παρεδώκαμεν αὐτὸν, nifi hic effet maleficus*, e legibus noftris et Romanorum, adeoque a te puniendus, eum *non tibi* necandum *tradidiffemus*, cauffae cognitione non opus eft, cum nos iam fatis cognouerimus, eumque mortis reum deprehenderimus. *παρεδώκαμεν* vid. ad Matth. 27, 2. Sed Pilatus (qui putaret, Iefum tantum in Deo peccaffe, quod mores primorum populi peruerfos perftrinxiffet, fuperftitionem Iudaicam verbis ac factis improbaffet,) cum quaeftionibus Iudaicis fefe immifcere et Iefu fectatores offendere nollet, irritatus praeterea etiam fynedrorum impudentia, qui vellent, vt cauffa nondum cognita et inauditum puniret, atque exfecutor tantum

eſſet ſententiae a ſynedrio latae; regerebat Iudaeis: ſi e lege veſtra maleficus eſt, ſumite eum, et capitis poena in lege veſtra conſtituta eum plectite (vid. Act. 18, 14.), ego inauditum, cum hoc a legibus Romanorum longe alienum ſit, vid. Act. 25, 16. non condemnabo. Hic eſt ſenſus verborum: *λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν* v. 31. Permittebat ergo Pilatus Iudaeis, etſi ipſe Ieſum innocentem haberet, v. Matth. 27, 18. 24. vt ſupplicium de eo ſumerent, ſed ſperabat, vt videtur, ſynedros, metu populi (Matth. 26, 4. 5. 66. vbi v.) non auſuros eſſe Ieſum interficere, quodſi vero eum interficerent, cum haberent in cauſſis religionis ius capitis ſupplicio afficiendi, ſe omni culpa vacuum putabat. Verbum *κρίνειν* non ſignificat *condemnare*, a ſynedris enim Ieſus iam condemnatus erat, ſed *punire*, vt Hebr. שפט Pſ. 7, 12. al. Sap. 11, 9. h. c. *poenam mortis infligere*, nam Iudaei adduxerant Ieſum ad Pilatum, vt eum tanquam mortis reum ſupplicio afficeret. *εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι· ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα*] *at Synedri*, qui, populum metuentes, odium necis Chriſti a ſe amoliri, et in praeſidem Romanum transferre cuperent, *reſpondebant: nobis non licet quemquam ſupplicio afficere.* Diſceptatum eſt ab interpretibus, vtrum Iudaeis tunc temporis ius vitae et necis a Romanis fuerit ademtum, an relictum? vid. *Wolfius* et *Köcherus* ad h. l. Ac plures quidem e verbis huius verſus collegerunt, ius ſupplicia capitalia infligendi fuiſſe illo tempore Iudaeis ademtum. Qui hanc ſententiam tuentur, quod verba Pilati attinet v. 31. *λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς κ. τ. λ.* vel ſtatuunt, eum Iudaeis inſultaſſe, ironice iis amiſſam poteſtatem ſupplicia capitalia infligendi exprobraſſe; vel, procuratorem his verbis nil aliud dixiſſe, quam hoc: flagellis eum in ſynagoga caedite (Matth. 10, 17.), Iudaeos vero v. 31. reſpondiſſe: mortis poena dignus eſt. Sed argumentis ſat grauibus atque idoneis demonſtrarunt alii, in iis criminibus, quae ad religionem ſpectarent, Iudaeis ius ſupplicium capitale ſumendi relictum, ſententiam tamen

latam a procuratore confirmandam fuiſſe, in aliis autem criminibus v. c. ſeditionis, tumultus, et ad laeſam Caeſaris maieſtatem pertinentibus illud ius iis non conceſſum, ſed omnem eius rei cognitionem Praeſidi prouinciae fuiſſe commiſſam, vid. *Krebſius* ad h. l. et nos ad Matth. 26, 68. add. Ioſeph. Ant. 14, 10. 2. B. I. 6, 2. 4. Ioh. 19, 7. vbi vid. Sanhedrin. 7, 1. p. 237. *Quatuor ſupplicia capitalia Senatui tradita ſunt: lapidatio, vſtio, interemtio quae fit gladio, ſtrangulatio.* ibid. 7, 4. p. 240. *lapidantur autem — profanator ſabbati — qui ad apoſtaſiam impellit, magnus* etc. Iam qui hanc poſteriorem ſententiam amplectuntur, diuerſa ratione verba Iudaeorum, ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα, explanant. Nonnulli, praeeunte Theophylacto, verbum ἀποκτείνειν de crucis ſupplicio interpretantur, *nobis non licet quemquam interimere ita, vt crucifigatur.* Quodſi vero haec fuiſſet ſynedrorum ſententia, vſi fuiſſent haud dubie verbo σταυροῦν, quo poſtea vſi ſunt, vid. 19, 15. et Pilatus dixerat: κρίνατε αὐτὸν κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν, ſed crucis poena Iudaeis inuſitata erat. Alii verborum ſenſum ita conſtituunt: nobis non licet de quoquam ſupplicium ſumere, niſi tu ſententiam noſtram confirmaueris. Sed Pilatus permiſerat Iudaeis, vt Ieſum ſupplicio afficerent, nolebant autem ſynedri, metu populi, de eo ſupplicium ſumere, quamuis de eo tanquam blaſphemo ſumere potuiſſent, vid. ad Matth. 26, 66. Alii opinantur οὐδένα (vt οὐδὲν 16, 23.) cum reſtrictione eſſe accipiendum, vt ſenſus ſit: *nobis non licet hominem a te puniendum, capitis poena plectere,* vel, *nobis non licet ſeditionis et laeſae maieſtatis reum punire,* vt adeo ſumatur, ſynedros haec verba adieciſſe, cum Ieſum horum ipſorum criminum poſtulaſſent, coll. Luc. 23, 2. vid. *Krebſius* l. c. *Deylingius* Obſſ. Sacrr. T. 2. p. 313 ſs. vel, *nobis non licet eius criminis, cuius hunc poſtulabimus,* coll. Luc. l. c. *reum occidere.* Mihi praeplacet Auguſtini et Chryſoſtomi ratio, etiam *Semlero* probata, qua Iudaeorum verba v. 31 ad diem feſtum referuntur hoc ſenſu: *nobis non licet quem-*

quam supplicio afficere ob religionem diei festi; erat enim παρασκευὴ τοῦ πάσχα 19, 14. 42. quam eandem ob caussam neque praetorium ingressi erant coll. v. 28. Cum Iudaeis ius vitae et necis in rebus ad religionem pertinentibus esset relictum, et Iudaei, cum Pilatus iis dixisset: κρίνατε αὐτὸν κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν, profiterentur, sibi non licere quemquam capitis supplicio afficere: planissimum esse arbitror, verba: ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα commode hunc in modum explanari posse: nobis non licet κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν quemquam hoc die morte mulctare. Omnino breuis est et succincta h. l. Iohannis narratio, ex reliquis Euangelistis supplenda, id quod vel v. 33. docet, vbi Pilatus Iesum interrogasse legitur: σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; cum tamen in praecedentibus non notatum sit, synedros Iesum accusasse tanquam eum, qui regnum affectaret. Cogitando ergo adiicienda sunt h. l. quae Luc. 23, 2. leguntur: *deprehendimus hunc, populum perturbantem, eo quod vetuit tributa Caesari pendi, seque Messiam, hoc est, regem esse, professus est.* Scilicet synedri cum viderent Pilatum, caussa nondum cognita, Iesum non esse punitu- rum, postquam dixerant: ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα, quibus verbis tacite simul professi erant, Iesum ex ipsorum quoque legibus morte esse mulctandum: accusare eum incipiebant tanquam eum, qui in prouincia turbas moueret, leges Romanas violaret, regnum affectaret, atque se Messiam regem Iudaeorum diceret, vid. Luc. l. c. Horum criminum cognitio ad procuratorem pertinebat. Postquam igitur Pilatus Iesum interrogarat praesentibus accusatoribus: an esset rex Iudaeorum? vid. ad Matth. 27, 11. p. 774. eum in praetorium ad se venire iubebat, coll. v. 33. Matth. 27, 12. Quomodo narrationes Euangelistarum componendae sint, quod reliqua illo tempore acta attinet, ostendimus ad Matth. 27, 12 sqq. Luc. 23, 16.

32. 33. *Hac ratione illud euenit, quod Iesus de mortis suae genere dixerat.* Respexit Iohannes, qui his verbis iu-

dicium fuum appofuit, ea quae leguntur 12, 32. vbi Iefu verba: ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, ipfe de morte crucis interpretatus erat. Si Iudaei Iefum morte mulctaffent, cum apud eos crucis fupplicium inufitatum effet, eum tanquam blasphemum, vid. Matth. 26, 65 fq. lapidationis poena affeciffent, vid. Leuit. 24, 13. Admonere ergo Euangelifta, hac annotatione appofita, lectores voluit, Iefum aliud quoque fupplicii genus perpeti potuiffe, et perpeffurum fuiffe, fi Iudaei eum occidiffent. — 33. πάλιν non indicat Pilatum iam femel in praetorium rediiffe, fed refertur ad locum vbi fuerat, antequam exiret, vid. 16, 28. σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; Iefus iam coram accufatoribus fuis, Pilato, qui eum interrogarat, an rex Iudaeorum effet? refponderat: fe effe regem, cf. not. ad Matth. 27, 11. Sed procurator, qui Iefum pro fanatico haberet, vt Feftus Paulum vid. Act. 26, 24. et mifericordia tactus lubenter eum abfoluiffet, vt eum liberius interrogaret, atque locum faceret Iefu fui defendendi, et quoniam omnino rei grauitas pofcebat, vt diligentius in hanc cauffam inquireret, accufatum in praetorium ad fe venire iubebat, et arceffitum iterum interrogabat: num tu te Iudaeorum regem iactas? verene regem agere inftituifti?

34. 35. ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις, ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ;] refpondit Iefus: *tuane fponte hoc ex me quaeris, an alii tibi id de me dixerunt?* Interrogatio eft negantis, atque fententia haec: tua fponte, et ex animi fententia haec non interrogas, tot iam annos perfonam procuratoris agis, compertumne eft tibi aliquid, quod me imperii affectati fufpectum redderet? cumque tibi nil tale compertum fit, fed alii, quorum mores optime nofti, hoc tibi fuggefferint; vide ne iniuftum iudicem agas. Ex interrogatione Iefu: ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις κ. τ. λ. nonnulli collegerunt, eum non audiuiffe criminationes Iudaeorum, fed cum eum accufare inciperent vid. Luc. 23, 2. iam in praetorium fuiffe adductum. Verum enimuero non modo re-

quirebant leges fori Romani, vid. Act. 25, 18. vt iudicio traditus, in confpectu haberet accufatores, et audiret, cuius criminis ipfum accufarent, fed etiam locus Matth. 27, 11 fq. fatis aperte docet, audiuiffe Iefum aduerfariorum fuorum criminationes. Eft ergo h. l. particula ὅτι fubintelligenda, vt Matth. 8, 25. al. Pilatus Iefum fanaticum habebat, qui turbas quidem mouere non ftuduiffet, attamen imprudenter locutus effet et egiffet, ita, vt ex verbis et factis ipfius materiam eum accufandi arripere potuiffent fynedri; quare refpondebat: μήτι ἐγὼ Ἰουδαῖός εἰμι; κ. τ. λ. *num Iudaeus fum? ciues tui et facerdotum principes te mihi tradiderunt, quid commififti?* quibus verbis hoc dicere volebat; non mea fponte te interrogaui, nihil quidem hactenus comperi, quod te feditionis et laefae maieftatis fufpectum redderet, fed inde non fequitur, te infontem effe, equidem te tuamque cauffam plane non noui, non fum Iudaeus, qui talia curet, non fui auditor fermonum tuorum, facinorum tuorum fpectator, a ciuibus et facerdotibus tuis admonitus et inftigatus, pro ea qua polleo auctoritate iudiciaria, te interrogo: τί ἐποίησας; quid commififti, vt te criminum feditionis et laefae maieftatis accufare potuerint? Alii interpretes hunc locum ita explanant v. 34.: ἀφ᾽ ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις; κ. τ. λ. v. 34.: num tu, qui de rege Iudaeorum venturo, de Meffia audiuifti (v. ad Matth. 2, 1. p. 46.), qui et multa de me audiuifti, animo candido et difcendi cupido me interrogas? num fcire cupis, quonam fenfu me regem appellem, an regis vocabulum eodem fenfu accipis, quo iftud aduerfarii mei accipiunt et me regnum terrenum affectaffe putas? v. 35.: ἀπεκρίθη ὁ Πιλάτος· μήτι ἐγὼ Ἰουδαῖός εἰμι; κ. τ. λ. tum Pilatus: Iudaeorum eft ifta de rege venturo fabula, Iudaica commenta non curo, Romanus fum, huic regioni praefectus, vt ius dicam, et feditiofe tumultuantes compefcam, huius criminis accufatus es, quid fecifti, quod huic accufationi occafionem praebuerit? Sed qui hanc interpretationem fequuntur, fenfum e verbis extorquent, qui

iis non ineſt. Pilatus non interrogauit Ieſum, an eſſet Meſſias, quem Iudaei exſpectarent? ſed ſimpliciter an eſſet rex Iudaeorum, an ſe regem Iudaeorum diceret? neque Ieſus e Pilato quaeſiuit, quonam ſenſu vocabulum βασιλεὺς caperet; ita vero etiam parum conueniens eſt orationis ſeriei ſenſus, quem illi interpretes verbis v. 35. ſubſtituunt. vid. *Moſchius* in *Leidensgeſch.* p. 589.

36. 37. Ad refellendam Iudaeorum calumniam, quod ſe regem terreſtrem dixiſſet, declarat Ieſus, regnum ſuum non eſſe terrenum, adeoque neutiquam Romanis periculoſum. *Si eſſet* ἐκ τοῦ κόσμου τούτου *terrenum* (vid. 8, 23.), οἱ ὑπηρέται ἂν οἱ ἐμοὶ ἠγωνίζοντο κ.τ.λ. *ſatellites mei pro me depugnaſſent, quo minus Iudaeis traderer, iam vero regnum meum non eſt terrenum.* ὑπηρέται, quo vocabulo omnis generis miniſtri ſignificantur, in hoc orationis tenore, ſunt *ſatellites*, vt ap. Xen. Cyr. 6, 3. 7. al. — 37. οὐκοῦν, vt vulgo ſcribitur, notat: *non ergo* l. *non ſane*, ſed in interrogatione ſcribi debet οὔκουν *nonne ergo* cf. *Hermanus* ad *Vigerum* de L. Gr. Idiotismis p. 770. Sunt qui interrogationem delendam, et verba ita reddenda putent: *non ergo rex es.* Ad hanc ſententiam ſuam confirmandam monent, Pilatum, vt ex capite ſequenti appareat, innocentiam Ieſu vindicare ſtuduiſſe, et iam percepiſſe, Ieſum non affectare regnum terrenum. Sed nominarat tamen Ieſus ſe regem. Rectius ergo legitur, οὔκουν *nonne ergo rex es*? te regem profiteris? vt Pilatus fanaticum, pro quo Ieſum habebat, monere voluiſſe putandus ſit, vt cautius et prudentius loqueretur, abſtineret ab hoc vocabulo ipſi periculoſo. Haec verborum expoſitio apprime conuenit reſponſioni Chriſti, et eſt ſimplicior; nam ſi verba Pilati explicantur: *non igitur es rex*, ſuppleri debet: terrenus, qualem te ſynedri dicunt. σὺ λέγεις ὅτι βασιλεύς εἰμι ἐγώ, *ſane, ſum rex.* ὅτι, vt ſatis conſtat, poſt verba dicendi redundat, vid. ad Matth. 7, 23. σὺ λέγεις, *ita eſt*, formula concedendi et affirmandi, vid. not. ad Matth. 26, 25. *Barneſius* ad Eurip.

Hippol. v. 352. Accuratius iam oftendit Iefus, quo fenfu fe regem appellet: *propterea natus fum et ad homines ablegatus*, (iam non addit ἵνα βασιλεύσω, aut fimile quid, fed:) ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ, *vt veritatem commendarem*, eam traderem, per eam mentibus animisque hominum imperarem. μαρτυρεῖν τινι cum de perfonis vfurpatur, fignificat: *laudare, commendare aliquem*, vid. ad Luc. 4, 22. fimili modo h. l. de re adhibitum legitur. Intelligebat autem Iefus per τὴν ἀλήθειαν veram doctrinam Dei rerumque divinarum quam tradebat. Cum paulo ante commemoraffet Iefus fatellites regis coll. v. 36. de fuis fectatoribus iam haec adiicit: πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας, ἀκούει μου τῆς φωνῆς] *qui veri amans et ftudiofus eft, is mihi obtemperat*, meo fubeft imperio. ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας, ad quem veritas pertinet h. e. illius ftudiofus vid. ad Ioh. 8, 23. vt οἱ ἐκ τῆς ἔριδος funt, rixarum ftudiofi Rom. 2, 8.

38. Pilato in mentem veniebant Stoicorum placita: Rex eris, fi recte facis v. ad Matth. 27, 11. cum vero Iefus dixiffet, fe veniffe, vt veritatem traderet; in haec erumpebat verba: τί ἐστιν ἀλήθεια] *quid eft veritas?* in hac Pilati voce explicanda in diuerfas partes abierunt interpretes v. *Köcherus* ad h. l. *Bynaeus* de morte I. C. Lib. 3. c. 1. §. 29. in Chrifto crucifixo c. 16. §. 21. Nonnulli ftatuunt, Pilatum quaefiuiffe ex Iefu, quaenam effet ifta veritas, cuius fe magiftrum profiteretur? fed cum ftatim (τοῦτο εἰπών) Pilatus abierit, nec Iefu refponfionem exfpectauerit; parum probabilis eft haec fententia, aliter etiam haud dubie interrogaffet, fi haec ipfius mens fuiffet. Alii verbis hunc fenfum fubiiciunt: quamnam tu veritatem laudes, non curo, iam non eft tempus inquirendi, quaenam fit vera doctrina, haec lis a meo foro aliena eft. Alii: fi tibi non aliud regnum eft, quam veritatis, bene eft, neque eft quod accuferis. Equidem tamen has explicationes non fatis accurate Pilati verbis refpondere arbitror, adftipulor potius interpretibus iis, quibus haec vox: τί ἐστιν ἀλήθεια;

eſt contemnentis et irridentis. Pilatum non latebant philoſophorum disſenſiones de vero, credebat cum Academicis et pluribus Romanorum nobilium, nulla in re, multo minus in quaeſtionibus ad religionem pertinentibus, quid verum et certum ſit, conſtitui poſſe vid. *Walchius* Obſeruatt. in Noui Foederis libros p. 43 ſqq. *Moſchius* in *Leidensgeſch.* p. 601. et in *Bibelfreund* Th. 1. p. 106 ſq. ridens ergo et per contemtum dicebat: quid veritas? quis definire audeat, quid ſit veritas? hoc eſt verbum ſine certo ſenſu. Sed confirmatus in ſua opinione Ieſum fanaticum eſſe, eum ſibi odium ſacerdotum Iudaeorum ob disceptationes ad religionem pertinentes contraxiſſe vid. ad Matth. 27, 11 ſq. et meram eſſe calumniam, qua Ieſum maieſtatis reum agerent, e praetorio exibat, Ieſum ſe ſequi iubebat, atque Iudaeis declarabat, ſe nil criminis in hoc homine deprehendere. *αἰτία*, *crimen*, *ſupplicii cauſſa*, v. ad Matth. 19, 3. 27, 37.

39. 40. Sequuntur iam, quod rerum ſeriem attinet, ea quae Luc. 23, 5 ſqq. Matth. 27, 12 ſs. leguntur. Quae h. l. v. 39. 40. et Matth. 27, 15 ſs. Luc. 23, 14 ſs. Marc. 15, 8. vid. ibi not. relata ſunt, euenerunt, poſtquam Herodes Ieſum ad Pilatum remiſerat vid. ad Luc. 23. 16. p. 667. Matth. 27, 15. ἀπολύσω τὸν βασιλέα τῶν Ἰουδαίων;] *regem Iudaeorum*: Iohannes conciſe ſcripſit. Apud Matth. 27, 17. legitur; Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστόν· quem regnum affectaſſe dicitis; ap. Marc. 15, 12. ὃν λέγετε βασιλέα τῶν Ἰουδαίων· et ita fere haud dubie Pilatus mentem ſuam expreſſit. Quodſi enim vſus eſſet verbis, quae h. l. leguntur, vt Iudaeos, quos contemneret, irrideret, quae eſt ſententia plurimorum interpretum, ſatis imprudenter egiſſet, cum Ieſum conſentientibus Iudaeis dimittere vellet, et nondum ſpem abieciſſet, ſe hoc effecturum eſſe v. 19, 15.

CAPVT XIX.

1—3. De ordine quo fingula euenerunt, vt et de flagellatione Chrifto a Pilato decreta conf. notata ad Luc. 23, 16. p. 667 fq. ἔλαβεν ex Hebraifmo redundat. ἐμαστίγωσε flagellari iuffit. Quam ignominiofa haec poena fuerit, patet e loco Philonis in Flacc. p. 975. E. quem *Loefnerus* ad h. l. attulit. Verba funt: πρὸς ἐπίδειξιν αἰσχύνης προστάττει πάντας περιδυθέντας αἰκισθῆναι μάστιξιν, αἷς ἔθος τοὺς κακούργους πονηροτάτους προπηλακίζεσθαι, *ad ignominiam oftentandam iuffit nudatos flagellari, quo maleficentiffimi homines poenae genere afficiebantur.* Moris fuiffe, vt qui crucis fupplicio afficiendi effent, prius flagellis lacerarentur, confirmat quoque ordo verborum apud Philonem l. c. p. 977. B. ὁ δὲ — ζῶντας ἀνασκολοπίζεσθαι προσέταττεν — καὶ ταῦτ' εἰργάζετο μετὰ τὸ πληγαῖς αἰκίσασθαι ἐν μέσῳ τῷ θεάτρῳ, καὶ πυρὶ, καὶ σιδήρῳ βασανίσαι, *ifte — viuos cruci affigi iubebat — et ifta faciebat, poftea quam flagellis caediffet in medio theatro et igne ferroque torfiffet,* cf. praeterea not. ad Matth. 27, 26. ἐξ ἀκανθῶν — ἱμάτιον πορφυροῦν, vid. ad Matth. 27, 29. Luc. 23, 11. ῥαπίσματα, v. fupra 18, 22. not. Matth. 27, 30. procuratoris milites etiam arundine Iefu caput percuffiffe leguntur.

4. 5. Pilatus, cum Iefus flagellis caefus effet, eum educi iubebat geftantem coronam e frutice fpinofa contextam, pallioque purpureo indutum, atque alloquebatur concionem verbis his: ἴδε ἄγω ὑμῖν αὐτὸν ἔξω κ. τ. λ. cumque Iefus acceffiffet, Pilatus exclamabat: ἴδε ὁ ἄνθρωπος, *en hominem!* plerique interpretes putant, Pilatum his verbis Iudaeorum animos ad mifericordiam mouere voluiffe, atque ea explicant: en hominem miferum, feveriffime caftigatum! nimis punitum! videte faciem eius fanguine foedatam, vulnera corpori feminudo flagellis

inflicta! Sed coronam e meris ſpinis contextam Ieſum geſtaſſe, probari nequit, v. ad Matth. 27, 29. add. *Salmaſius* de caeſarie et coma p. 410. praeterea etiam pallio purpureo Ieſu corpus tectum erat. Alii nonniſi ludibrii cauſſa, tum in Chriſtum, tum in Iudaeos eum affectati regni poſtulantes, haec verba Pilatum protuliſſe putant, hoc ſenſu: videte regem veſtrum, videte quam ridicula ſit veſtra accuſatio. Quae tamen ſententia propterea improbanda, quoniam Pilatus adhuc de Ieſu ſeruando cogitabat. Nec dixit Pilatus: ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν (coll. 19, 14.), ſed ἴδε ὁ ἄνθρωπος. Mihi quidem ſenſus orationis Pilati hic eſſe videtur: en! vobis adduco denuo eum, vt coram vobis rurſus teſter, mihi de innocentia ipſius eſſe perſuaſiſſimum; adſpicite hunc hominem, eius vultum, innocentiam, patientiam, animi tranquillitatem referentem, et iudicate ipſi, an probabile ſit, eum turbas mouere voluiſſe, regnum affectaſſe. Scilicet Pilatus educi iuſſerat Ieſum coronam geſtantem et pallio purpureo indutum, vt plebem ad commiſerationem flecteret, ſperabat vero etiam, vt videtur, Iudaeos, ſi miſericordia non tangerentur, ſuperbia ſaltem gentili incitatos, dimiſſionem Ieſu poſtulaturos eſſe, cum viderent ciuium ſuorum aliquem, affectati regni accuſatum, et ab ipſo procuratore innocentem declaratum, adeo a paganis ludibrio habitum. Caeterum ſatis inepte nonnulli opinati ſunt, Ieſum ipſum verba: ἴδε ὁ ἄνθρωπος protuliſſe, videte me male tractatum, miſere exagitatum, v. *Ruſius* in Harmon. ad h. l. Sed omnis orationis ſeries docet, eum qui haec proferebat verba, eundem fuiſſe, qui v. 4. dixerat Iudaeis: ἴδε ἄγω κ. τ. λ. nempe Pilatum, qui de Ieſu e manibus hoſtium liberando cogitabat. Praeterea talis conteſtatio, vt *Lampius* ad h. l. notauit, a perſona (14, 31.) et conſilio Ieſu aliena fuiſſet. „Aut enim ſuae paſſionis magnitudinem hoc pacto exaggerare, aut Iudaeos ad miſericordiam flectere intendiſſet. Prius abludebat a magnitudine illa, qua omnes paſſiones corporis tacite pertulit; poſterius contra-

riabatur fcopo, quem habebat, vt omnia ad finem vsque toleraret, quae a Sponfore expectabantur." vid. et *Semlerus* ad h. l. Omnino verba: ἐξῆλθεν — ἱμάτιον parenthefeos nota a reliquis feiungenda funt.

6. In pluribus libris verbo ϛαύρωσον adiectum legitur pronomen αὐτὸν, fed ἐμφατικώτερος omittitur, ex affectu illud premebant, vt bene monuit ad h. l. *Rufius.* λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ ϛαυρώσατε κ. τ. λ.] *vos ipfi eum in crucem agite, ego enim nullum in eo crimen* morte dignum *deprehendo*, neque adeo infontem, qui regnum non affectauit, militibus meis crucifigendum tradam. Non ferio Pilatus dicebat, nec dicere poterat: λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ ϛαυρώσατε, fciebat enim Iudaeis crucis poenam inufitatam effe, et fynedri ipfi declararant, fe ob fefti religionem neminem fupplicio afficere poffe v. 18, 31. Sunt ergo verba exacerbati et taedio rei capti. Alii opinantur Pilatum indignabundum ferio haec locutum effe, et dediffe Iudaeis poteftatem Iefum in crucem agendi, atque fic etiam facultatem feciffe militum ei rei adhibendorum, v. *Semlerus* ad h. l. At enimuero Pilatus fimpliciter dicebat λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς· ipfe Iefum adhuc feruare ftudebat, coll. v. 12. verendum ergo ei fuiffet, ne Iudaei, fi verbis ipfius eum fenfum fubftituere potuiffent, quem interpretes illi iis fubiiciunt, venia data vterentur. Neque Iudaeos Pilati verba tanquam ferio dicta accepiffe, iisque eum fenfum fubftituiffe, quem illi interpretes iis fubiiciunt, exinde fat luculenter patet, quoniam ftatim nouam criminationem proferebant, coll. v. 7.

7. Cum Pilatus Iefum criminum laefae maieftatis et feditionis reum effe pernegaffet, eum βλασφημίας et impietatis accufabant. ἡμεῖς νόμον ἔχομεν — ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν] *habemus legem, ex qua capitis damnandus eft, quoniam fe Dei iactauit filium.* Dicebant ergo: ex lege noftra capitis damnandus eft, et cum nos ob fefti religio-

nem mortis poenam ei infligere non possimus coll. 18, 31. a te supplicio afficiendus est. Non potuissent, vt *Krebsius* apposite obseruauit ad 18, 31. adeo audacter de mortis poena, ex lege ipsorum Christo infligenda, loqui, adeo vt istam eorum audaciam Pilatus verbis saltem non coerceret, nisi, sententia a procuratore confirmata, potuissent supplicium sumere de eo, qui crimen, quod religionem spectaret, commisisset. ἑαυτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν, locutus erat Iesus, cum adhuc publice doceret, non semel, sed saepius, de sua cum Deo coniunctione, dixerat se Dei filium, legatum diuinum, quin et coram synedrio, se Dei filium, Messiam esse, professus erat, v. ad Matth. 26, 63 sq. νόμον ἔχομεν respiciebant locos Leuit. 24, 16. et Deut. 13, 1 ss. 5. 18, 20. qui posteriores quidem loci de falsis prophetis agunt, sed ita ratiocinabantur: si mori debet, qui prophetam se dicit, cum non sit, multo magis mortis poena dignus est, qui Messiae dignitatem sibi arrogat.

8. Iudaeis Messias dicebatur υἱὸς τοῦ Θεοῦ, hoc Pilatum latebat. De industria igitur Iudaei vtebantur voce ambigua υἱὸς τοῦ Θεοῦ, dicebant: ἑαυτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ ἐποίησεν, quoniam sperabant, hanc accusationem in pectus Pilati, qui nesciret quo sensu Iesus se υἱὸν τοῦ Θεοῦ dixisset, et ignoraret a Iudaeis hoc nomine Messiam insigniri, alte descensuram, eumque hac audita criminatione tandem ipsorum voluntati obtemperaturum esse. Accidit vero aliter quam sperarant. ὅτε οὖν ἤκουσεν ὁ Πιλάτος τοῦτον τὸν λόγον, μᾶλλον ἐφοβήθη, *hac vero criminatione audita, Pilatus magis metuere coepit.* Metuerat Pilatus, ne insontem supplicio afficeret, iam vero multo magis iram deorum concitare metuebat, si deorum filium trucidaret. Erat nimirum haec gentilium vana persuasio, deos deasue interdum in terram descendere, misceri cum hominibus, et inde nasci semideos, heroas ipsis dictos v. Act. 14, 11. 28, 6. Matth. 27, 54. Pilato in memoriam forte redibat rumor de insignibus factis a Iesu editis, admonuerat eum

vxor per internuntium, ne capitis damnaret infontem, cum ipfa fomniis formidolofis propter Iefum fuiffet territa, v. Matth. 27, 19. ipfe adfpectus Chrifti, cuius facies fummam tranquillitatem referret, Pilatum admiratione imbuebat; quamuis ergo nimis libere fentiret et diuina contemneret, tamen, more hominum ita animatorum, maxime fuperftitiofus erat; cum ergo audiffet, Iefum fe dixiffe Dei filium, metuebat ne forte verum effet, eum diuino fatu editum, adeoque cautiffime agere ftudebat.

9. 10. πόθεν εἶ σύ;] *vnde tu es?* vnde originem duceis? non de patria interrogabat Iefum, eum enim Galilaeum effe, iam a fynedris audiuerat ideoque Iefum ad Herodem miferat, v. Luc. 23, 5 fqq. fed interrogabat eum, quibus parentibus natus effet? an a diis immortalibus originem duceret? πόθεν vid. ad 7, 27. et *Kypkius* ad h. l. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπόκρισιν οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ] *Iefus vero ei nihil refpondebat.* Variae huius filentii cauffae ab interpretibus afferuntur. Pilati interrogatio ex fabulis nugisque gentilium, deos deasque interdum cum hominibus mifceri, enata, non tam ex ftudio veritatis cognofcendae, quam potius ex bruto quodam horrore prolata erat, animum haudquaquam docilem Pilatus prodiderat v. 18, 38. iam antea profeffus erat Iefus, fe veritatis doctorem, regem (Meffiam) veritatis amantium effe, fed Pilatus eum irriferat v. 18, 36 fqq. accuratiorem vocis υἱὸς τοῦ Θεοῦ explanationem ne cepiffet quidem procurator, praeterea Iefus voluntati patris conuenienter mori volebat. cf. et *Lampius*, *Mofchius*, *Semlerus* ad h. l. — 10. Iam Pilatus paulo commotior, *mihi non refpondes: nefcisne me poteftatem habere, te in crucem agendi et liberum dimittendi?* Aegre ferens Iefu filentium homo fuperbus, ei minabatur, metumque iactantia et comminationibus disfimulabat, atque inconfiderate loquebatur, nam fie Iefus infons erat, eum dimittere debebat, fi reus, punire.

11. *Respondit Iesus: nullum in me potestatem haberes, nisi tibi esset diuinitus data,* nisi Deo dirigente et moderante in tuam potestatem venissem (Matth. 26, 53.), *sed qui me tibi* ex odio et liuore atque peruicaci malitia *tradiderunt, maiorem culpam habent*, grauius peccant quam tu, qui me non propius nosti et inuitus eorum odio obsequeris ac potestate tua abuteris. Excusat Pilatum, sed non innocentem declarat, simul arrogantiam ipsius, leniter tamen, coarguit. ἄνωθεν *Boltenius*, praeeunte *Semlero*, ad synedrium refert, vertit *a summo (Semlerus: ex superiori loco)*, et suspicatur interpretem Iohannis Graecum non satis recte Aramaeum textum h. l. expressisse. Sed non apparet, quomodo interpres Graecus textum Aramaeum h. l. male intelligere potuerit, omninoque probari nequit, Iohannem Aramaea lingua Euangelium suum conscripsisse, admissa praeterea interpretatione vocabuli ἄνωθεν ab illis duumuiris prolata, cui tamen et vsus loquendi aduersatur, haec absona prodiret sententia, Pilatum auctoritatem et potestatem suam accepisse a Synedris. Est potius ἄνωθεν h. l. vt saepius, v. Ioh. 3, 31. Iac. 1, 17. 3, 15. 17. diuinitus, dirigente ac moderante Deo, et repetit Iesus h. l. quod plus vna vice dixerat, se e voluntate patris calamitates et mortem subiturum esse. cf. et Luc. 22, 53. διὰ τοῦτο non commode reddi potest *propterea*, nam non facile perspicitur, quomodo exinde quod Pilatus non haberet in Iesum potestatem, nisi ei diuinitus concessa esset, hoc sequatur, grauius peccasse eos, qui Iesum procuratori tradidissent. Imo διὰ τοῦτο, vt Hebr. לָכֵן Iud. 8, 7. al. est mera transeundi formula, adeoque in versione omittenda, v. ad Matth. 13, 52. Singularis ὁ παραδιδοὺς vim obtinet pluralis, intelliguntur Iudaei, synedri.

12. Christi oratio pietatis et grauitatis plena vehementius mouebat Pilati animum, eumque, vt videtur, in ea opinione confirmabat, Iesum non esse merum hominem, praesertim cum et antea Iesus ad interrogationem,

vnde originem duceret? non refpondiffet. Quare *ex eo tempore magis ftudebat Pilatus eum abfoluere.* ἐκ τούτου fcl. χρόνου vid. 6, 66. ἐζήτει *ftudebat*, fed iam antea ftuduerat Iefum e manibus Iudaeorum eripere. Itaque ἐζήτει reddi debet: magis, acrius ftudebat eum abfoluere, vid. not. ad 13, 19. fynedris Iefum ad mortem depofcentibus perfuadere, vt hanc poftulationem abiicerent. Tumultus enim metu, nonnifi confentientibus Iudaeis, dimittere Iefum volebat. οἱ δὲ Ἰουδαῖοι ἔκραζον, λέγοντες· ἐὰν τοῦτον ἀπολύσῃς κ. τ. λ.] *Iudaei contra clamabant: fi hunc abfolueris, non es amicus Caefaris, qui enim regem fe venditat, is eft rebellis aduerfus Caefarem.* οὐκ εἶ φίλος Καίσαρος, non es amicus Caefaris, fed hoftis manifeftus. Verba negantia ab Hebraeis faepe ponuntur per μείωσιν pro contrariis affirmantibus, v. *Glaffius* Phil. S. p. 1291 fs. *Fifcherus* Proluff. de vit. Lexx. p. 567. *Amici Caefaris* dicebantur legati, praefides, praefecti, vt pluribus exemplis ad h. l. comprobauit *Wetftenius*, verum in hac orationis ferie ad iftum titulum non refpicitur, fed verba fonant: non es amicus Caefaris, es eius aduerfarius. Appofite hanc in rem attulit *Kypkius* locum Iofephi Ant. 14, 8. 1. qui ibi narrat, Antipatrum Iulio Caefari in Aegyptum auxilia adducentem, Iudaeos Aegyptios fibi conciliaffe oftenfis ab Hyrcano fummo facerdote literis, ἐν αἷς αὐτοὺς φίλους εἶναι Καίσαρος παρεκάλει, *in quibus eos hortabatur, vt amice fe erga Caefarem gererent.* ἀντιλέγειν *factis fe opponere, rebellem effe*, v. ad Luc. 2, 34.

13. Haud obfcure Iudaei Pilato minitati erant, fe eum apud Caefarem, fi Iefum dimitteret, accufaturos effe. Tiberius, vt e Suetonio Vit. Tib. c. 58. et Tacito conftat, erat homo fufpicaciffimus, qui minima delicta perfidiae fimilia nece punire foleret. Tacit. Annal. 3, 38. *maieftatis crimen omnium accufationum complementum erat.* Pilatus igitur Iudaeorum accufationem et fupplicium a Caefare metuens, eoque magis metuens, cum et in adminiftranda

prouincia ſe iniuſtum, rapacem, crudelem geſſiſſet, (v. Philo Legat. ad Cai. p. 1033. ed. Francof. Ioſeph. Ant. 18, 14. 1. B. Iud. 1, 2. 8. not. ad Luc. 13, 1. p. 519. *Meyeri Verſuch einer Vertheidigung u. Erläuterung der Geſch. Ieſu und der Apoſtel aus Profanſcribenten* p. 273 ſs.) reluctante conſcientia, iniuſte agere malebat, quam propriam ſalutem in periculum et diſcrimen vocare, adeoque Ieſum ad mortem condemnare conſtituebat. *ἐκάθισε ἐπὶ τοῦ βήματος — Γαββαθᾶ*] *conſedit in tribunali, in loco, qui lithoſtrotum, Hebraice Gabbatha dicitur*, vt nimirum ſententiam decretoriam ex voto Iudaeorum pronuntiaret. *βῆμα* eſt *tribunal* v. ad Matth. 27, 19. ab eo diſtinguitur λιθόστρωτον h. e. *pauimentum, paruulis variique coloris lapidibus ſectis marmoreis ſtratum*, cuiusmodi pauimenta dicebantur *vermiculata*, v. *Erneſti* Clau. Cic. ſub h. v. et *teſſellata* Sueton. V. Caeſ. 46. vbi v. *Erneſtii* Excurſ. Varro de R. Ruſt. 3, 2. *Opus teſſellatum ex paruulis coloris varii lapidibus quadratis conſtabat, quibus ſolum pauimenti incruſtabatur*, add. Horat. Epp. 1, 10, 19. vbi v. intpp. *Michaelis* vertit: *Fuſsboden von Moſaiſcher (ſ. Muſiviſcher) Arbeit*, a voce Arabica وشّي *pingere*, v. *Golius* p. 2679. Abulfeda Syr. p. 16. ed. *Köhler*. رُخام مُوشّي marmor coloratum. vid. *Schulzius Anmerkk.* ad h. l. Scilicet luxus cum Romae inualuiſſet, inter multa alia munditiarum genera, etiam hoc inde a Sullae temporibus vſu receptum eſt, vt beatiores in aedibus ſuis pavimenta teſſellata et ſectilia facienda curarent, v. Plin. H. N. 36, 25. Hoc vero luxus genus etiam ad prouincias peruenit. Ac Iulius Caeſar quidem ipſa ſectilia marmorisque cruſtas et teſſeras, in expeditionibus circumferebat, vt quoties locus caſtris ponendis eſſet dimetiendus, hisce marmoreis cruſtis Praetorium ſterneretur, v. Sueton. V. Caeſ. c. 46. Tale ergo pauimentum, cui tribunal impoſitum erat, extra Praetorium h. l. intelligendum eſt, v. *Krebſius* et *Loeſnerus* ad h. l. *γαββαθᾶ ſuggeſtus* lapidibus marmo-

reis ſtratus, in quo erat ſella poſita magiſtratus prouincialis ius exercentis. Eſt vox Chaldaica a גבה (ſi ſcribitur γαβαϑᾶ, vt in nonnullis etiam codd. legitur) vel גבב (ſi γαββαϑᾶ ſcribitur, vt in plerisque libris ſcriptum extat) *altus*, *elatus fuit*, v. *Druſius* ad h. l. Ἑβραϊστὶ v. ad 5, 2.

14. 15. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη] *erat autem dies praeparationis Paſchatos*, *hora fere ſexta*. παρασκευὴ dies proxime ſabbatum aut feſtum aliquod praecedens, quo Iudaei omnia ad huius feſti ſolennia rite peragenda praeparare debebant; παρασκευὴ τοῦ πάσχα dies, quo Iudaei ad pie celebranda ſacra Paſchalia ſeſe praeparare debebant, v. ad Matth. 26, 17. p. 720. Iohannes h. l. refert, Pilatum hora fere *ſexta*, noſtra duodecima, in tribunali conſediſſe, eademque Ieſum ad ſupplicium crucis damnaſſe. Marcus contra 15, 25. tradit, Ieſum hora *tertia*, noſtra nona, in crucem actum fuiſſe. Vario modo interpretes hanc disſenſionem componere annisi ſunt. Diuerſas virorum doctorum ſententias, quarum ſingulae difficultatibus premuntur pluribus, collegerunt et diiudicarunt *Wolfius*, *Koecherus* ad h. l. inprimisque *Ruſius* in Harmon. T. 3. p. 1162 ſqq. Equidem arbitror Marcum accurate tempus notaſſe, conf. not. ad Marc. 15, 25. praeſertim cum etiam Matthaeo auctore 27, 35. Ieſus in crucem actus ſit, antequam tenebrae Iudaeam occupaſſent h. e. ante horam ſextam, coll. Matth. 27, 45. Quare haud improbabilis eſt eorum interpretum ſententia, qui ſtatuunt, librariorum incuria h. l. literam Γ (τρίτῃ) mutatam eſſe in ϛ (ἕκτῃ) vt ſaepius, v. *Bengelius* in Apparat. Crit. ad h. l. adeoque h. l. lectionem τρίτη pro vera ſcriptura eſſe habendam. Tuentur etiam hanc lectionem DL. 72. 88. 123. 151. Seuerus antioch. et Ammonius cum quibusdam ap. Theophyl. Nonn. Et Chronici Alexandrini auctor, ἦν ὡσεὶ ὥρα τρίτη ſcriptum fuiſſe teſtatur in autographo Iohannis, quod in eccleſia magna Epheſina ſuo adhuc tempore ſeruabatur. Qui codex, etſi falſo pro ipſo Iohannis autogra-

pho venditatus sit, tamen peruetustus fuit. cf. *Bengelius* l. c. p. 270. et *Wetstenius* ad h. l. Praeplacet mihi tamen etiamnum eorum ratio, qui verba: ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη, quae abesse saluo sensu possunt, pro aduenticiis et insitiuis habent, v. not. ad Marc. l. c. Ioh. 13, 20. Ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν] *videte regem vestrum!* Pilatus Iudaeorum pertinacia et comminationibus exacerbatus, vt se ab iis vindicaret, eos irridebat. Cum Iesus purpura vestitus, coronamque e spinosa frutice contextam gestans, e praetorio ad tribunal educeretur, Iudaeis acclamabat: videte regem vestrum, videte hunc hominem vilem, qui neutiquam regnum affectauit, quem vos (multos vestrum) pro rege habuisse, ipsi dixistis, v. Luc. 23, 5. Exprobrabat igitur Iudaeis, quod multi inter ipsos tam stulti fuerint, qui talem hominem pro rege habuerint. Hac autem cauillatione Iudaei multo magis irritati, clamabant: *tolle, tolle, et in crucem agi iube!* Pilatus vero eos exagitare pergens, interrogabat: *regemne vestrum in crucem agi iubeam?* reputate, quam probrosum hoc vobis foret. Fuerunt qui putarent, Pilatum verbis: Ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν· τὸν βασιλέα ὑμῶν σταυρώσω; ad misericordiam commouere voluisse Iudaeos, sed verba ipsa, vid. ad 18, 39. et titulus cruci impositus, qui Pilati cauillationem repetebat v. 19. 21. sat luculenter docent procuratorem his verbis irrisisse synedros.

17—22. Vid. ad Matth. 27, 32. 33. 37 sq. Luc. 23, 32. αὐτοῖς vid. ad Luc. 23, 25. παρέδωκαν, παρέλαβον, ἀπήγαγον, verba solennia de iis qui supplicio destinati sunt Xen. H. Gr. 2, 3. 22. παραδίδομεν ὑμῖν, ἔφη, Θεραμένην τουτονὶ κατακεκριμένον κατὰ τὸν νόμον· ὑμεῖς δὲ λαβόντες, καὶ ἀπαγαγόντες οἱ ἕνδεκα οὗ δεῖ, τὰ ἐκ τούτων πράσσετε. ib. 5, 2. 21. λαβόντες ἀπάγετε τοῦτον ἔνθα εἴρηται. Pro ἀπήγαγον in aliis libris legitur ἤγαγον, fortassis vere, ita, vt ἤγαγον positum sit pro ἀπήγαγον,

abduxerunt a praetorio in locum fupplicii. — 17. *βαςά-ζων τὸν ςαυρὸν* qui in crucem agebantur, eam ipfi portare debebant ad locum fupplicii, v. ad Matth. 27, 32. Plautus Mil. Glor. 2, 4. 6. *tibi erit eundum extra portam, patibulum cum habebis* fcl. fuper te v. *Lipfius* de cruce 3, 5. *ἔγραψε καὶ τὸν τίτλον κ. τ. λ.*] *titulum fcribi et cruci imponi iufferat Pilatus his verbis*: *Iefus Nazaraeus* (v. ad Matth. 2, 23.) *rex Iudaeorum.* *ἔγραψε* putarunt nonnulli Pilatum propria manu fcripfiffe titulum, fed *ἔγραψε* commode reddi poteft *fcribi curauit*, vt v. 1. *ἐμαςίγωσε flagris caedi iuffit*, et h. l. *ἔθηκε imponi iuffit.* add. Matth. 14, 10. Tituli verba Euangeliftae varie laudant. Matthaeus 27, 37. verba ita concepit: *οὗτός ἐςιν Ἰησοῦς ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.* Marcus 15, 26. *ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.* Luc. 23, 38. *οὗτός ἐςιν ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων.* Scilicet Matth., Marc. et Lucas nonnifi fummam infcriptionis exhibuerunt, Iohannes vero, teftis oculatus, ipfa eius verba nobis afferuauit. *Ναζωραῖος* nomini proprio, tunc fatis inter Iudaeos frequenti, cognomen Nazaraei adiectum fuit, ne cum aliis eiusdem nominis confunderetur. — 21 fq. Pilatus his verbis fupplicii cauffam notandam curarat, vt Iudaeis illuderet coll. v. 15. Infcriptio enim ita intelligi poterat, ac fi Synedrium populusque Iudaicus hunc in crucem actum regem habuiffent. Quare Synedri apud Pilatum intercedebant, vt titulus mutaretur. *ἔλεγον οὖν τῷ Πιλάτῳ κ. τ. λ.* *facerdotum principes monebant: tu non debebas fcribere, rex Iudaeorum, fed: is dixit, ego fum rex Iudaeorum*, vt fcilicet appareret Iefum temere hoc fibi nomen arrogaffe. Sed Pilatus iis refpondebat: quod femel fcripfi, fixum ratumque fit! non mutabo.

23. 24. *ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος κ. τ. λ.* *erat autem tunica non confuta, fed a fummo inde e folido contexta.* Conf. not. ad Matth. 27, 35. *ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ ἡ λέγουσα κ. τ. λ.*] *haec res ita euenit, vt recte et appofite hic laudari poffint verba fcripturae, pallium meum inter fe partiti funt*

et de tunica mea sortes iecerunt. ἵνα πληρωθῇ vid. ad Matth. 1, 22. Laudauit Iohannes verba Psalmi 22, 19. In illo Psalmo Iesu Messiae in crucem acti et morientis fata describi, haud pauci opinati sunt. Contra vero alii de Dauide illum Psalmum agere contenderunt, eumque ad tempora rebellionis Absalomi retulerunt, cum plura in carmine illo occurrant, quae Iesu nullo modo conueniant. v. *Rosenmüllerus* in Scholiis ad Ps. l. c. *Eckermanus* in *theolog. Beyträgen* St. 2. p. 76 sqq. *Holzapfelii* Diss. *gegen den Messianischen Gehalt des 22sten Psalms*, Rintelii 1808. 4. et versio nostra vernacula Psalmorum p. 46., vt adeo Iohannes verba Psalmi tantummodo in rem suam transtulerit. Recte. Neque enim milites Romani Iesu hostes erant, mandata magistratus exsequebantur, et vestimenta supplicio affectorum de more Romano erant spolium militum supplicii exactorum, v. ad Matth. l. c. Sensus ergo verborum Psalmi, cum ibi de Dauide sermo sit, ita constitui debet: rebelles interitus mei adeo sunt certi, vt de spoliis, de supellectili, vestibus meis, tanquam iam extincti, inter se dividendis cogitent.

25—27. ἡ μήτηρ αὐτοῦ] Exinde quod mater tantum Iesu h. l. memorata sit, eamque Iesus Iohanni commendarit, Iosephi autem neque h. l. neque in narratione de nuptiis Canae celebratis, neque in tota ministerii Christi publici historia mentio facta sit, collegerunt interpretes, Iosephum iam pridem fuisse mortuum cum ea, quae h. l. memorata leguntur, euenirent. Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ scl. γυνή *Maria Clopae vxor.* Clopas h. l. memoratus, non confundendus est cum Cleopa, cuius Luc. 24, 18. mentio fit, id quod vel diuersa nominis scriptura docet. Nomen enim Κλωπᾶς Hebraicam originem prodit, sed Κλεόπας Luc. l. c. est nomen Graecum contractum ex Κλεόπατρος, vt Ἀντίπας ex Ἀντίπατρος v. *Potti* Prolegg. in ep. Iacob. p. 60. *Hugii Einleit. in das N. T.* Th. 2. p. 356. et nos ad Luc. 24, 13. Sed Clopas est

idem qui alias vocatur Alphaeus. Nam Maria Clopae vxor, Matth. 27, 56. dicitur, mater Iacobi et Iofis, vt Marc. 15, 40. fed Matth. 10, 3. Marc. 3, 17. 18. Iacobus Alphaei filius, memoratur inter Apoftolos v. et ad Matth. 13, 55. Nomina autem *Clopas* et *Alphaeus*, quamuis e noftra fcribendi ratione valde diuerfa videantur, facile tamen deriuantur e communi fonte, Hebraica nempe fcriptura, qua nomen viro erat חלפי, quod duplici modo efferri poterat *Chalpai* et *Chlopai*. Priorem pronuntiationem fequuntur Matth. et Marc. abiecta, more Graecorum, adfpiratione orientali, et addita terminatione Graeca ος, vnde Ἀλφαῖος, veluti Hagg. 1, 1. vbi οἱ ό חגי efferunt Ἀγγαῖος. Pofteriorem fequitur Iohannes, qui habet Κλωπᾶς, ח mutato in κ, vt פסח 2 Paralip. 30, 1. ab Alexandrinis effertur per Φασέκ. vid. *Gablerus* in Disf. de Iacobo epiftolae eidem adfcriptae auctore, Altorfii 1787. 4. p. 11. *Pottus* l. c. p. 59. 63. et *Lightfootus* ad h. l. Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ vid. ad Matth. 27, 55. 15, 39. Luc. 8, 2. τὸν μαθητὴν παρεστῶτα, ὃν ἠγάπα, *et adftantem difcipulum, quem amabat* i. Iohannem, qui hac circumlocutione fe defignare folet v. ad 13, 23. 18, 15. γύναι, ἰδοὺ ὁ υἱός σου] *en! mulier, filium tuum!* eum in pofterum filii loco habeas. Virg. Aen. 9, 297. *Namque erit ifta mihi genitrix* (i. pro genitrice), *folumque Creüfae Nomen defuerit.* Id. Ecl. 3, 104. *et eris mihi magnus Apollo*, pro magno Apolline, Apollinis inftar. γύναι vid. not. ad 2, 4. ἰδοὺ, ἡ μήτηρ σου] *en, matrem tuam!* hanc matris loco habeto! Vt Iefus aliquod matri folatium praeberet in grauiffima triftitia, eam Iohanni commendabat, quem ipfe fraterno amore complectebatur, qui etiam ei victum praebere poterat, v. Prolegg. p. 1. et not. ad 7, 3. atque oftendebat matri, Iohannem ipfam filii pietate profecuturum effe, et Iohanni, Mariam ipfi matrem futuram. καὶ ἀπ' ἐκείνης — εἰς τὰ ἴδια] *et ab illo tempore eam difcipulus in fuam domum recepit.* εἰς τὰ

ἴδια scl. δώματα s. οἰκήματα, vt 3 Macc. 6, 27. 2 Esdr. 5, 47. Act. 21, 6. Ioh. 16, 32. vid. ad. 1, 11.

28. μετὰ τοῦτο εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς, ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται] *postea, cum Iesus intelligeret omnia* mala *iam tolerata esse* i. e. cum sentiret sibi mortem proximam esse. Alii vertunt: *omnia peragenda s. a se praestanda, peracta s. praestita esse.* Alii verba explanant: *cum sciret omnia* vaticinia de Messiae fatis *esse euentu comprobata, vt illud quoque effatum euentu comprobaretur, sitire se significabat.* Monent verbum τελειοῦσθαι, aliis quoque in locis de praedictionum euentu adhiberi, vt Luc. 18, 31. 22, 37. Sed verbum τελειοῦν omnino etiam notat: *finire, absoluere,* Matth. 13, 53. Luc. 2, 39. 12, 50. et sic infra quoque v. 30. τετέλεσται de fine calamitatum malorumque adhibetur, coll. Luc. 23, 46. Praeterea Iohannes ipse v. 36. 37. duo adhuc V. T. oracula laudat, eaque ad Iesum transfert, v. *Eckermani Beyträge* St. 2. p. 79. Praeferenda ergo omnino est prior verborum interpretatio. ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει· διψῶ] *vt scripturae effatum euentu non careret, dixit: sitio.* Solent qui crucis supplicio moriuntur, siti vehementer discruciari. Alludit autem Iohannes ad Ps. 69, 22. illumque locum ad Iesum accommodat: psalmus enim non de Iesu Messia agit, cui nec dirae illae et imprecationes, quae ibi v. 23 sqq. leguntur, conueniunt, cf. *Rosenmülleri* Scholia ad Ps. l. c. *Gurlitti* Animaduu. ad. auct. vett. in *Potti* Sylloge Commentatt. theologg., Helmstad. 1800. p. 332 sqq. et vers. nostr. Psalmorum vernaculam. Scilicet Iudaei amabant loqui vocibus et formulis e V. T. desumtis, et ad Messiam omnia V. T. dicta referebant, quae eum vllo modo respicere viderentur. Itaque et Christi temporibus inter disciplinae christianae sectatores ea inualuerat V. T. interpretandi ratio, vt quaecunque sacri codicis loca, vel vno verbo, vel vna loquendi formula, ad Christi vitam et mores adhiberi posse videretur, ad eum referrent, in eumque conuenire affirmarent, inprimis ea, quae aut homi-

nem aliquem integrum vitae fcelerisque purum, aut doctrinae diuinae fectatorem ftudiofiffimum omnis generis malis vexatum adumbrarent, vid. *Gurlittus* l. c. *Rofenmülleri* hiftoria interpretat. libror. facror. in eccl. chrift. inde ab Apoftolor. aetate vsque ad Origenem P. 1. p. 13 — 40. nos ad Matth. 1, 22.

29. Vid. ad Luc. 23, 36. *σκεῦος οὖν ἔκειτο ὄξους μεστὸν — τῷ στόματι*] *iam cum effet in promtu vafculum pofca refertum, nonnulli fpongiam ea repletam et hyffopo affixam eius ori admouerunt.* *ὄξος* pofca, vinum acidum, vid. ad Matth. 27, 34. *οἱ δὲ* auctore Matthaeo 27, 48. vnus tantum, nempe Iudaeus vid. ibi not. permittentibus militibus Romanis accurrit, et fpongiam, vino viliori repletam, in arundine fuspenfam Iefu porrexit. Sed vel pluralis h. l. pofitus eft pro fingulari (folet enim haud rarenter pluralis ita poni, vt vnus e pluribus fignificetur, vid. ad Matth. 17. p. 486) vel, quod praefero, Iohannes generatim locutus eft, quoniam plures in praeparando potu laborarant, ex quibus vnus potum attulerat. Eft autem *οἱ δὲ* id. qd. *τινὲς δὲ*, quamquam non praeceffit *οἱ μὲν*, vt ap. Luc. 5, 33. Matth. 26, 67. 28, 17. Arrian. Expedit. Alex. 6, 29. *οἱ δὲ καὶ τὸ σῶμα τοῦ Κύρου ἐλωβήσαντο*, *quidam et ipfum Cyri corpus violauerant.* Id. 7, 1. *οἱ δὲ καί τάδε ἀνέγραψαν*, *alii id etiam memoriae prodiderunt* Aelian. H. V. 12, 35. *οἱ δὲ Φασὶ καὶ ἑτέρας ἓξ, εἰς εἶναί πάσας δέκα*, quidam vero dicunt etiam alias fex fuiffe, *vt vniuerfae fint decem.* Diog. Laert. 6, 2. 6. *οἱ δὲ τοῦτο Ἀριςίππου Φασί*, *quidam vero illud Ariftippo tribuunt*, vid. et *Elfnerus* ad h. l. *περιθέντες* id. qd. *ἐπιθέντες*. Suidas: *περίθου· ὅπερ ἡμῖν συνηθὲς ἐπίθου λέγειν*. Sed verba *καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες* mirifice exercuerunt interpretes. Quaeritur enim, qui potuerit Iohannes hyffopo calamum tam longum tribuere, qui arundinis inftar adhiberi, et Iefu ori admoueri potuerit, cum vel ex 1 Regg. 4, 33. conftet, hyffopum herbam effe humi fere repentem, nec in altum furgen-

tem. Varias vias ingreſſi ſunt interpretes, vt ex hac difficultate ſeſe expedirent, vid. *Wolfius*, *Rusius* ad h. l. *Walchius* de potu Seruatoris moribundi, Ienae 1762. 4. *Krebſius* in Vindiciis quorundam locor. N. T. a Ioh. Toupio temere ſollicitatorum, Lipſ. 1778. 4. Ac *Camerarius* quidem in Commentar. in N. T. ad Ioh. 19, 9. cui adſtipulati ſunt *Sylburgius* ad Nonni Paraphr. ad h. l. *Boiſius* Collat. vet. interpr. alii, ſcribendum eſſe putat ὑσσῷ προπεριθέντες. Monet ὑσσὸν fuiſſe telum miſſile Romanorum, vid. Vegetius 2, 15. eiusque ferro praefixam fuiſſe ſpongiam, vino acido refertam, Matth. et Marcum hoc pilum dixiſſe κάλαμον, quod pars eius lignea arundinis formam habuerit. *Bochartus* Hieroz. P. 1. L. 2. c. 50. ὑσσωπον legendum coniicit, vt non ſpongia hyſſopum, ſed hyſſopus ſpongiam circumdederit, et ſpongiam atque hyſſopum calamo circumpoſuerint. Sed ellipſis haec vocis potioris inſolentior eſt, et περιθέντες requirit vocem ad quam referatur. vid. *Wolfius* ad h. l. *Toupius* Emendatt. in Suidam P. 2. p. 166. pro ὑσσώπῳ reſcribendum eſſe autumat ξυςῷ, quae ſcriptura nimis longe a vulgata recedit. „Ξυςῷ, ſcribit *Toupius*, ſiue haſtula longiori opus erat ad ſpongiam ori admouendam; Matthaeus κάλαμον vocat.“ Contra eum pluribus disputauit *Krebſius* l. c. *Boltenius*, qui temere contendit, Iohannem lingua Aramaea Euangelium ſuum conſcripſiſſe, opinatur, interpretem Graecum vocabulum אזוב *huſſopus*, commutaſſe cum זויבא *ſcipio*, ſed vt recte obſeruarunt *Eichhornius Einleit.* Th. 2. p. 262. et *Wegſcheiderus* in *Einleit. in das Evang. Ioh.* p. 277. *telum acutum*, *ſcipio*, in lingua Syriaca dicitur שׁויבא non זויבא Sed his coniecturis omnibus atque ambagibus facile ſuperſedere poſſumus, cum vulgaris lectio commode poſſit defendi. Nempe erant hyſſopi genera varia, vid. *Salmaſius* in epiſt. de hyſſopo, adiecta *Bartholini* Diſſ. de latere Chriſti aperto, Lugd. 1685. 8. *Bochartus* Hieroz. l. c. *Wedelius* Cent. 1. exercit. c. 8. num. 1. 2. *Lightfootus* ad h. l. *Iſaac f. Omram*, apud

Bochartum; Hyssopus herba est, in montibus Hierosolymitanis proueniens, cuius rami super faciem terrae extenduntur ad cubiti longitudinem, aut aliquanto minus. Foliis enim et ramis luxuriat. — *Beuerouicius* in epist. ad Bartholin. addita huius diss. de latere Christi p. 335. scribit, *se hyssopum vidisse saepius lignosis surculis duorum pedum superare altitudinem, vt mirum videri non debeat, in Iudaea altius excreuisse, ita, vt pro calamo facile vsurpare potuerit.* Est ergo h. l. de hyssopi specie sermo, quae in culmos crescit, calamorum instar, vid. *Bynaeus* de morte Chr. 3, 8. 17. Christ. crucif. c. 19. §. 10. vt 1 Regg. 4, 33. de minima hyssopi specie, quae Libani cedris opponitur. Caeterum crux non tam excelsa aut sublimis erat, vt non hominis manus extenta, modico adiumento potentior facta, ad os hominis in crucem acti peruenire potuerit.

30. τετέλεσται, *finis calamitatum malorumque adest.* Alii vertunt, *actum est*, vita peracta est; vel, *omnia* (repetunt πάντα e v. 28.) *peragenda peracta sunt.* κλίνας τὴν κεφαλὴν, *caput inclinabat*, vt solent moribundi, viribus deserti. Ouid. Met. 10, 194 sq. *Sic vultus moriens iacet; et defecta vigore Ipsa sibi est oneri ceruix; humeroque recumbit.* παρέδωκε τὸ πνεῦμα, *spiritum Deo reddidit* i. exspirauit. „Pia est locutio apud Hebraeos illos, qui iudicium post hanc vitam credebant, recepta, qua qui moritur, dicitur *spiritum tradere*, Deo scilicet eius auctori, vt is de eo statuat.“ *Grotius* ad h. l.

31. ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ] *ne per diem sabbati in cruce manerent;* e legibus Iudaeorum corpora lapidatorum suspensa, ante solis occasum de patibulo tolli et sepeliri debebant, vid. Deut. 21, 22. neque tamen hanc ob caussam, sed quod solennia sabbata instarent, Pilatum rogabant, *vt frangerentur crura in crucem actorum et tollerentur.* Cadauera in crucem actorum

more Romano non fepeliebantur, vid. ad Matth. 27, 32. ob inftans tamen aliquod feftum apud ipfos quoque Romanos in vfu erat, vt ea cognatis ad fepulturam redderentur, vid. ad Matth. 27, 58. παρασκευή, cf. v. 14. προσάββατον not. ad Marc. 15, 42. ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου] *et erat dies illius fabbati maxime folennis*; nempe in eundem diem incidebat etiam fefti Pafchatos initium, erat ergo fabbatum illud maxime folenne. μεγάλη, *folennis*, vt 7, 37. et ap. τοὺς ό· Ief. 1, 13. κατεαγῶσι aor. 2. coni. paff. qui ductus videtur non ab κατάγνυμι fed a praef. κατεάγω *Fifchero* Animaduu. ad Weller. Vol. 2. p. 318. Vol. 3. P. 1. p. 17. Crura fracta effe mortis accelerandae cauffa, quam plurimi interpretes ftatuunt v. et *Lipfius* de cruce 2, 14. cum Iudaei ob fabbati religionem rogarint Pilatum, vt in crucem acti necarentur et tollerentur. Recte vero *Michaelis*, *Mofchius*, alii, animaduertetunt, crurum fractione neutiquam effici potuiffe, vt citius morerentur, fed crura fracta effe, ne de poenae grauitate nimium decederet, pedibus autem fractis, ictu gratiofo trucidatos effe cruciarios, de hoc ictu nil memoraffe Iudaeos, quod more Romano cum crurum fractione coniunctus fuiffet. Frangebantur offa claua lignea aut ferrea, non a cruce demtis, fed in cruce pendentibus; et de plano potuiffe offa frangi, cum cruces non adeo altae fuerint, oftendit *Salmafius* de cruce p. 284. 316. Caeterum pertinet huc locus Lactantii Inftit. Diu. 4, 26. *fuffixus itaque Chriftus, cum fpiritum depofuiffet, neceffarium carnifices non putauerunt, offa eius fuffringere, ficut eorum mos ferebat.* καὶ ἀρθῶσιν, *de cruce tollerentur*, fubintelligendum ἐκ τοῦ ϛαυροῦ, praeceffit enim ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ ϛαυροῦ.

32. ἦλθον οὖν οἱ ϛρατιῶται] *quare milites acceſſerunt*. Haud improbabilis eft fententia *Storrii* Opufcc. Vol. 3. p. 170. milites, qui cruci affixis crura frangere debuiffent, alios habendos effe ab iis (v. 23.) qui in crucem fustuliffent, actosque cuftodirent. Neque enim illi, fcribit l. c.,

quemadmodum hi (Matth. 27, 54. Marc. 15, 39.) interfuerant morti Iefu. Alioquin, cum crura duobus fuffregiffent, ad Iefum non fuiffent eodem confilio acceffuri, neque tum demum ex adfpectu mortuum intellexiffent (Ioh. 19, 33.), qui profecto tacite mortuus non fuerat Luc. 23, 46—48. Ergo Pilatus *ex vrbe miferat* milites, qui petitioni Iudaeorum (Ioh. 19, 31.) fatisfacerent. Neque obftat articulus, voci στρατιῶται additus. Is enim non neceffario fuperius commemoratos fignificat, fed *quosdam certos* dicit, quemadmodum *fingulariter* vfurpatus articulus vernaculo *infinito* faepe refpondet 6, 3. Matth. 15, 29. Luc. 9, 28. coll. Marc. 9, 2. Act. 11, 13. coll. 10, 3. 22.

34. *Sed vnus militum lancea eius latus perfodit, e quo ftatim fanguis cum aqua profluit.* Vulnus Iefu inflictum non altum, neque letale fuiffe, fed eum a milite leuiter tantum punctum effe, vitae refiduae explorandae cauffa, plures noftra aetate ftatuerunt, vt *Paulus* in *Krit. Kommentar* ad Matth. 27, 50. *Schufterus* in *Eichhornii Allgem. Biblioth. der bibl. Literat.* B. 9. p. 1037 fqq. add. *Gableri Neueft. theol. Journal* B. 9. p. 172 fq. Monuerunt, non effe a Iohanne notatum, vtrum dextrum an finiftrum latus percuffum fit; verbum νύττειν notare tantum *pungere*, *cuticulam fcindere*, et leue vulnus innuere; verba autem αἷμα καὶ ὕδωρ per hendiadyn pofita effe pro αἷμα ῥυτὸν, et fignificare *fanguinem fluidum*, *adhuc calentem*, cum ὕδωρ omne *liquidum*, *fluidum tenue*, notet, vid. *Schleufneri* Lex. h. v. talem fanguinem effluxiffe, quod Iefus non vere mortuus, fed vehementi fyncope oppreffus fuerit (vid. ad Matth. l. c.), Iohanuem autem artis medicae imperitum putauiffe Iefum vere mortuum effe, adeoque hunc fluorem miratum effe, et propterea tanta affeueratione affirmaffe v. 35. f. veritatem fcribere. Plerique vero interpretes cum veteres, tum recentiores contenderunt Iefum vere mortuum effe, eum iam mortuum fuiffe, cum ei vulnus infligeretur (vid. not. ad Matth. 27, 50. p. 797.) et vulnere inflicto humo-

rem aquatum et cruentum e pericardio, liquorem pericardii, effluxisse, *qui in mortuorum corporibus paulo largior esse solet, si qui post summam anxietatem moriuntur* (vid. *Gruneri* Commentat. de I. C. morte vera p. 48.) conf. *Bartholinus* l. c. *Moschius* in *Leidensgesch.* p. 829. *Michaelis Begräbnissgeschichte* p. 22. Ex aliorum sententia Iesus, cum cruci affixus hasta foderetur, vixit adhuc vitam aliquam sed praedebilem, vulnere vero pectoris illato subito ae vere excessit. Hanc sententiam nuper pluribus defenderunt *Grunerus* vterque, pater et filius, medici Ienenses, vid. *Car. Frid. Ferd. Gruneri* Commentatio d. I. C. morte vera non simulata. Accedunt *Christ. Gottfr. Gruneri* Vindiciae mortis I. C. verae, Halae 1805. 8. Argumentis vsi sunt hanc in rem fere his: Vulnus inflictum est a milite ideo, vt exploraret, an Christus vere mortuus esset, et si minus, vt eum ictu gratioso penitus conficeret. Inde ergo per se probabile, eum pectus petiisse, et cum crux non adeo alta et sublimis esset (vid. nos ad Matth. 27, 33.), lanceae magnitudinem et manus firmitatem plagae in latus alte adigendae suffecisse. Affert Iohannes v. 37. verba Zachariae: ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν, adeoque, νύττειν (quo verbo de milite Iesum vulnerante v. 34. vsus est) et κεντεῖν pro synonymis habuisse videtur. Iam verbum νύττειν interdum quidem ita legitur, vt sit, *cuticulam scindere*, vid. *Grunerus* p. 74. sed vulgaris verbi significatio est *pertundere, transfodere*, vt ap. Hom. Il. ε, 43. 45 sq. Ἰδομενεὺς δ' ἄρα Φαῖστον ἐνήρατο — Τὸν μὲν ἄρ' Ἰδομενεὺς δουρικλυτὸς ἔγχεϊ μακρῷ Νύξ' sequitur effectus vulneris v. 47. — στυγερὸς δ' ἄρα μιν σκότος εἷλε· sed σκότος non est lipothymia leuis, vel syncope subita, verum mors ipsa. Eustathius ibi habet: τὸ κεντῆσαι ἤτοι τρῶσαι, νύξαι λέγει. Exempla alia vid. ap. *Grunerum* p. 76. Etiam verbum κεντεῖν interdum ita adhibetur, vt sit *cutim lacerare*, sed perraro, idque ex oratione contexta facile colligitur, longe frequentius eo significatu occurrit, vt sit *vulnus profundum infligere*, vt ap. Xenoph. Anab. 3, 1. 9. Aelian. H. Anim. 1, 56. vid.

et *Grunerum* p. 77. Vulgaris ergo verbi νύττειν significatio docet h. l. de vulnere alto cogitandum esse, et haec significatio apprime conuenit descriptioni Iohanneae, qui aquae et sanguinis fluorem nominarit, vid. *Grunerus* p. 74. Locum laesum Iohannes nominat πλευρὰν, *latus.* „Apud anatomicos πλευρὰ dicitur membrana pectus intus et vtrinque circumcingens (hinc *dolor lateris acutus, pleuritis et morbus lateralis*) communi loquendi vsu, quem etiam Iohannes sequitur, intelliguntur *partes sub pectore sitae* i. e. pulmones, cor cum pericardio, vasa magna rel. Haec quidem vitae sustinendae continuandaeque instrumenta sunt, nec sine vitae discrimine vel ferro acuto laedi, vel acie hastae subtili pertundi possunt. — Sine dubio lancea militis suffixa haesit in *latere sinistro.* Iohanne teste, post illam νύσιν vel κέντησιν, post ictum et inflictam lateri plagam, illico profluxit sanguis et aqua. Tale profluuium vix fieri potuit, nisi a latere sinistro, sub quo praeter pulmonem est et *pericardium aquae plenum, si quis post anxietatem summam mortuus est*, et cor cum arcu aortae copulatum.“ *Grünerus* p. 80 sqq. „Pulmo leuiter ictus quidem poterat parum sanguinis profundere, aquam minime, probabilis ergo prae caeteris et medicinae forensi magis consentanea ea coniectura est, qua fons sanguinis profusi in cordis ventriculo, aquae in pericardio quaeritur.“ *Id.* p. 47. „Ex vulnere profluxit *cum impetu*, vt videtur, sanguis et aqua simul, neque hoc mortui sed viuentis est, ergo Christus, dum cruci affixus a milite fodiebatur, viuebat quidem vitam aliquam, sed praedelebilem proximeque casuram, at vero, vulnere pectoris illato, e vita subito ac vere excessisse putandus est. Ex hoc enim vitalem fontem exhauriri, atque vim vitae perexiguam omnino tolli oportuit.“ *Grunerus* p. 39. „Non multum refert, Iohannes hanc rem oculis captam descripserit, *vt medicus*, an, vt *aliquis e plebe*, satis est eum quidem corporis locum, vnde sanguis et aqua profluxit, sic esse designatum, vt, qui qualisque adspectu fuerit, per se intelligere quisque

legentium posset: de caetero medici iudicabunt. Iam vero vbi aliquis pectore telum acutum recipit, et post ictum sanguis copiose profluxit, medici forenses vas sanguineum laesum, contra vbi serum effluxit, vas serosum vel quoddam seri receptaculum scissum colligunt, locum ipsum, vnde humidum venerit, per anatomen definiunt. Ergo isthoc lateris vulnus, de quo temere dubitant theologi noui, probabiliter descendit in sinistrum latus, subiectasque pectoris partes laesit." *Grunerus* p. 82. „His rite perpensis, sequitur aduersarios falso *de morte Christi vera* dubitasse. Nam ea syncope quam ipsi iterum iterumque appellant ad rei probabilitatem inueniendam, non est historice probata, sed coniecturalis, eaque, si vere suberat, per praecepta medica ipsa mors censenda est, neque ea sine miraculo, quod ipsi negant, e corpore hominis profligatur, nec Christus, si talis in sepulcro per biduum iacuit, sponte sua reuiuiscere, vel amica Essenorum opera, vt ipsi putant, breui tempore restitui potuit. Contra vulnus lateris historice certum, medice confirmatum est, idque probabiliter profundum, quia si cutis leuiter puncta fuerit, sanguinis portio vel nulla, vel perexigua profluere, nec syncopen letalem facere poterat, ideoque illud natura sua et effectu absolute mortiferum fuisse oportuit." *Grunerus* p. 94. Conf. et not. ad Matth. 27, 50. p. 800 sq.

35. *Haec quidem testis oculatus scripsit, eiusque testimonio fides habenda, scit enim se vera scripsisse, vt adeo vos ei fidem habere possitis.* Quaeritur, cur tanta asseueratione affirmarit Euangelista rem a se oculis fuisse vsurpatam? *Hammondus* et *Schusterus* l. c. arbitrantur, Iohannem respexisse Docetas, de corpore Christi fictitio somniantes, ideoque affirmasse latus Iesu hasta transfossum fuisse et αἷμα καὶ ὕδωρ e vulnere promanasse. Sed vid. Prolegg. §. 5. p. 54 sqq. Equidem in eorum partes discedo, qui statuunt, Iohannem respexisse suorum temporum homines, qui Iesum vere mortuum esse negarent, quo narrationem

de eius in vitam reditu infringerent, vid. Matth. 28, 14. 15. Affirmat ergo Iohannes Ieſum vere mortuum eſſe, oſſa quidem eius non fracta, ſed latus transfixum eſſe, cumque, ſi non iam antea mortuus fuiſſet, ex hoc vulnere inflicto mori debuiſſe. Iohannis igitur aſſeueratio inprimis referri debet ad ea quae v. 34. leguntur. Alii opinantur, Iohannem tanta aſſeueratione affirmaſſe Ieſu crura non eſſe fracta, ſed tantum haſta ei vulnus inflictum, quod oſtendere voluiſſet haec, *ταῦτα* v. 36., eueniſſe, *ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ κ. τ. λ* v. 36. 87. vid. *Gablerus* l. c. *ὁ ἑωρακὼς* ſe ipſum innuit. *μεμαρτύρηκε* vim praeſentis habet. *κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει*, conſcientia mea mihi teſtatur, me vera ſcripſiſſe, Rom. 9, 1.

36. *Et haec quidem euenerunt, vt ratum eſſet ſcripturae effatum: os ei ne confringatur.* *γὰρ* eſt mera transeundi particula, vt ſaepius. Reſpexit Iohannes locos Exod, 12, 46. וְעֶצֶם לֹא־תִשְׁבְּרוּ־בוֹ LXX. *καὶ ὀςοῦν οὐ συντρίψετε ἀπ' αὐτοῦ.* Num 9. 12. וְעֶצֶם לֹא יִשְׁבְּרוּ־בוֹ. Iohannis mens, et ſententia haec eſt: ſicuti de agno Paſchali extabat lex, vt ne crura illius frangerentur, ita Dei prouidentia factum eſt, vt nec Chriſti oſſa frangerentur. Comparauit ergo Chriſtum cum agno Paſchali, et in hanc comparationem eo prius atque facilius delabi poterat, cum paulo ante Ieſu mortem, agnum Paſchalem vna cum eo comediſſet, et 1, 29. annotaſſet, Iohannem Baptiſtam Ieſum cum agno comparaſſe. Errant qui agnum Paſchalem typum Chriſti fuiſſe autumant, cum neque in libris V. T. huius rei veſtigium deprehendatur, neque alias formula *ἵνα πληρωθῇ*, (vid. ſupra v. 28.) tali ſenſu legatur; conf. etiam *Leſſius* in *Auferſtehungsgeſch.* p. 102. et *Rauius* in libro: *freymüthige Unterſuchung über die Typologie*, Erlang. 1784.

37. *ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν*] *videbunt eum quem transfixerunt.* Verba deſumta ſunt ex Zach. 12, 10. et laudata quoque reperiuntur Apoc. 1, 7. Legitur autem Zach. l. c. וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר־דָּקָרוּ וְסָפְדוּ עָלָיו quae

verba Alexandrini interpretes expreſſerunt: *καὶ ἐπιβλέψονται πρὸς μὲ, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο· καὶ κόψονται ἐπ' αὐτὸν κ. τ. λ.* Pro אֵלַי *ad me*, plures codd. legunt אֵלָיו *ad eum*, quae lectio multis arriſit, cum ſequatur עָלָיו. Sed vulgaris lectio difficilior eſt eique fauet conſenſus verſionum antiquarum omnium. *Dathius*, qui עליו non de *perſona*, ſed de *re* explicandum mouet (vid. *Schultenſii* Anim. aduu. philol. ad h. l.), verba prophetae reddidit: *intuebuntur me, quem transfixerunt, atque ea de re lugebunt.* Durius, cum Deus loquens inducatur. *Bauerus* in Scholiis ad h. l. vertit: *reſpicient ad me*, Deum, opis implorandae cauſſa (Ieſ. 45, 22.) *quod attinet eum quem transfixerunt.* Praeplacet *Eckermani* interpretatio in *Theologiſchen Beyträgen* Stück 2. p. 82.: *me* Deum *deſiderabunt* (Pſ. 34, 6. Ieſ. 51, 1.) *vna cum* (את) *eo, quem transfixerunt.* Alexandrini Iudaei, qui verbum דקר aliis locis interpretati ſunt verbis *ἀποκεντεῖν, ἐκκεντεῖν, κατακεντεῖν*, vid. Num. 25, 8. 1 Sam. 31, 4. Iudd. 9, 54. 1 Chron. 10, 4. Ier. 37, 10. 51, 4. Thren. 4, 9. cum h. l. דָּקָרוּ expreſſerint *κατωρχήσαντο* (Phauorinus: *κατωρχήσαντο· ἐνέπαιξαν, κατεχάρησαν*) pro דקרו legiſſe videntur רקדו *inſultarunt*, ſed reliquae verſiones omnes in recepta lectione conſentiunt. Iam de quonam transfixo Zach. l. c. ſermo ſit, interpretes disſentiunt, et definiri certo nequit. Meſſiae mortem violentam, crucifixionem, et Iudaeorum, qui poſtea ad eius ſigna ſe contulerunt, dolorem, de crudelitate, qua populares in eum ſaeuierunt, praedici, plures opinati ſunt. Sed huic explicationi, vt *Bauerus*, *Eckermanus*, alii notarunt, contextus repugnat. Eſt enim in antegreſſis 12, 1 — 14. ſermo de fruſtraneis conatibus hoſtilibus, Hieroſolymae expugnandae cauſſa factis, et de victoria a Iudaeis de hoſtibus ſuis reportanda. Alii cogitarunt de Serubabele, de cuius tamen violenta morte nihil conſtat, vid. *Eckermanus* l. c. p. 84. alii de Iuda Maccabaeo, qui in proelio occubuit, vid. 1 Macc. 9. contra vero *Bauerus*, alii, obſeruarunt, Maccabaeorum tempore Hieroſolymam ab hoſtibus

expugnatam, ipfumque templum fere totum dirutum effe, vid. 1 Macc. 1, 20. 2 Macc. 5, 11 — 27. quos locos cum oraculi argumento componi non poffe. Alii effe quidem fermonem de duce Iudaeorum interfecto concedunt, cum haec interpretatio fimpliciffima fit, quinam vero innuatur, et an Zacharias oraculi auctor habendus fit, neutiquam certo conftitui poffe, rectiffime monent, vid. *Hartmanus* in *Iufti Anthologia* (*Blumen althebräifcher Dichtkunft*, Giffae 1809.) p. 650 fs. — *Grotius*, *Leffius*, *Rofenmüllerus*, *Hartmanus*, verba Zachariae vertunt: *me*, Deum, *defiderabunt*, *quem antea repudiarunt* f. *contumelia affecerunt*; notant, verbum דקר non tantum fignificare: *transfodere*, *vulnerare*, fed etiam omnino, *iniuria*, *contumelia afficere aliquem*, *infultare alicui* (βλασφημεῖν), vt נקב Leuit. 24, 16. fed defiderantur exempla alia huius fignificationis verbi דקר, vid. et *Eckermanus* l. c. Caeterum Iohannem accommodaffe tantum Zachariae locum, vel exinde patet, quoniam verba ipfius neque Hebraico textui, neque verfioni Alexandrinae accurate refpondent. Omnino autem hac allegatione fententiam exprimere voluit hanc: iam transfixus erat is, de quo recte dici poterat: defiderabunt et deplorabunt quem transfixerunt.

38. 39. Vid. not. ad Matth. 27, 57 fq. Marc. 15, 43. Luc. 23, 51. Νικόδημος, vid. 3, 1. 7. 50. φέρων μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡςεὶ λίτρας ἑκατόν] *mixturam myrrhae et aloes ad centum libras afferens.* σμύρνη myrrha, fuccus arboris Arabicae, Dioscorides 1, 60. σμύρνα δάκρυον δένδρου γεννωμένου ἐν Ἀραβίᾳ, οὗ ἐγκοπτομένου ἀποῤῥεῖ τὸ δάκρυον εἰς ὑπεςρωμένας ψιάθους. add. Plin. H. N. 13, 15. *Celfii* Hierobot. P. 1. p. 520 fqq. ἀλόη, ex plurimorum interpretum fententia, non herba, Aloe, intelligenda eft, e qua fuccus amariffimus eliciebatur, fed arbor aromatica, quae et agallochum et xylaloe vocatur, cuius lignum ad thymiamata, etiam ad condienda cadauera ab Aegyptiis adhibebatur, vid. de hac arbore *Celfii* Hierobot. P. 1. p. 135 fqq.

Michaelis Supplem. ad Lexx. Hebrr. P. 1. p. 32 ſs. *Salmaſius* Exercitt. Plin. p. 745 ſs. *Roſenmülleri* Scholia ad Num. 24, 6. Disſentiunt interpretes, vtrum de aromatibus ſiccis, an de vnguento ex iis confecto cogitandum ſit. Sed probabilius eſt Nicodemum attuliſſe, myrrhae ſiccae ſolidae et contuſae atque agallochi ligno contuſo quoque et in puluerem redacto mixtae, libras circiter centum. Etenim Ioſephus et Nicodemus non leguntur aromatibus illis vnxiſſe Ieſu corpus, imo Iohannes v. 40. refert, corpus vna cum aromatibus *linteis inuolutum eſſe;* neque Ioſephus et Nicodemus διὰ τὴν παρασκευὴν v. 42. accuratius Chriſti corpus condire poterant, mulieres autem, quae rite et accurate illud condire volebant, vt Lucas refert 23, 56. aromata et vnguenta (discernuntur ἀρώματα et μύρα) emerant, ὅπως ἀλείψωσι, vt corpus Ieſus vngerent quoque, ei vnguenta illinerent, add. Marc. 16, 1. videtur praeterea etiam pondus aromatum, ſi vnguenta intelligenda eſſent, nimis magnum eſſe, quam vt vnctioni vnius corporis paratum exiſtimari poſſit. Ambigunt porro interpretes, quo ſenſu nomen λίτρα h. l. capiendum ſit. Nempe λίτρα *libra*, (v. 12, 3.) *pondus, menſuram, tum aridorum quam liquidorum*, et *nummum* ſignificat. Conſtitiſſe menſuram hanc ſiue pondus duodecim vnciis Galenus auctor eſt. conf. *H. Stephanus* in Indice Theſ. p. 1385. *Bynaeus* de morte I. C. L. 1. c. 3. §. 30. Chriſto crucif. c. 3. §. 22. *Salmaſius* de Vſuris p. 577 ſq. de modo Vſurar. p. 242 ſq. cum vero λίτρα de nummo ponitur (quo ſignificatu rarius occurrit), admodum parui pretii numisma intelligitur, aequipollens Aeginetarum obolo. Pollux 4, 24. 2. ἡ δὲ λίτρα δύναται ὀβολὸν Αἰγιναῖων. H. l. de nummo cogitari non poteſt; de eo enim ſi cogitandum eſſet, Iohannes ſcripſiſſet λιτρῶν non λίτρας, praeterea adeo modici in haec aromata pretii erogati commemorationem fuiſſe prorſus ſuperuacaneam, quis eſt qui non intelligat? Itaque λίτρα h. l. pondus duodecim vnciarum ſignificat. Iis autem, qui tantam aromatum copiam inutilem fuiſſe obiiciunt, recte regeritur,

etiam cubile illud, in quod Chrifti corpus repofitum effet, ad fuauem odorem excitandum, more confueto, vid. 2 Chron. 16, 14. vndique his aromatibus impletum fuiffe, et aromata ad fuffitus ciendos, in ipfo fepeliendi actu ex parte comburi potuiffe, cum hoc quoque moris effet in funeribus, vid. 2 Chron. l. c. *Harmari Beobachtt. über den Orient* Th. 2. p. 148. p. 151 fq. *Norbergius* de religione et lingua Sabaeorum p. 12.: *Exfequias profequendi Galilaeis* (Sabaeis) *hic eft mos. Mortuum domi lauatum*, rebus odoratis fuffitum, *et in arcula veftitum pofitum, ad fepulturam efferunt.* Maffecheth Semachoth c. 8. *cum mortuus effet R. Gamaliel fenior, combuffit fuper eum Onkelofus profelytus vltra LXXX. libras opobalfami.* Iofephus quoque Ant. 17, 8. 3. p. 849. et B. Iud. 1, 1. extr. p. 143. ed. *Haverc.* quingentos feruos vel libertos ἀρωματοφόρους, *aromata portantes*, funus Herodis, comitatos effe teftatur, vid. *Kypkius* ad h. l. Caeterum *Michaelem*, qui in *Begräbnifs - und Auferftehungsgefch. Iefu* p. 69 fs. λίτραν, libram a Iohanne memoratam, tantum vicefimam quartam partem librae Romanae, quae duodecim vnciis conftaret, confeciffe ftatuit, docte et accurate refutarunt *Lorsbachius* in *Repertorium für biblifche und Morgenl. Literat.* Th. 17. p. 93 fs. et *Pleffingius* in *Auferftehungsgefch. unfers Herrn I. C.* Th. 1. p. 153 fq.

40—42. *Corpus igitur Iefu fublatum inuoluebant fafciis, vna cum illis aromatibus, ficut Iudaei corpora ad fepulturam praeparare folent.* De verbo ἐνταφιάζειν, quod omnino notat, ad fepulturam praeparare, fiue vngendo, fiue inuoluendo vt h. l. vid. ad Matth. 26, 12. ὀθόνια, *fafciae*, vid. not. ad Matth. 27, 59. καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν] referenda funt haec verba ad ea quae praeceflerunt. Refpicit Iohannes Aegyptiorum cadauera condiendi morem, eique Iudaeorum morem opponit. Aegyptii cadauera vifceribus exemtis aromatibus refercire folebant, vid. Herodo. 2, 86 fs. Iudaei cadauera aromatibus tantum adfpergebant, adfperfa linteis inuol-

vebant. — 41. 42. [Vid. not. ad Matth. 27, 60. διὰ τὴν παρασκευὴν, *propter diei festi praeparationem*, quoniam dies praeparatorius ad finem vergebat, et proxime sabbatum instabat, vid. ad Luc. 23, 54. propterea Iesu corpus in sepulcro, quod in propinquo esset, deponebant. Totus dies Veneris παρασκευῆς nomen habebat. Sed h. l. sermo est de vltima diei parte, quae proprie παρασκευὴ erat, de tribus postremis diei horis, quibus mactandus agnus, et reliqua ad festum necessaria paranda erant: vid. *Lud. de Dieu* ad h. l.

C A P V T XX.

1. 2. Vid. ad Matth. 28. p. 815 ss. 819. Luc. 24, 1 sq. Marc. 16, 2. *μιᾷ τῶν σαββάτων*, vid. Matth. 28, 1. Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ] vna cum Maria Magdalena aliae quoque mulieres ad sepulcrum venerant, sed Iohannes hanc tantum feminam commemorat, quoniam quae iam enarrare volebat, et v. 1. 2. 11 — 18. leguntur, ex narratione huius Mariae ei innotuerant, neque tamen Mariam solam ad sepulcrum abiisse, vel verbum οἴδαμεν v. 2. docere potest. *εἰς ad* id. qd. *ἐπὶ* Marc. 16, 2. Luc. 24, 12. sic *εἰς* quoque legitur v. 4. 18, 28. 11, 31. 38. — 2. *τρέχει οὖν καὶ ἔρχεται πρὸς Σίμωνα Πέτρον κ. τ. λ.*] *currit ad Petrum et discipulum alium quem Iesus diligebat* i. e. Iohannem, vid. 19, 26. Maria cum per ostium sepulcri introspexisset, et corpus non eo loco repositum vidisset, qui cadaueri recipiendo destinatus erat, relictis ad sepulcrum reliquis mulieribus, celeri cursu in vrbem rediit, v. ad Matth. 28, 5. et adiit hospitium Petri, apud quem Iohannes erat. *ἦραν τὸν κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτὸν*] *sublatum est e sepulcro domini corpus, et nescimus, quonam sit asportatum.* Su-

ſpicata eſt Maria, vt videtur, Ieſu amicos, coll. v. 15. corpus ipſius, quod ab iniuriis hoſtium magis ſecurum iaceret, in alium locum asportaſſe. Pro οἴδαμεν in nonnullis codd. legitur οἶδα, expreſſerunt etiam ſingularem numerum Syr. Perſ. p. Arr. Aeth. Arm., vid. *Griesb.* hinc *Polyc.* *Lyſerus* et *Boyſenius* a *Wolfio* in Curis atque *Köchero* in Analectis ad h. l. laudati, legendum praecepeṙunt οἶδα μέν. Verum nulla mutatione opus eſt, nec veteres interpretes aliter legerunt, ſed pluralem per enallagen pro ſingulari ſpoſitum acceperunt, et ſenſum expreſſerunt; et commode vulgata lectio retineri poteſt, etſi non aliarum mulierum aut comitum Mariae mentio facta ſit, cum Iohannes interdum negligentius ſcribere ſoleat, et h. l. orationem Mariae verbotenus reddere voluerit.

4—7. καὶ ὁ ἄλλος μαθητὴς προέδραμε τάχιον τοῦ Πέτρου] *alter diſcipulus celerius praecurrit Petro*, forte per viam propiorem Petrum, quocum ab initio eadem via pergebat, anteuenit. Caeterum ipſa narratio docet, Iohannem fuiſſe illum alterum diſcipulum. — 5. παρακύψας βλέπει vid. ad. Luc. 24, 12. οὐ μέντοι εἰςῆλθεν, *non autem ingreſſus eſt*, paulo timidior, horrore quodam loci tactus. Petrus vero, qui ingenii feruidi et audacior erat, ſtatim ſepulcrum ingrediebatur v. 6. cuius exemplo excitatus Iohannes poſtea quoque monumentum intrabat v. 8. σουδάριον, vid. ad Luc. 19, 20. Ioh. 11, 44. χωρὶς ἐντετυλιγμένον εἰς ἕνα τόπον, *in aliquo loco ſeorſim inuolutum.* εἰς poſitum eſt pro ἐν, vid. *Raphelius* Obſſ. Polybb. et Xenophh. ad Marc. 1, 1. vt εἷς pro τὶς, v. ad Matth. 8, 18. τόπον ſcilicet κείμενον θεωρεῖ.

8. 9. καὶ εἶδε καὶ ἐπίστευσε] *haec videns credidit*, nempe corpus eſſe ablatum. Nonnulli praeeuntibus Cyrillo, Chryſoſtomo, Hieronymo, haec verba explanant:

iam credidit Iohannes Chriftum in vitam rediiffe; quae vero v. 9. leguntur, de reliquis difcipulis intelligenda effe autumant, fumunt praeterea Iohannem hanc fuam perfuafionem intra animi cancellos continuiffe. Cui tamen explicationi, per fe parum probabili, contextus aduerfatur. De Petro et Iohanne idem h. l. traditur; idem non crediderunt, nempe Chrifti corpus alio effe transportatum, idem non crediderunt, nempe Chriftum in vitam rediiffe, ad vtrumque refertur οὐδέπω ᾔδεισαν v. 9. et Luc. 24, 11. refert, vndecim difcipulos poftea narrationes mulierum de Chrifto redituo pro nugis habuiffe. — 9. οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν τὴν γραφὴν κ. τ. λ.] *nondum enim*, vtpote adhuc praeconceptis opinionibus de regno Meffiano terreno dediti, quibuscum neutiquam Chrifti mortem, eamque fecuturum in vitam reditum componere poterant, *e locis literarum facrarum intellexerant, Iefum in vitam redire debere*; innuit fcriptor, eos poftea doctore Iefu ipfo, rectius oracula V. T. intellexiffe, vid. ad Luc. 24, 26 fq. 46 fq. Ioh. 2, 22.

10—13. ἀπῆλθον οὖν πάλιν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ μαθηταὶ] *et domum difcipuli reuerfi funt.* πρὸς ἑαυτοὺς *domum*, vt in verfione Alexandrina Num. 24, 25. ἀπῆλθε πρὸς ἑαυτὸν, *domum rediit.* Iofeph. Ant. 8, 4. 6. πρὸς αὑτοὺς ἕκαστος, τοῦ βασιλέως ἀπολύσαντος, ἀπῄεσαν. Polyb. 5, 93. διέλυσε τοὺς Μεγαλοπολίτας πρὸς αὑτούς. Catull. 64, 278. *ad fe quisque vago paffim pede discedebant.* Cic. de Orat. 1, 49. *quem non longe ruri apud fe effe audio.* Phaedr. 4, 21. 22. *Sermone ab ipfo cognitum cupidiffime Ad fe recepit.* vid. et not. ad Matth. 26, 57. Luc. 24, 12. Μαρία δὲ εἱστήκει πρὸς τὸ μνημεῖον κ. τ. λ.] *Maria ad fepulcrum ftabat*, poft Iohannis et Petri abitum ad fepulcrum acceſſerat, vid. not. ad Matth. 28, 5. p. 821. καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους, *confpexit duo genios*, cf. not. ad Matth. 28, 5. ἐν λευκοῖς fcl. ἱματίοις, vt ap. Artemidor. Oneirocrit. 2, 3. ἐκφέρειν ἐν λευκοῖς ἀποθανόντας, *mortuos efferre vefte candida indutos.*

add. Apoc. 3, 4. 5. conf. de hac praepositionis ἐν vſu, notata ad Marc. 1, 23. κύριόν μου, *magiſtrum*, διδάσκαλον. coll. v. 16.

14—16. ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω — ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστι] *retro conuerſa adſtantem Ieſum vidit, neſciens tamen ipſum eſſe.* ἐστράφη, *ſe conuertebat*, vel reditum in urbem parans, vel quoniam ex ſtrepitu perceperat, aliquem a tergo adſtare. Non agnouit Ieſum, eum enim in vitam rediiſſe, non credebat v. 2. oculi triſtitia caligabant, nec eum accuratius intuebatur, praeterea oris quaedam mutatio, inde orta, quod Ieſus tot cruciatus et mortem ipſam perpeſſus erat, etiam veſtitus alius, efficiebant quoque vt Ieſum non primo adſpectu agnoſceret. Ieſum, qui ex ea quaerebat, quare ploraret? κηπουρὸν eſſe putabat, *horti inſpectorem*, atque inter lacrymas, auerſo vultu, ei reſpondebat: *domine, ſi tu forte eum ſuſtuleris, indica mihi, vbi repoſueris, vt eum inde tollam.* κύριε, nomen honoris; Senec. ep. 3. *obuios, ſi nomen non ſuccurrit*, dominos *ſalutamus*, v. ad Matth. 8, 2. βαστάζειν, *tollere, auferre* Ioſeph. Ant. 7, 11, 7. de cadauere Amaſae in via iacente: βαστάσας ἐκεῖθεν ὁ φύλαξ, καὶ κομίσας εἴς τι χωρίον ἀπωτάτω τῆς ὁδοῦ, *cuſtos illud inde auferens, in locum quendam longius a via remotum asportatum, ibi depoſuit.* Exempla plura vid. ap. *Rapheliam*, *Kypkium* et *Wetſtenium* ad h. l. Haud improbabile videbatur Mariae, conſcio illo horti inſpectore, amicum Ieſu quempiam, ob Iudaeorum metum corpus Ieſu curaſſe clam asportandum cumque metueret, ne ſatis ſecuro loco repoſitum eſſet, rogabat τὸν κηπουρὸν, vt ſi ſciret, quo asportatum eſſet, id ei aperiret. Addebat: κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ hoc ſenſu: ego curabo, vt, ſi forte opus videatur, honeſte ſepeliatur, ne ab inimicis auferatur iisque ſit ludibrio. v. 1 Sam. 31, 12. ad Matth. 27, 61. — Blanda et amica voce Ieſus Mariam compellabat. Illa mirata, ſe ab homine ſibi ignoto conſueto nomine compellari, ipſo etiam vocis ſono mota, accuratius iam Ieſum intueba-

tur, eumque agnofcebat. Ῥαββουνὶ vid. ad Marc. 10, 51. In nonnullis codd. fcriptum extat λέγει αὐτῷ ἑβραϊςὶ, quod tamen additamentum a grammaticis profectum videtur.

17. 18. Verba μή μου ἅπτου· οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα varie explicuerunt interpretes, vid. *Lampius*, *Wolfius* in Curis, *Koecherus* in Analectis, *Heumanus* et *Michaelis* in *Begräbnifs- und Auferftehungsgefch.* ad h. l. Praecipuas harum interpretationum, pro inftituti noftri ratione, afferamus. A) Scilicet haud pauci interpretes verbum ἅπτεσθαι de longo et intimo pedum amplexu intelligunt, et verba μή μου ἅπτου vertunt: *noli pedibus meis affixa adhaerere*, fenfum autem ita conftituunt: noli in amplexu pedum immorari, tempus terere veneratione fignificanda, gaudio declarando, nondum ad patrem redeo (vt adeo ἀναβέβηκα vim praefentis habeat v. 1, 26. 16, 27. 6, 69. 8, 29. al.), feftina potius ad difcipulos meos perturbatos, iisque renuntia, me paulo poft ad patrem rediturum effe. Ad hanc explicationem comprobandam explanatores illi monent: verbum ἅπτεσθαι in verfione Alexandrina Iob. 31, 7. refpondere verbo דָּבַק *adhaefit*, hoc vero verbum ab iisdem interpretibus Alexandrinis aliis in locis, v. c. Gen. 2, 24., expreffum effe verbo προσκολλᾶσθαι *adhaerere*, *adfixum effe*; iam h. l. fubintelligi debere ποδῶν aut γονάτων. Mariam nimirum, cum agnouiffet Iefum, laetabundam exclamaffe Rabbuni, et vt fummam venerationem Chrifto fignificaret, more apud Orientis populos recepto, genibus Iefu fe aduoluiffe et ea contrectaffe coll. Matth. 28, 10. (vid. ad Matth. 2, 2. 4, 9.), Iohannem quidem non memoraffe, Mariam fe ad Iefu pedes prouoluiffe, fed eum eiusmodi περιςάσεις, e contextu facile fupplendas, omittere folere. Qui contra hanc interpretandi rationem disputarunt, his argumentis vfi funt: 1) non perfpicitur, cur tanta feftinatione Mariae opus fuerit, nec addita ratio congruit. 2) Orientales in terram fefe profternere folebant honoris exhibendi cauffa, non autem pedes aut genua

illius, quem venerabantur, contrectabant, id facere tantum solebant supplices. 3) significatio, quae verbo *ἅπτεσθαι* tribuitur, vt nempe notet, *adhaerere, morari*, probari nequit. Nam vt *Vogelius* in Disſ. de coniecturae vſu in Criſi N. T. Altorfii 1795. 4. p. 39. obſeruauit, Iobi l. c., ad quem prouocant, in verſione Alexandrina legitur quidem *ἅπτεσθαι*, et in textu Hebraico דבק, ſed Iobus ibi de ſe praedicat, nihil quod non iuſtum fuerit, manibus ſuis adhaeſiſſe בְּכַפַּי דָּבַק מאום i. e. bonum alienum non rapui. Interpres vero Alexandrinus id de donis accipiendis intellexit: *ἐν ταῖς χερσὶ μου ἡψάμην δώρων, manibus meis non attigi dona*; ſenſum expreſſit, non autem verbum דבק cum *ἅπτεσθαι*, tanquam idem valenti permutauit. B) Alii putant Mariam incertam an phantaſma appareret, extendiſſe manus exploraturam tangendo corporis Chriſti naturam, Chriſtum ergo ei dixiſſe: noli me contrectando explorare, an ipſe ſim, non eſt corpus meum immutatum, vt ſuſpicaris, nondum enim in coelum, terreſtri corpore depoſito, translatus ſum. Verum his interpretibus oppoſitum eſt ab aliis, nullam idoneam afferri poſſe rationem, cur Ieſus Mariae non permiſerit, vt ipſum contrectaret, cum Thomae contactum ſui conceſſerit, quin et ipſum iuſſerit ſe contrectare Ioh. 20, 27. nec hoc interdixerit reliquis mulieribus Matth. 28, 9. 10. aut diſcipulis Luc. 24, 39. praeterea potuiſſe eum prohibito hoc ſui tactu, facile in ſuſpicionem deducere Mariam, vanam ſpeciem oculis ipſius eſſe obiectam, nec vere reſurrexiſſe Ieſum, quia tangi non vellet. C) *Gersdorfius* in *Beyträgen zur Sprach-Charakteriſtik der Schriftſteller des N. T.* (Lipſ. 1816. 8.) p. 79. qui vulgarem lectionem a Docetis (vid. Prolegg. §. 5. p. 54.) profectam eſſe ſuſpicatur, legendum coniicit, *μου ἅπτου* vel *ἅπτου μου*· nempe Mariam cum ex improuiſo conſpexiſſet Ieſum, terrore perculſam exclamaſſe *Ῥαββουνί*, tum Ieſum ei dixiſſe: *ἅπτου μου*, noli metuere, ſum Ieſus, nondum ad patrem redii. D) Alii ſtatuunt Mariam ſupplicum more genua Chriſti amplexam eſſe, quod putaſ-

fet fe videre naturam coeleftem, Chriftum de coelo in terram reuerfum. Haec fententia reliquis praeferenda videtur. Etenim Matthaei loco parallelo 28, 9. de reliquis quoque mulieribus legitur: αἱ δὲ προςελθοῦσαι, ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, καὶ προςεκύνησαν αὐτῷ, *procumbentes Iefum rediuiuum veneratae funt, ita, vt pedes eius apprehenderent*, more fupplicum. Timebant nimirum, ne quid iis accideret ob vifum. Nam vt ibi notauimus, (add. Luc. 5, 8. 9.) et luculentis exemplis comprobauimus, coelicolas, genios, deos videre metuebat antiquitas, eorumque verebatur praefentiam. Hinc Iefus feminas illas alloquebatur: μὴ φοβεῖσθε. Sic et Iefus Mariae Magdalenae, quae fupplicum more (vid. *Kypkius* ad h. l. et *Dougtaeus* in Analectis Sacr. P. 2. p. 47.) ipfius pedes amplecteretur, vel amplecti vellet, eodem fenfu dicebat: μή μου ἅπτου fcl. ποδῶν l. γονάτων, *noli pedes meos attingere, non eft quod metuas, et genua mea amplectaris*, nondum enim in coelum reuerfus fum, nondum in coelo mihi domicilium eft, adhuc his in terris corpore terreno indutus verfor. Et vt doceret, omnino vanum effe Mariae timorem, cultores fuos *fratres* nominabat, et profitebatur fe reuerfurum *ad Patrem et Deum ipforum*, a quo bona quaeque fperare poffent. Ita enim pergebat: πορεύου πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου κ. τ. λ.] *ad fratres meos abi nuntiatum, me ad meum veftrumque patrem, ad meum veftrumque Deum* (*paulo poft*) *effe afcenfurum*. Haec dum Mariam Iefus renuntiare iubebat difcipulis, eos a cogitatione regni Meffiani terreni iam inftituendi auocare, folatioque recreare volebat hoc, Deum iis femper auxilio fuo adfuturum effe, eosque aliquando felicitatis coeleftis participes fore, Ioh. 14, 2. 17, 22. 24. Per ἀδελφοὺς intelliguntur Apoftoli et reliqui Chrifti fectatores, vt Matth. 28, 7. 10. Marc. 16, 6. ἀναβαίνω vim futuri habet, vt faepius v. Ind. E) Ingeniofa eft coniectura, quam *Vogelius* in Disf. fupra laudata protulit. Legendum coniecit: ΜΗ ΟΥ ΠΤΟΟΥ.

verba ipfa V. D. apponamus. „Locutio μη ου πτοου ad μη μου απτου proxime accedit, vt facile in legendo cum his verbis permutari potuerit, et eft admodum infrequens. Μὴ οὐ enim nec in N. T. nec in verf. Alexandrina occurrit, nifi vbi inferuit quaeftioni, vt Rom. 10, 18. 19. 1 Cor. 9, 4. 5. Iudd. 14, 3. et in fcriptoribus Graecis frequenter quidem vfurpatur in negatione intentiori, iunctum vtplurimum infinitiuo, faepe coniunctiuo, interdum etiam indicatiuo, at imperatiuo praepofitum equidem non animaduerti. Verbum autem πτοέω, quamuis frequens fit eius vfus in verf. Alex. V. T. in N. Teft. raro obuium eft, et ne in V. quidem T. in imperatiuo pofitum, et etiam fi cum imperatiuo iungatur, ipfum tamen in coniunctiuo effertur, vt Deut. 31, 6. μὴ φοβοῦ μηδὲ πτοηθῇς." Sed vel hae ipfae animaduerfiones coniecturae prolatae parum fauere videntur. — 18. τοῖς μαθηταῖς primo Iohanni et Petro, deinde caeteris quoque, vt quisque ei occurrebat, difcipulis vid. ad Matth. 28, 6. p. 822.

19. 20. *Vefpera eiusdem primi hebdomadis diei, claufis foribus illius aedificii, ob metum Iudaeorum, in quo convenerant difcipuli, acceffit Iefus, et inter illos adftitit, faluete! inquiens,* conf. not. ad Luc. 24, 36. 40. ὀψίας intelligitur vefpera fecunda, nocte iam ingruente, vid. ad Luc. 24, 29. Matth. 8, 16. et *Michaelis Begräbnifs- u. Auferftehungsgefch.* p. 262. ἔστη de aduentu fubito et inopinato adhiberi folet, vt Luc. 24, 36. εἰς τὸ μέσον, inter eos, vid. ad Matth. 10, 16.

21. 22. *Inter valedicendum hunc in modum eos allocutus eft: ficuti me pater mifit, ita et ego vos mitto,* eritis in pofterum voluntatis diuinae interpretes, ficuti ego fui, provincia veftra fimilis eft ei, quae mea fuit, ego patris legatus fui, vos mei eftis legati. *Quibus dictis eos afflauit, accipite, inquiens, Spiritum Sanctum.* εἰρήνη ὑμῖν erat folen-

nis Hebraeorum cum salutandi tum valedicendi formula. Quae autem h. l. leguntur, ea Christus discipulis dixit, peracta coena v. Luc. 24, 41. et postquam ea locutus erat, quae notata extant Luc. 24, 47. Itaque εἰρήνη ὑμῖν h. l. reddi debet: *valedixit iis.* ἀποστέλλειν et πέμπειν sunt verba de iis, qui cum mandatis mittuntur, de legatis propria 1 Sam. 2, 5. 1 Regg. 1, 44. Exod. 3, 10. 13. cf. *Dorvillius* ad Chariton. p. 230. ed. Lips. ἐνεφύσησε, *adflauit eos*; symbolica actio erat, praeclare conueniens cum prima significatione vocabulorum רוח et πνεῦμα *flatus, ventus.* Erat autem haec ipsa factis docendi ratio Hebraeis perquam vsitata vid. Ies. 20, 3. Ier. 27, 2. Ezech. 12, 3. Matth. 27, 24. etc. λάβετε positum est pro λήψεσθε coll. 16, 7. v. *Glassius* Phil. S. p. 286. ed. *Dath.* Sensus autem verborum est: sicuti ego vos afflaui, sic vos accipietis πνεῦμα ἅγιον, sicuti hoc certum est, me vos afflauisse, ita et illud certum est, vos accepturos esse πνεῦμα ἅγιον. Repetebat Iesus promissionem discipulis, iam ante mortem suam datam, Ioh. 14, 17. 15, 26. 16, 13. coll. Luc. 24, 49. Sed sicuti illis in locis explanatores N. T. in interpretanda voce πνεῦμα ἅγιον variant, ita et eam h. l. diuersimode explicant. Alii nimirum per πνεῦμα ἅγιον intelligunt dona Spiritus Sancti, alii nouam mentis indolem, alii pleniorem et accuratiorem religionis cognitionem, sed intelligenda est vis diuina adiutrix, quae Apostolos reddebat idoneos ad munus recte gerendum, vid. not. ad 14, 17.

23. ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς κ. τ. λ.] *quibus peccata remiseritis, iis remissa erunt, quibus veniam peccatorum denegaueritis, iis denegata erit.* Quomodo haec verba interpretanda sint, non vna eademque virorum doctorum sententia est. Vulgo explicant: concessam esse a Christo Apostolis, tanquam Dei et Christi legatis, potestatem veniam peccatorum concedendi et denegandi, cum essent fallere nescii. Laudare solent tan-

quam locum parallelum Matth. 16, 19. qui tamen alius generis eſt v. ibi not. Alii haec verba explanant, de improborum chriſtianorum e coetu remotione atque poenarum diuinarum annuntiatione, eorumque, vbi reſipuiſſent, annuntiata iis peccatorum venia, in coetum receptione, v. 2 Cor. 2, 7 ſs. Matth. 18, 15 — 18. *Leſſius*, *Michaelis*, *Morus*, *Langius*, alii, cogitandum eſſe cenſent de liberatione a poenis criminum, a morbis, vt adeo *remittere peccata*, ſit, remouere conſequens peccati, a morbis liberare, *retinere peccata*, morbos immittere vel ſanitatem non reſtituere; cum vocabula ἁμαρτία, חטאה, ab Hebraeis et Helleniſtis ſaepius pro peccati poena ponantur; cum fuerit Hebraeorum opinio, morborum, calamitatumque grauiorum cauſſam, eſſe antegreſſum peccatum, v. not. ad Matth. 9, 2. Prouocant hi interpretes, quo ſententiam ſuam confirment, ad Act. 5, 5. 13, 5 ſs. 1 Cor. 5, 5. 2 Tim. 1, 20. Mihi quidem de hoc loco ſic videtur. Poſtquam Ieſus Apoſtolis dixerat, ſe legatione ad procurandam hominum ſalutem eſſe defunctum, et ipſos, ſucceſſores ſuos in propaganda doctrina diuina, declararat; exprimere volebat notionem vniuerſalem hanc: felix erit is, qui veſtra praecepta ſequetur, qui Dei et meam doctrinam, cuius vos praecones eritis, ſuſcipiet coll. Marc. 16, 16. Hanc igitur notionem vniuerſalem expreſſurus vtebatur verbis his: ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας κ. τ. λ. quorum iam ſenſus eſt: omnes Dei fauorem, beneficia, delictorum veniam conſequentur, quibus ſub hac conditione, vt meam doctrinam profiteantur, eamque vita et factis exprimant, peccatorum veniam annuntiaueritis, quosque in coetum chriſtianorum receperitis; contra vero omnes, quos non receperitis, quos indignos declaraueritis, qui recipiantur, contumaces, facinoroſi, quibus adeo contumaciae et flagitiorum poenas annuntiaueritis, (Matth. 10, 14. 15.) non perfruentur Dei fauore, carebunt beneficiis quae chriſtianis contingunt, poenas luent. Hanc interpretationem loci paralleli confirmant. Etenim Marc. 16, 15. Chriſtus

Apoſtolis dixiſſe legitur: *per omnes terrarum partes obeundo doctrinam ſalutarem annuntiate.* Luc. 24, 47. *vos oportet, mea auctoritate animorum emendationem, et ſpem peccatorum veniae per omnem terrarum orbem denuntiare.* Marc. 16, 16. *qui doctrinam meam ſuſcipit, aſſenſu probat, et vita ac factis exprimit, is felix erit, qui vero eam non ſuſcipit, nec ſequitur, ſed praefracte eam repudiat, is carebit beneficiis et ornamentis, quae chriſtianis contingunt.* (Hinc Petrus Act. 2, 38. *animum emendate, et lauacro ſacro ſuſcipiendo, vos Meſſiae ſectatores profitemini, vt veſtra peccata vobis condonentur*). Quae autem his in locis Chriſtus Apoſtolis dixiſſe perhibetur, iis eodem tempore dixit, quo ea quae h. l. memorata leguntur, vid. not. ad Marc. 16, 14.

24. 25. Θωμᾶς vid. ad 11, 16. *εἷς ἐκ τῶν δώδεκα,* ſolet numerus membrorum collegii vſitatus retineri, etſi non numerus plenus ſit. vid. ad Marc. 16, 14. Num. 11, 16. coll. 25 ſq. Iudicc. 11, 16. 1 Cor. 15, 5. *ἑωράκαμεν τὸν κύριον*] *magiſtrum vidimus.* Haud dubie diſcipuli rem omnem Thomae accuratius expoſuerunt, id quod vel ex ipſius reſponſione coniici poteſt; verum Iohanni ſatis erat, haec omnia in breuem ſummam contraxiſſe. Thomas collegarum aſſeuerationibus fidem denegabat. Haec incredulitas Thomae, cui non deeſſent argumenta ſatis grauia, Ieſum in vitam rediiſſe, a multis omni fere tempore grauiter caſtigata eſt. Obſeruarunt tamen alii, quo Thomam excuſarent, acerbiſſimum dolorem ipſius animum poſt Chriſti mortem occupaſſe, hunc dolorem, et praeterea opiniones praeconceptas de regno Meſſiano terreno, grauiter et ita perturbaſſe ipſius animum, vt impediretur, quo minus ſibi, ita vti deberet, in memoriam reuocaret praedictiones Chriſti de morte ſua, atque attenderet ad Apoſtolorum narrationes, eas conſideraret, iisque fidem haberet. Speraſſe eum potius, Ieſum, ſi vere in vitam rediiſſet, ipſi quoque pro ſuo amore eſſe appariturum, neque tamen eum praefracte negaſſe, Apoſtolos aliquid vidiſſe, ſed non

minus quam illos putaſſe, eos vidiſſe πνεῦμα, phantaſma, vid. Luc. 24, 37. id vel exinde apparere, quod dixerit: ἐὰν μὴ ἴδω κ. τ. λ. v. 25. conf. etiam *Niemeyeri Charakteriſtik der Bibel* Th. 1. p. 95 ſq. ἐάν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ — οὐ μὴ πιστεύσω] *niſi videro impreſſa manibus ipſius clauorum veſtigia, et digitum meum veſtigiis impoſuero, manumque meam ipſius lateri, non credam;* deceptos oculos veſtros, et phantaſma vos vidiſſe putabo. Bene *Semlerus:* „videtur audiuiſſe a diſcipulis, quod Ieſus oſtenderit vulnera, itaque eos quaſi corrigit, ſic omnino faciendum et experiundum fuiſſe,“ eos debuiſſe manum lateri admouere, digitum immittere clauorum veſtigiis. Non memorabat pedes, quia in crucem actorum pedes non clauis perforabantur, ſed funibus tantum cruci adſtringebantur, v. ad Matth. 27, 32. τύπος adhiberi de *veſtigiis plagarum, vulnerumque,* abunde comprobarunt *Gatackerus* Aduerſ. c. 4. *Stephanus* Theſ. ſub h. v. *Loeſnerus* et *Wetſtenius* ad h. l. Male ac perperam in nonnullis libris legitur τόπον, ſed ſaepius haec duo vocabula inter ſe permutarunt librarii, vid. *Wolfius* in Curis, *Loeſnerus* ad h. l. *Caſaubonus* ad Athen. 4, 2. *Bernard.* ad Thom. Mag. p. 464. *Koenius* ad Gregor. p. 3 ſq. et *Albertius* Peric. Crit. p. 44 ſq.

26. 27. ἦσαν ἔσω, *erant intus* h. e. *domi,* nam ἔσω εἶναι idem eſt quod ἐν οἴκῳ εἶναι, vt in verſ. Alex. Gen. 39, 11. Ezech. 44, 17. et ſic quoque ſcriptores exteri loquuntur, v. *Kypkius* ad h. l. Oppoſita formula eſt ἔξω εἶναι Arrian. Diſſ. Epictet. 3, 22. apud τοὺς ὁ Gen. 39, 12. Apoſtolos autem in eadem domo, qua antea, et in conclaui eodem, quo antea, fuiſſe congregatos, addita particula πάλιν docet. Φέρε τὸν δάκτυλόν σου κ. τ. λ.] *Semlerus:* „quaſi diceret, non ignoro, qualia experimenta ipſe quaſi definieris. Omnem igitur veniam impertio: experire, quantum ipſe volueris. Nec tamen credo, Thomam eo vsque experimenti progreſſum fuiſſe, quia Iohannes iam tacet, et nihil de ea re narrat.“ μὴ γίνου] *ne ſis;* γίνεσθαι

enim frequenter pro simplici εἶναι positum legitur 2 Petr. 1, 20. etc. ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός, noli amplius de mea resurrectione dubitare, sed tibi persuasum esto, me in vitam rediisse. πιστὸς id. qd. πιστεύων, vt Act. 10, 45. 2 Cor. 6, 15.

28. Iam vero Thomas verecundiae, pudoris, admirationis plenus, dicebat: ὁ κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου, *mi domine, mi Deus!* Nominatiuus positus est pro vocatiuo, vt Marc. 5, 41. vbi v. not. 15, 34. Matth. 1, 20. Ioh. 19, 3. Hebr. 1, 9. Graeci solent quidem, vt notauit ad h. l. *Wetstenius*, nominatiuum pro vocatiuo adhibere, sed articulos non confundunt, vt Hom. Odyss. γ', 375. ὦ φίλος. Sophocl. Ai. 992. ὦ φίλτατ' Αἴας etc. Allocutus ergo est Thomas his verbis Iesum, eumque simul dominum suum et Messiam declarauit, nam diserte legitur: καὶ εἶπεν αὐτῷ. Sed haud pauci ex hac Thomae compellatione probari posse arbitrantur diuinam Christi naturam, et plenam formulam ita constituunt: μὴ γίνομαι ἄπιστος, ἀλλὰ σὺ εἶ ὁ κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου, non dubito amplius; tu es dominus et Deus meus. Contra vero alii recte obseruant, Thomam vocabulum Θεὸς, eo sensu adhibuisse, quo nomen אלהים regibus, iudicibus, qui his in terris Dei vicem gerere crederentur, inprimisque Messiae impositum sit, v. Ps. 82, 6. 7. 45, 7. 8. 110, 1. Ioh. 10, 35. Alii Theodorum Mopsuestenum secuti, haec verba tantum admirantis et exclamantis esse arbitrantur, neque ea ad Christum, sed ad Deum referunt. Verum huic sententiae, vt recte monuerunt alii, obstat non modo hoc, quod probari nequeat, hanc admirationis formulam Iudaeis Christi aetate fuisse vsitatam, v. *Storrius über den Zweck der Evang. Gesch. Ioh.* p. 441. sed etiam quod legatur λέγει αὐτῷ, non λέγει simpliciter, et quod Christus in seqq. Thomae *fidem* laudet, quae ex eiusmodi voce admirationis non appareret. Nimis artificiosa et repudianda est denique Artemonii horum verborum expositio, qui Init. Euang. Ioh. 1, 24. p. 267. κύριος ad Iesum refert, et Θεὸς ad patrem, atque hanc

posteriorem vocem, post interuallum temporis Thomam adiecisse refert.

29 — 31. *Tum Iesus, quoniam me vidisti, credis,* πιϛεύειν in hac orationis serie explicandum est de fide, quae resurrectioni Christi habetur. Neque arridet nobis sententia eorum, qui hoc verbum latiori significatu capiendum esse statuunt, atque adeo verba οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιϛεύσαντες explicant: qui me Messiam, legatum diuinum agnoscunt, doctrinae meae obsequuntur, etsi me non viderint. μακάριοι, *longe feliciores;* nam positiuus vim habet comparatiui, vt Luc. 11, 28. sunt feliciores praedicandi; fides eorum praestantior, virtus eorum maior est, qui licet oculorum et sensuum adiumentis vti non possint, tamen credunt. — 30. Per τὰ σημεῖα interpretes haud pauci miracula a Christo edita intelligunt, et ταῦτα v. 31. vel ad σημεῖα, vel, cum Iohannes pauca tantum miracula enarrarit, ad vniuersum Euangelii argumentum referunt, atque hos versus pro clausula libri habent. Cum vero de Christi miraculis non fuerit antea sermo, sed de resurrectionis Christi documentis; cum haec σημεῖα memorata exhibuisse Christus dicatur discipulis, ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, insignia vero facta ab eo edita etiam sint ἐνώπιον τοῦ ὄχλου· rectius alii per τὰ σημεῖα intelligunt *argumenta resurrectionis Christi*, vt adeo verba reddi debeant: *edidit Christus multa alia signa vitae receptae coram discipulis suis,* (Act. 1, 3. παρέϛησεν ἑαυτὸν ζῶντα ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις,) atque ποιεῖν positum sit pro δοῦναι, παρέχειν, ex vsu loquendi Hebraeorum, qui verba עשה et נתן inter se permutare soleant. Iam vero qui hanc sententiam tuentur, voce ταῦτα vel haec ipsa resurrectionis documenta, vel omnes res gestas et orationes Christi a Iohanne literis consignatas respici putant. Posterior sententia praeferenda est. Neque enim sola persuasio de resurrectione Christi efficere poterat, vt aliquis crederet Iesum esse Messiam et Dei legatum v. 31., accedere debebat doctrinae Christi

rerumque ab eo gestarum cognitio. *ταῦτα δὲ γέγραπται*, haec autem scripta sunt, *ταῦτα* scl. *ἃ γεγραμμένα ἐστὶ ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ*, quae in hoc libro a me scripta sunt, cum in finem literis consignata sunt. *ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ Christus*, *Messias promissus* v. Marc. 1, 1. *ἐν ὀνόματι αὐτοῦ* pro *ἐν αὐτῷ*, *per eum*; alii construunt cum *πιστεύοντες*, v. Act. 13, 39. Eph. 1, 13.

CAPVT XXI.

Vltimum Euangelii Iohannei caput, non a Iohanne ipso, sed ab ecclesia Ephesina, forte a Iohanne presbytero Ephesino, ecclesiae consensu, post Iohannis obitum, cum in finem adiectum fuisse, vt ostenderetur, impletum esse, quod Christus de longaeuitate Iohannis, ac non violenta ipsius morte praedixisset, *Grotius* contendit ad 20, 30. Hanc eius sententiam plures secuti sunt, atque hoc caput vel a Iohanne presbytero, vel a Caio, Apostolorum hospite, additum fuisse putarunt, vid. quos laudarunt *Wolfius* in Curis, *Köcherus* in Analectis ad h. l. *Wegscheiderus* in *Einleit. in das Ev. Ioh.* p. 174 ss. Impugnarunt nuper quoque huius capitis authentiam *Paulus* in *Neuem Repertorium für bibl. und orient. Literat.* Th. 2. p. 327. et in *Memorabilien* Stück 5. p. 176 ss. atque *Gurlittus* in Explic. c. 21. Eu. Ioh. Hamb. 1805. 4. p. 15 sqq. Ac *Paulus* quidem statuit, esse hoc caput pro additamento incerti auctoris habendum, qui ostendere voluisset, Christum non praedixisse, Iohannem, tempore vltimi reditus sui, adhuc in viuis fore. Fuisse nimirum rumorem ortum de vita Iohannis, ex Christi praedictione, vsque ad visibilem eiusdem reditum duratura, cum vero Iohannes mortuus esset, nec Christus rediisset, atque adeo plures mirarentur ac dolerent, vaticinium illud euentum non habuisse, ad hos refutandos aut consolandos, Chri-

ſtianum aliquem, ea quae in hoc capite leguntur, conſcripſiſſe, ita vt traditionem ſequeretur. *Gurlittus* vero ſuſpicatus eſt, duo homines addidiſſe narrationes, quas hoc caput continet, ſicuti alicunde eas audiuiſſent, alterum nimirum addidiſſe ea quae de apparitione Chriſti tertia v. 1—14., alterum, quae de vaticinio Chriſti de Petro et Iohanne prolata v. 15 ſqq. leguntur. Praeterea *Gurlittus* l. c. monuit, narrationem de munere Apoſtolico Petro ſingulatim mandato, in dubitatione multorum de dignitate Apoſtolica timidi proditoris Chriſti facile enaſci, aut conſulto ab aliquo fingi potuiſſe; narrationem autem de vaticinio Chriſti ſuper nece Petri futura et de vita Iohannis vsque ad viſibilem Chriſti reditum duratura, poſt vtriusque Apoſtoli mortem paulatim exoriri potuiſſe, dictis aliquibus Chriſti, alia tamen mente prolatis, fortaſſis occaſionem praebentibus. — Authentiam vero vel totius capitis, vel ſaltem priorum 23 verſiculorum defenderunt: *Millius* in Prolegg. in N. T. §. 249. *Wetſtenius* ad 21, 25. *Richardus Simon* in *Kritiſch. Schriften üb. d. N. T. mit Anmerk. von Semler* Th. 1. p. 149 ſs. *Lampius* ad h. l. *Michaelis* in *Einleitung* B. 2. p. 1170. et in *Begräbniſs- und Auferſtehungsgeſch.* p. 294 ſs. *Oſiander* in Exercit. qua authentia c. 21. in Eu. Ioh. pertractatur, Tubing. 1756. 4. *Pabſtius* in Diſſ. de authentia c. 21. Eu. Ioh. Erlang. 1779. *Krauſius* (qui contra *Paulum* diſputauit) in Vindiciis cap. vltimi Eu. Ioh. Viteb. 1793. add. *Eichhornii Allgem. Bibl. der bibl. Literat.* B. 3. p. 337 ſs. eiusd. *Einleit. in das N. T.* Th. 2. p. 213 ſs. *Hugii Einleit. in d. N. T.* Th. 2. p. 196 ſs. Argumenta in vtramque partem prolata, fere haec ſunt: a) Quae c. 20. v. 30. et 31. leguntur, ſunt concluſio totius Euangelii, id quod totus orationis habitus, etiam conſilium ſcribendi, quod v. 31. additur, docet. Ergo c. 21. non poteſt eſſe Iohannis. α) At enimuero, etſi concedatur, vltimos cap. XX. verſus totius operis clauſulam continere, et caput XXI. ſerius additum fuiſſe, inde tamen non con-

fequitur, hoc additamentum ab alia, non a Iohannis manu effe profectum. Voluit Iohannes primo quidem, in cap. XX. finem fcribendi facere, deinde vero eorum, quae praetermiffa erant, recordatus, vltimum caput adiecit. Hanc rationem, cum optimi cuiusque fcriptoris, tum inprimis Nepotis exemplo illuftrari, obferuauit *Velthufenus* in hiftoria refurrectionis Chrifti, inferta Commentatt. theologg. ab ipfo et *Kupertio* atque a me editis Vol. 4. p. 141. Nepotem nimirum finitam iam Pomponii fui hiftoriam pertexturum, et multa infuper additurum, his vti verbis: *Hactenus Attico viuo edita haec a nobis funt. Nunc, quoniam fortuna nos fuperftites ei effe voluit, reliqua perfequemur; et, quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, ficut fupra fignificanimus, fuos cuique mores plerumque conciliare fortunam.* Caeterum fi hoc caput XXI., poft Iohannis obitum, et quidem eo confilio confcriptum fuiffet, quo illud *Grotius*, *Paulus*, alii confcriptum fuiffe autumant, mirandum effet, nullam obitus Iohannis mentionem factam effe. b) Ipfa ftyli diuerfitas docet, Iohannem non fuiffe huius capitis auctorem. Alias cum de fe loquitur, in tertia perfona loqui folet, fed v. 25. legitur οἶμαι, hoc ipfum οἶμαι eft forma Attica, qua Iudaeum Palaeftinenfem vfum effe, parum probabile eft, praeterea Iohannes dicturus fuiffet, κἀκεῖνος οἶδεν, ὅτι ἀληθῆ λέγει, vt 19, 35. neque Iohannes alias verbo φιλεῖν, quod ter in hoc capite recurrit v. 15. 16. 17. vti folet. β) Hoc argumentum fpectat potiffimum claufulam cap. XXI. [v. ibi not. ad v. 24.]. Sed non apparet, quidni Iohannes, etfi in Euangelio de fe femper in tertia perfona loquatur, femel ab hac loquendi confuetudine recedere et οἶμαι fcribere potuerit. Serius hoc corollarium adiecit; diuerfis temporibus diuerfe fcripfit. Etiam in prima Ioh. epiftola 2, 12. 13. legitur: γράφω ὑμῖν· v. 14. ἔγραψα ὑμῖν. Eft quidem οἶμαι forma Attica, fed ἀκηκόαμεν, ἑωράκαμεν 3, 11. 4, 42. 14, 9. funt quoque formae Atticae. Οἴδαμεν effe poteft pluralis communicatiuus, omnes fciunt, notum

eft, eum vera fcripfiffe; pofitus vero etiam effe poteft pluralis pro fingulari, vt 1 ep. 1, 6. 2, 4. 18. cum fequatur οἶμαι. Quae cum ita fint, nec exinde quod v. 24. pluralis οἴδαμεν pofitus reperiatur, cum *Grotio* argumentum peti poteft, ecclefiae Ephefinae teftimonium v. 24. legi. Ecclefiae Ephefinae doctores nomina fua fubieciffent. Denique φιλεῖν etiam aliis in locis Euangelii Iohannei recurrit, vid. 5, 20. 11, 3. 36. 15, 19. 16, 27. 20, 2. — Omnino probari nequit, fcribendi genus, in hoc capite, fi claufulam eius exceperis, diuerfum effe a fcribendi genere, quod in reliquo Euangelio deprehenditur. c) Affirmationis affeueratio v. 24. aliena eft a Iohannis modeftia, οἴδαμεν omnes norunt. Frigida et portentofa hyperbole, in qua locus definit v. 25. quae Iohannis fimplicitatem offendit. Planius et fimplicius eandem rem Iohannes dixit 20, 30. γ) Similis affeueratio legitur 19, 35. et οἴδαμεν pofitum effe poteft pro οἶδα. Hyperbole autem non infolens eft fcriptoribus exteris, Hom. Il. υ, 247. ἔστι γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι Πολλὰ μάλ', οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόνζυγος ἄχθος ἄροιτο. Cic. Philipp. 2, 43. *praefertim cum illi eam gloriam confecuti fint, quae vix coelo capi poffe videatur.* Curtius 7, 8. *Si dii habitum corporis tui auiditati animi parem effe voluiffent, orbis te non caperet.* Lactant. 4, 11. *quis voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia crudelitatis* (illo tempore in chriftianos exercitae) *genera?* vid. alia hanc in rem exempla apud *Wetftenium* ad h. l. Neque ὅσα ἐποίησε tantum ad Chrifti miracula referendum, fed ad omnia eius dicta et facta. — (Attamen qui nulla opinione adhuc praeoccupatus ad hunc locum legendum acceffferit, fatebitur, hanc hyperbolen a fimplicitate Iohannis alienam effe). d) Verba quae leguntur v. 14. *ita tertia vice Iefus difcipulis fuis apparuit, poftquam in vitam reuerfus erat,* manifefto docent, narrationem effe finitam. Nam fi reliqua effent eiusdem fcriptoris, pofuiffet haec verba in fine capitis. Igitur alius acceffit, qui narrationem quandam de Petro et Iohanne cum Chrifto

tum conuerſante annexuit, quam fando alicunde audiuerat. Sed res tradita, inprimisque interrogatio eadem, in re facili et plana ter repetita, puerile quid ſapit, et ab indole ingenii et ſermonis Chriſti plane abhorret, qui habet praeciſam breuitatem et vim atque neruos. Triplex igitur Chriſti quaeſtio de amore Petri erga ipſum aperte accommodata eſt ad triplicem abnegationem et proditionem Petri. Ficta haud dubie vel tum, quum quidam dubitare auderent de auctoritate Apoſtolica Petri, quippe quae illa proditione eſſet imminuta, ad illam ipſi vindicandam, vel adeo tum, cum de primatu Petri diſputare inciperent. Poſterior ratio iis vero videbitur ſimilior, qui verba *ſequere me*, explicant: *ſeorſim tecum loquar*; quod dicere videri debet, quaſi ipſi priua quaedam prae caeteris et ſingularia eſſet mandaturus. Sane non liquet, quare Chriſtus Petro praecipue id negotii mandet, vt oues paſcat, quod omnibus aeque iniunxerat, v. Matth. extr. Si vni prae caeteris haec cura eſſet demandanda, Iohannes aderat, qui erat dilectiſſimus Ieſu familiaris, et maiorem conſtantiam et grauitatem amoris in Ieſum in re trepida declarauerat. Omnino autem ex totius ſermonis Chriſti cum diſcipulis habiti indole de veritate huius tertiae apparitionis dubitari debet. Quam leuia ſunt haec dicta Chriſti! quanto grauiora dicturus fuiſſet ad eos conſolandos, excitandos et confirmandos, ſi vere apparuiſſet. *Gurlittus* l. c. p. 17. *d*) Non poſſunt ſcripta Euangeliſtarum, vtpote hominum illiteratorum, comparari cum ſcriptis hiſtoricorum Graecorum Romanorumque; etiam in reliquorum Euangeliſtarum libris hyſterologiae deprehenduntur, v. c. Matth. 14, 1—13. al. Iohannes interdum negligentius ſcribere ſolet; haud dubie Ieſus tunc temporis plura cum diſcipulis collocutus eſt, ſed Iohannes, qui more reliquorum Euangeliſtarum (vid. v. c. Luc. 4, 21. 22.) haud rarenter ſummam tantum orationum Chriſti in Euangelio ſuo attulit, vt 3, 2 ſſ. 20, 29. al. etiam h. l. ex iis, quae Chriſtus tunc temporis dixit, ea tantum ſelegit, quae ipſius conſilio conſentanea eſſent.

Volebat nimirum ipſe ante mortem ſuam errorem eorum corrigere, qui crederent, ipſum vsque ad viſibilem Chriſti reditum in viuis fore, qui error e voce Chriſti male intellecta ortus erat; volebat praeterea etiam hac occaſione Petri auctoritatem confirmare, hinc rem omnem fuſius et copioſius expoſuit, neque adeo ter repetita Chriſti quaeſtio v. 15 ſs. puerile quid ſapit. v. et not. ad v. 15. 16. e) Non erat tertia (v. 14.) Chriſti apparitio, tres ipſe Iohannes attulit, quarta quae contigerat diſcipulis in vicum, cui Emmauntis nomen erat, iter facientibus, Iohanni ignota eſſe non poterat, cum Petrus fuerit haud dubie alter diſcipulus ibi non nominatus. Itaque illa ipſa annotatio, quae v. 14 legitur, docet, Iohannem Apoſtolum, et reſurrectionis Chriſti teſtem ocularem, haec non ſcribere potuiſſe. *Paulus*. ε) Petrum fuiſſe Cleopae comitem, neutiquam probabile eſt, v. not. ad Luc. 24, 13. Erat omnino haec tertia apparitio, quae *Apoſtolis* et quidem pluribus congregatis (v. ad Luc. 24, 12.) contigit; quodſi etiam Nathanael, vt *Paulus* ſtatuit, non eſſet Apoſtolis annumerandus, (vid. ad v. 2.) reliqui tamen Apoſtoli erant, et a potiori fieri ſolet denominatio. *Eichhornius* in *Einleit.* p. 217 ſq. f) Nullus reliquorum Euangeliſtarum ea memorauit, quae hoc in capite leguntur. ζ) Leuiſſimum ſane hoc argumentum eſt. E ſilentio ſcriptoris nihil probari poteſt. Reliqui Euangeliſtae plura quoque alia omiſerunt, quae Iohannes in commentariis ſuis memoriae prodidit, omiſit vero etiam Iohannes plura a reliquis Euangeliſtis enarrata, neque tamen de harum narrationum fide dubitatur. g) De diſcipulis refertur hoc in cap. eos in Galilaea verſatos eſſe, ſed octo diebus poſt Chriſti reſurrectionem praeterlapſis, Apoſtoli adhuc Hieroſolymis commorabantur Ioh. 20, 26. et ipſo reſurrectionis die, v. Luc. 24, 49. Ieſus Apoſtolis admonitor extiterat, vt Hieroſolymis remanerent, vsque dum viribus diuinitus eſſent inſtructi, non ergo in Galilaeam ſe contuliſſe videntur v. *Paulus* l. c. ϑ) Apoſtolos poſt Chriſti reſurrectionem in Galilaeam ſeſe contuliſſe ſat

euidenter docet locus Matth. 28, 16. vbi v. Scilicet Iesus paulo ante mortem suam Apostolos, quos praeuide-ret ipsum a Iudaeis comprehensum deferturos esse, admo-nuerat, vt se in Galilaeam, ipsorum pluriumque sectatorum suorum patriam, conferrent, promiseratque, se ibi iis appa-riturum, Matth. 26, 32. Apostolis tunc temporis Christi verba obscura erant, v. ad Matth. 16, 21. et cum Iesus mortuus esset, verborum ipsius recordabantur, sed iis non habebant fidem, abiecerant animum, et cunctabantur in Galilaeam proficisci. Post resurrectionem suam Iesus iusserat mulieres nuntiare Apostolis et sectatoribus suis, eos ipsum in Galilaea esse visuros, Matth. 28, 10. Sed Apo-stoli narrationibus mulierum fidem denegarant. Luc. 24, 11. 37. Hinc Iesus iis Hierosolymae versantibus appare-bat, et per octo fere dies in vrbis vicinia remanebat, v. Luc. 24 Ioh. 20, 26. postea vero Apostoli in Galilaeam se conferebant, vbi Iesus iis et pluribus sectatorum suorum se conspiciendum praebebat Matth. 28, 16. vbi v. — At Iesus praeceperat ipso resurrectionis die Apostolis, vt Hie-rosolymis remanerent! Responderi posset, Lucam (24, 49.) ordinem temporis non esse secutum, Iesum hoc iniunxisse Apostolis, cum e Galilaea Hierosolymam essent reuersi v. *Hugius* l. c. sed probabilior sane est eorum sententia, qui statuunt Iesum iis primo resurrectionis die hanc praeceptio-nem dedisse v. ad Luc. 24, 49. Marc. 16, 14. 19. verum haec Christi praeceptio, vt Luc. l. c. contextus docet, spe-ctabat muneris Apostolici susceptionem, volebat Iesus, vt vrbem propagandae doctrinae diuinae caussa non prius re-linquerent, quam iis contigisset δύναμις ἐξ ὕψους. Poterant ergo omnino discipuli per aliquot dies proficisci in aliam regionem finitimam, ergo etiam in Galilaeam. h) Parum probabile est, Apostolos tunc temporis piscaturam in Gali-laea exercuisse. Cum iam in eo essent, vt docendi munus susciperent, ad hoc ipsum munus se praeparare debebant. i) Sed Apostoli non sunt comparandi cum nostrorum tem-porum doctoribus, iis longa praeparatione non opus erat,

exſpectabant etiam πνεῦμα ἅγιον, opera manuaria, magiſtro mortuo, cum ipſi nondum docendi munus ſuſcepiſſent, victum et alimenta ſibi comparare debebant, v. *Eichhorn* l. c. i) Quae v. 19. leguntur, non referunt Iohannis ingenium. Si Ieſus aliquando illud dictum protulit, quod v. 18. legitur, intellexiſſe putandus eſt de imbecillitate ſenectutis. Sed ſcriptor, vt mira Chriſti dicta hoc effato augerentur, explicuit illud de Petri morte in cruce perferenda, ad quam tamen nonniſi poſt Petri necem referri potuit. x) Frigida ſententia procedit, ſi verba Chriſti de ſenectutis imbecillitate explicantur. Non diſerte mortem in cruce perferendam, ſed vincula et mortem violentam Ieſus Petro praedixit, et ita Iohannes etiam verba magiſtri interpretatus eſt, v. not. ad v. 18. Cum Ieſus hoc dicto: ὅτε ἦς νεώτερος κ. τ. λ. prolato, paulo poſt Petrum allocutus ſit verbis his: *ſi eum vitam protrahere iubeam vsque dum ad iudicium rediero, quid hoc ad te?* (v. 22.); Iohannes eo facilius, quae Ieſus de manibus Petri extendendis, illoque cingendo dixerat, de carcere et morte violenta Petri, iam tunc temporis intelligere potuit. Sed ponamus verba Chriſti, quae v. 18. leguntur, nonniſi Petro interfecto, ad eius necem potuiſſe referri, nihilominus tamen Iohannes eam horum verborum explicationem adiicere potuit, quam v. 19. continet, cum Euangelium ſuum atque adeo etiam quae hoc in capite leguntur, poſt Petri demum mortem ſcripſerit, v. Prolegg. p. 63. Eſt praeterea Iohanni ſolenne narrationibus animaduerſiones, iudiciumque ſuum inferere, et memorabilia dicta, cum Chriſti, tum aliorum, illuſtrare, v. 2, 21 ſ. 11, 51. 12, 15. 16, 33. al. — Ex hactenus diſputatis equidem ſat luculenter elucere arbitror, authentiam huius capitis, ſi clauſulam eiusdem exceperis, argumentis grauibus atque idoneis defendi. Quare adſtipulor *Beckio* in Obſſ. critico-exegeticis P. 1. (Lipſ. 1795. 4.) de hoc capite ita iudicanti: *Iohannes Apoſtolus ipſe hanc appendicem 21, 1 — 23. ſuis de rebus Ieſu commentariis adiecit, adeo refert ea ingenium Iohannis,*

vid. v. 14 ss. 23. *Sed postremi duo versiculi, quos maximae difficultates premunt* (vid. et nos infra ad v. 24.), *videntur serioris auctoris nescio cuius? esse additamentum, qui partim indicare voluerit, quis ille sit discipulus, de quo antea narratum erat, partim suum non adeo graue iudicium interponere de multitudine factorum Christi.*

1. 2. *Postea Iesus rursus discipulis suis ad mare Tiberiadis hoc quidem modo apparuit.* ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος intelligitur lacus Galilaeae ad vrbem Tiberiada, vid. not. ad 6, 1. ἐπὶ id. qd. παρὰ *ad, prope,* οἷ ὁ Gen. 41, 1. ᾤετο ἑςάναι ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ. Herodo. 5, 92. 3. ἑςῶτες ἐπὶ τῶν θυρέων. Xen. Cyr. 4, 3. 28. ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ.— 2. ἦσαν ὁμοῦ] *erant vna;* εἶναι s. γίνεσθαι ὁμοῦ etiam de temporaria conuersatione, non tantum de contubernio perpetuo (de quo male *Michaelis* h. l. contextu repugnante cepit) adhiberi solere *Kypkius* ad h. l. docuit v. et Aeschin. Socr. 3, 1. Ναθαναὴλ, vid. 1, 46. idem cum Bartholomaeo fuisse videtur, cf. not. ad Matth. 10, 3, οἱ τοῦ Ζεβεδαίου scl. υἱοὶ Iohannes et Iacobus. ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν vtrum fuerint Apostoli, an e numero septuaginta discipulorum, an omnino sectatores Christi, definiri nequit. Neque tamen exinde, quod Iohannes eorum nomina reticuerit, cum nonnullis colligi potest, eos non fuisse ex Apostolorum collegio.

3. ὑπάγω, *piscatum ire s. abire* volo, vid. ad 8, 27. 10, 6. ἁλιεύειν praesens pro futuro ἁλιεύσειν s. ἁλιεύσων ex Hebraismo. ἐρχόμεθα καὶ ἡμεῖς σύν σοι] *eamus s. abeamus tecum.* ἔρχεσθαι, *ire, proficisci,* vid. ad Luc. 2, 16. Sophocl. Philoct. 1161. Chorus dicit: ἴωμεν, ἴωμεν ναὸς ἵν' ἡμῖν τέτακται, *eamus, eamus, ad nauem sicut nobis constitutum est.* Philoctetes respondet: μὴ πρὸς ἀραίου διὸς ἔλθῃς, ἱκετεύω, *ne eas, per Iouem te obtestor.* Scholiast. ἔλθῃς, ἀντὶ τοῦ ἀπέλθῃς. add. *Raphelius* Obss. Polyb. et Arrian. ad Matth. 16, 28. Pro ἀνέβησαν ex aucto-

ritate plurium codd. cum *Griesbachio* legendum ἐνέβησαν. καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ ἐπίασαν οὐδὲν] *per illam noctem nihil ceperunt.* Nox piscaturae fauens. Ariftot. Hift. Anim. 8, 19. ἁλίσκονται δὲ μάλιστα οἱ ἰχθύες πρὸ ἡλίου ἀνατολῆς, καὶ μετὰ τὴν δύσιν· ὅλως δὲ περὶ δυσμὰς ἡλίου καὶ ἀνατολὰς — μάλιστα γὰρ ἀπατῶνται οἱ ἰχθύες τῇ ὄψει κατὰ τούτους τοὺς καιρούς, τῆς μὲν γὰρ νυκτὸς ἡσυχάζουσι, πλείονος δὲ γενομένου τοῦ φωτὸς μᾶλλον ὁρῶσι, *capiuntur maxime pifces non multo ante, quam fol oriatur, aut poftquam occidit, denique circa folis ortum aut occafum — tunc enim maxime vifus pifcium fallitur, quippe cum noctu quiefcant, luce autem iam clariori melius videant.* Oppian. Halieut. 3, 50. Θήρη δ' ἑσπερίη μὲν ὀπωρινῇσιν ἐν ὥραις Καρτίστη τελέθει, καὶ ἑωσφόρος εὖτ' ἀνατέλλει, *pifcatio autem vefpertina quidem autumnalibus temporibus optima eft, et lucifer quando oritur,* add. ib. 4, 640.

4 — 6. πρωΐας (fcl. ὥρας) γενομένης, *mane, primo diluculo*, vid. ad Marc. 13, 35. Pro εἰς τὸν αἰγίαλον in aliis libris extat ἐπὶ τὸν αἰγίαλον (vt Matth. 13, 2. 48. Act. 21, 5.) quae lectio gloffema fapit. οὐ μέντοι ᾔδεισαν οἱ μαθηταὶ ὅτι Ἰησοῦς ἐστι, *ignorabant difcipuli Iefum effe*; ad diftantiam loci accedebat diluculi obfcuritas. — 5. παιδία, *cariffimi*, blanda compellatio, vt 1 Ioh. 2, 18. μή τι προσφάγιον ἔχετε;] *num quid pifcium habetis?* Attici omnis generis cibos, qui adhibentur ad panem, et cum eo capiuntur, fed recentiores, maxime pifces, inprimis elixos et affatos, ὄψον appellarunt, vid. Euftath. ad Hom. Il. λ'. p. 861. Rom. Athenae. 7, 2. p. 276 f. et ibi *Cafaubonus* p. 476 fq. Macedones autem, repudiato huius vocabuli vfu, ipfi finxerunt nomen προσφάγιον. Notarunt hoc vocabulum grammatici, vt vile atque inelégans vocabulum (Moeris: ὄψον, Ἀττικῶς. Προσφάγιον, Ἑλληνικῶς. Thomas Mag. ὄψον, οὐ προσφάγιον) et nomen ὄψον illo explicuerunt, Hefych. Suid. Auctor Etym. M. p. 646. *Sylb.* vid. *Fifcherus* Prolufl. de vitiis Lexx. N. T. p. 697 fq.

H. l. *pifces* intelliguntur. Stabat Iefus ad litus, et acclamabat difcipulis: num quid habetis pifcium? — 6. *βάλετε εἰς τὰ δεξιὰ μέρη κ. τ. λ.*] *mittite rete ad dextram nauis partem, tunc pifces capietis.* „Datur hoc mandatum per modum confilii, ita, vt fufpicari difcipuli poffent, ignotum illum aduenam ipfum pifcandi non imperitum in illa regione ad dextrum latus nauigii fita aliquid obferuaffe, ex quo plus quam probabili coniectura collegerat, pifcium ibi colluuiem effe. Alias hortatui perfonae hactenus ignotae tam facile morem non geffiffent." *Lampius* ad h. l. *ἀπὸ*, *prae*, *propter*, vid. not. ad Matth. 13, 44. Luc. 19, 3. et *Kypkius* ad h. l.

7. *ὁ κύριός ἐστι* portento admonitus, et fimilis infignis facti recordatus, vid. Luc. 5, 1 fqq. Petrus, vt erat ingenii feruidi, fpe et gaudio magiftri conueniendi abreptus, quo celerius litus attingeret, cum nauigium non longe a litore effet remotum v. 8. Iefu obuiam natare animum inducebat, quare *τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο* *fuccingebat tunicam.* *ἐπενδύτης* eft *tunica fuperior*, vt accepit quoque hoc vocabulum Hieronymus epift. 130. eft poft eum Theodoretus in Exod. Quaeft. 66. atque Syrus interpres, qui vertit ܦܛܘܠܐ Vulg. *tunica.* Graeci et Romani, eorumque exemplo Iudaei illius aetatis, vt notauit *Fifcherus* Proluff. de vit. Lexx. N. T. p. 81. gerere folebant fere duas tunicas, quarum *vna*, quae cutem tangeret, a Latinis *interula* dicitur, et *fubucula*, etiam *indufium*, a Graecis, et quidem ab Atticis *χιτωνίσκος* Xen. Mem. 2, 7. 5. Theophraft. Char. 25. a reliquis *ὑποδύτης* Euftath. ad Odyf. γ. p. 1462. 3. a Iudaeis חָלוּק *alteram*, togae et pallio propiorem, atque adeo inter fubuculam et exteriores veftes mediam, Attici *χιτῶνα*, caeteri Graeci *ἐπενδύτην* nominant, vid. *Salmafius* ad Simplicii Commentar. in Epicteti Enchirid. p. 229 fq. quod vocabulum Hebraei fuam in linguam receperunt. Scriptores enim Talmudici hanc tunicam dicunt אַפּוּנְדָּה, vid. *Buxtorfii* Lex. p. 187. quae Latine *fuperaria*,

faepe etiam *tunica* abfolute dicitur, vid. Cic. Tufc. 5, 20. Horat. 1 ep. 1, 95 fq. qua qui careret ab Atticis dicebatur ἀχίτων Xen. Mem. 1, 6. 2. et hoc ipfo fenfu *Fifcherus* cum aliis h. l. vocabulum γυμνὸς accipiendum putat, atque monet, Petrum ornatum fuiffe fola fubucula, ἦν γὰρ γυμνὸς, fed cognito Chrifti aduentu, *fuperulam induiffe et cinxiffe*, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο. Hac vero admiffa interpretatione, quaeritur, quare Petrus tunicam quoque fuperiorem induerit, antequam in aquam infiliret? Plerique refpondent: quo honeftior apud dominum appareret. *Morus*, *Gurlittus*, alii: quoniam tunicam in nauigio relinquere noluit. Sed non apparet, cur interula indutus, cum natare vellet, tunicam relinquere in nauigio noluerit. Equidem ἐπενδύτης omnino, flagitante vfu loquendi, de *tunica fuperaria* intelligendum effe cenfeo, fed verbum διεζώσατο, fimpliciter explicandum puto *fuccinxit*. Nempe indutus erat Petrus fola ἐπενδύτῃ, quae tamen disfoluta et neglecta fluebat, vt adeo nuda etiam caro per apertam et fluentem veftem cerneretur, cum ergo natando ad Iefum peruenire vellet, confultum ducebat, cingulo refumto amiculum fluens conftringere, ne natanti impedimento effet. Γυμνὸς, vt ab Hebraeis ערום, autem, non tantum dicitur, qui omnibus veftibus caret, fed etiam is, qui male veftitus eft Matth. 25, 36. Act. 19, 16. et qui vefte exteriore deftitutus eft 1 Sam. 19, 24. vid. ad Marc. 14, 51. et, vt loco e Luciano in Cynico init. probauit *Lampius*, etiam is, qui pallium fiue amiculum exterius folum geftat, vt adeo h. l. verba: ἦν γὰρ γυμνὸς fonent: *erat tunica tantum indutus*. Caeterum contra vfum loquendi *indufium pifcatorium*, per ἐπενδύτην *Leffius*, *Michaelis*, *Hezelius*, *Boltenius* intelligunt.

8 — 11. οὐ μακρὰν ἀπὸ τῆς γῆς, ἀλλ' ὡς ἀπὸ πηχῶν διακοσίων] *non longe erant a litore remoti, fed ducentis circiter cubitis*, ex oculorum iudicio diftantia defcribitur. τῶν ἰχθύων fcl. μεςὸν, quod v. 11. additum legitur. βλέπου-

σιν ἀνθρακιὰν — καὶ ἄρτον] *viderunt prunarum aceruum, cui erat impositus piscis, et panem.* Nulla prorsus idonea ratio adest, vt cum *Grotio*, *Hammondo*, *Heumano*, aliis, de miraculo h. l. cogitemus. Solebant piscatores et nautae igne in litore facto, cibos sibi coquere; forte panem discipuli ipsi attulerant, piscem Iesus ceperat (vid. *Lessius* ad h. l.) vel alii piscem et panem apportarant. De vi ac potestate vocabuli ὀψάριον disputauimus ad 6, 9. Non autem necesse est, vt per ὀψάριον cum nonnullis *pisciculum* significari statuamus, cum qualemcunque piscem hoc vocabulum denotet, et v. 11. *magni* pisces dicantur, qui antea dicti essent ὀψάρια v. 10. Nec semper cum apud Atticos, tum apud Hellenistas, vocabula diminutiua notant, res aut homines minutos, vid. *Fischeri* Prolusf. de vitiis Lexx. p. 11. et 156. Singularem ὀψάριον plures h. l. et v. 13. positum putant pro plurali. Attamen cum v. 10. pluralis diserte ponatur, et v. 13. singularis sequatur, omnino numerum singularem vrgendum puto. Neque tamen propterea quod vno pisce illi homines fuerint pasti, cum *Heumano* miraculum admittendum existimo. Etenim iam ab aliis contra monitum est, non esse necessario de pisciculo cogitandum, fuisse haud dubie piscem maiorem, nihil de mole panis commemorari, sermonem esse de ientaculo, non prandio, ientaculo autem vel mediocrem cibum suffecisse, discipulos per totam illam noctem nihil panis et obsonii habuisse, et magnam adeo famem attulisse, probari non posse, vid. *Lampius*, *Semlerus* et *Michaelis* ad h. l. *ἐπὶ τῆς γῆς*, *in terram*; praepositionem *ἐπὶ* genitiuo iunctam haud raro motum ad locum significare, exemplis e Diodoro Siculo desumtis, probauit ad h. l. *Münthius*. — 10. *ἐνέγκατε ἀπὸ τῶν ὀψαρίων ὧν ἐπιάσατε νῦν*] *afferte de piscibus, quos modo cepistis.* Monent, afferri voluisse Iesum de piscibus modo captis, vt multitudine piscium captorum inspecta, de miraculi magnitudine mouerentur praesentes, et vt omnis suspicio phantasmatis remoueretur. Sed, vt recte obseruauit *Lampius*, phantasmatis suspicio non cadere poterat

in piſces, quos manibus tractabant, atque in alios vſus ſervabant. Alii putant, Ieſum voluiſſe e piſcibus nouiter captis nonnullos in cibum afferri, cum piſcis vnus, vel pauci piſces v. 9. et panis non ſuffeciſſent tot hominibus alendis ſatiandisue. Qui hanc ſententiam tuentur, ſingularem ὀψάριον v. 13. vim pluralis obtinere cenſent. Cum vero v. 11. magnitudo et multitudo piſcium memoretur, nec quicquam h. l. legatur de piſcibus modo captis *in cibum* allatis, probabilior eſt eorum ratio, qui ſtatuunt Ieſum piſces nonnullos afferri iuſſiſſe, vt de bonitate et multitudine captorum piſcium conſtaret.

12. 13. τὸ ἄριϛον primis temporibus ſignificabat *ientaculum*, vt h. l. cibum matutinum, (ſerioribus Graecis ἀκράτισμα dictum) et ἀριϛᾷν *ientare* Athen. 1, 9, 10. καὶ ἄριϛον μὲν ἐϛὶ τὸ ὑπὸ τὴν ἕω λαμβανόμενον. Apollon. Lex. Hom. p. 206. ἄριϛον τὸ πρωΐνον ἔμβρωμα, οἷον τὸ ἀκράτισμα. add. Phauorin. deinde vero ἄριϛον adhibitum etiam eſt de *prandio*, vid. *Perizonius* ad Ael. H. V. 9, 19. et in dialecto Macedonica noua atque Alexandrina nomen ἄριϛον hac quoque poteſtate praeditum fuit, vt notaret *coenam*, *epulum quodcunque*, et idem eſſet quod δεῖπνον, εὐωχία, δοχή, atque verbum adeo ἀριϛᾷν idem valeret quod δειπνεῖν, εὐωχεῖσθαι, σιτεῖσθαι, vid. *Keuchenius*, *Lampius*, *Kypkius* ad h. l. *Fiſcherus* Proluſſ. de vit. Lexx. p. 580. et nos ad Luc. 11, 37. 14. 12. οὐδεὶς δὲ ἐτόλμα τῶν μαθητῶν κ. τ. λ.] *nemo autem diſcipulorum eum interrogare ſuſtinebat, quisnam eſſet? cum ſcirent eſſe dominum.* In conſtituenda vi ac poteſtate verbi ἐτόλμα interpretes variant. *Grotius* illud explicat: non neceſſe erat, vt eum quisquam interrogaret; repugnante vſu loquendi. *Semlerus*, *Michaelis* ſenſum ita conſtituunt: nemo audebat eum interrogare, temerarium et inuerecundum id fuiſſet, cum ſatis ſcirent ex vultu, voce, factis. *Lampius* τολμᾷν interpretatur *velle*. Mihi quidem *Heinſii* (Exercitt. Sacr. p. 237.) et *Gur-*

litti ratio praeplacet: qui τολμᾷν pleonaftice pofitum putant, vt adeo verbi notio propria non fit vrgenda. Ita vero τολμᾷν frequenter a fcriptoribus Graecis vfurpari folere, docuit *Marklandus* ad Lyfiam p. 159. ed. *Taylor.* Caeterum fenfus omnino verborum οὐδεὶς — ἐστιν quae in parenthefi ponenda funt, hic eft: omnibus iam perfuafiffimum erat de vera Iefu praefentia. ἔρχεται exprimunt: acceffit propius. Sed *Gurlittus* ad h. l. monuit: ἔρχεσθαι coniuncte cum λαμβάνει pleonaftice poni ex Hebraismo; atque hanc rationem etiam apud Graecos, vt apud nos in vita communi, obtinere, da kam er und fagte, etfi aliquis loco motus non fit.

15. *Poftquam ientaculum ceperant, dixit Iefus Simoni Petro: Simon Ionae fili, num tu maiori me, quam hi reliqui amore complecteris? Refpondit Petrus: fane nofti magifter, me te amare. Tum Iefus: pafce meos agnos!* Ter Petrus Iefum abnegauerat, quam tamen leuitatem fuam acriter defleuerat. Ne igitur ei in pofterum haec abnegatio obiiceretur, neue indignus declararetur, qui Apoftoli munere fungeretur, praefentibus difcipulis fupra v. 2. nominatis, Iefus ter eum interrogans, an ipfum amaret; volebat ex eo profeffionem amoris elicere, eum ad conftantiam admonere, et denuo muneri Apoftolico praeficere. Compellatio Σίμων Ἰωνᾶ in memoriam reuocabat Petro illud tempus, quo Iefus ei Petri nomen impofuerat, v. Ioh. 1, 42. eiusque conftantiam laudarat, cf. Matth. 16, 17. 18. vbi v. not. non poterat non haec compellatio ei pudorem incutere, πλεῖον τούτων, *Whitbyus, Oederus, Boltenius* fubintelligunt non ἀποστόλων, fed ῥημάτων *his rebus,* hoc fenfu: mene amas magis, quam hos pifces captos, fupellectilem pifcatoriam, opificiumque tuum? Sed refpexit Iefus arrogans Petri dictum Matth. 26, 33. *etiamfi omnes a te defecerint, ego nunquam deficiam,* coll. Ioh. 13, 37. hanc promiffionem a Petro datam, non autem feruatam, his verbis Iefus ei in memoriam reuocare, atque adeo hoc dicere voluit: fcin', qualia ante paucos dies pro-

miferis? te iftos omnes longo interuallo poftte relicturum? num talem te geffifti? Petrus, qui probe perfpiceret, quo Chrifti quaeftio tenderet, non amplius affeuerare audebat, plus a fe quam ab illis Chriftum diligi, fed modefte refpondebat: *certe domine ipfe fcis, te a me amari.* Poft κύριε non effe punctum ponendum, Petrum non omnem Chrifti quaeftionem affirmaffe, non dixiffe fe plus eum amare quam caeteri, recte *Beza*, *Rufius*, *Leffius*, aliique monuerunt, Prouocat praeterea Petrus modefte ac reuerenter ad Chrifti fcientiam, cui fe notiorem effe, quam fibi ipfe, experientia edoctus didicerat. βόσκε τὰ ἀρνία μου] *curam gere ecclefiae meae* (Matth. 16, 18 fq. vbi v. not.), da diligentem operam, vt agnos meos paftoris more cures. Metaphora fatis frequens, v. Ioh. 10, 11 fs. Caeterum ab interpretibus multa disputata funt de differentia verborum ἀγαπᾶν et φιλεῖν, βόσκειν et ποιμαίνειν, ἀρνία et πρόβατα v. 15—17. Obferuarunt nimirum ἀγαπᾶν effe verbum latioris fignificationis, vt Lat. *diligere*, φιλεῖν verbum fortius, vt Lat. *amare*, Hefychius: φιλεῖ· κατὰ ψυχὴν ἀγαπᾷ, monuerunt, verbum βόσκειν ad docendi negotium, ad nutritionem animarum, ποιμαίνειν ad regimen ecclefiae referendum effe; per ἀρνία autem intelligi ftatuerunt haud pauci, chriftianos minus perfectos, per πρόβατα chriftianos perfectiores. Verum enimuero Graeci verba ἀγαπᾶν et φιλεῖν, vt Latini verba *amare et diligere*, vulgo promifcue vfurpant, et fic qnoque h. l. tanquam verba idem valentia vfurpata leguntur, nam v. 17. pro ἀγαπᾶν legitur φιλεῖν, etiam Syrus interpres verba φιλεῖν et ἀγαπᾶν h. l. conftanter expreffit verbo ܪܚܡ, a Chaldaeis autem et Syris interpretibus promifcue ponitur hoc verbum רחם pro אהב. Etiam verbum βόσκειν et ποιμαίνειν Syrus reddidit vno verbo ܪܥܐ, et Alexandrini interpretes pro ebraico רעה modo adhibere folent βόσκειν, modo ποιμαίνειν, vt docuit *Hackfpanius* ad h. l. ergo verbis βόσκε et ποίμαινε omnino haec fententia exprimitur: recipio te in numerum

Apoſtolorum meorum, curam tibi eccleſiae meae committo. Quam eandem curam etiam reliquis Apoſtolis commiſerat, v. Matth. 18, 18. Vocabula denique πρόβατα et ἀρνία aliis quoque in locis inter ſe permutantur, v. Matth. 10, 16. Luc. 10, 3. intelliguntur omnino Chriſti ſectatores, et vt Iohannes chriſtianos modo τέκνα, modo blandius τεκνία vocat 1 ep. 2, 12. 28. 5 Ioh. 4. ita Chriſtus cultores ſuos modo cum agnis, modo cum ouibus comparauit. Omnino tenendum eſt Chriſtum tunc temporis, non Graece, ſed Syriace eſſe locutum, Iohannem varia vocabula idem valentia vſurpaſſe, quo gratior auribus Graecis ſua oratio eſſet; neque in allegoria, vt ſcite animaduertit *Morus* ad h. l., ſingula verba premenda, et ſynonyma vrgenda ſunt, ſed latet in ea, vna eademque ſententia, ſiue his, ſiue illis verbis expreſſa, ſic h. l. in verbis ποίμαινε τὰ πρόβατά μου et βόσκε τὰ πρόβατά μου latet notio haec: tu praeeſſe debes coetui meo.

16. 17. πάλιν δεύτερον, v. ad 4, 54. Matth. 26, 42. Iterat Ieſus interrogationem, ſed emolliens eam, omittit πλεῖον τούτων. Tertia vice cum eandem interrogationem Petro propoſuiſſet Ieſus, atque de amore ipſius adhuc dubitare videretur: Petrus candidi amoris ſibi conſcius, triſtitia affectus, in haec erumpebat verba: κύριε, σὺ πάντα οἶδας, σὺ γινώσκεις ὅτι φιλῶ σε] *magiſter, tu qui omnia noſti, nec ignoras, me te amare.* σὺ πάντα οἶδας explicant: noſti qui factum ſit vt te abnegarem, me tamen te amare non deſiiſſe, me deploraſſe iſtam animi leuitatem, me iam te eo ardentius adamare. Poteſt vero etiam ſenſus verborum ita conſtitui: tu pro ea qua polles ſingulari et inuſitata animi humani cognitione, me quoque plane noſti, ſcis me te amore intimo complecti. Haec ratio praeferenda videtur, cf. 2, 25. 16, 30. Caeterum perquam probabile eſt, Ieſum, non continua ſerie Petro has interrogationes propoſuiſſe, ſed cum reliquis diſcipulis collocutum eſſe, atque inter colloquium cum iis inſtitutum, ſe ad Pe-

trum conuertisse, et cum Petro ipso plura esse locutum. Iesum saltem, cum Petrum tertia vice interrogasset, plura adiecisse, et Iohannem, more solenni, summam tantum colloquii attulisse, ea docent quae v. 18. a Iesu dicta memorantur, quae non satis accurate cum antegressis cohaerent.

18. ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι] *affirmo tibi, te, qui iuuenis te ipse cingeres, et quocunque placeret, te conferres, quando consenueris, manus tuas extensurum, et ab aliis cinctum atque abductum iri, quo duci nolueris.* Vt Iesus notionem vniuersalem exprimeret hanc: tu iunior libere tua negotia tractas, tui iuris es, libertate perfrueris, exemplum vitae communis affert hoc: pro arbitrio tuo te cingis, et quo lubet, te confers. Praeterita de re praesenti in oraculis adhibentur. Accingere autem se in Oriente solebant qui iter ingrediebantur, vel aliud negotium quoduis peragere volebant, quo expeditiores essent v. ad Luc. 12, 35. ὅταν δὲ γηράσῃς olim non erit sic, senex hac libertate carebis. ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, cogeris manus extendere, vt solent captiui. ἄλλος σε ζώσει, alius te cinget; sed cingulum sumitur quoque pro vinculo Act. 21, 11. οἴσει *abducet* Marc. 15, 22. nempe in carcerem, etiam ad mortem. ὅπου οὐ θέλεις, quo non fert animus, quo non sponte duci vis, opposita formula est ὅπου ἤθελες, naturalem libertatem opponit captiuitati. Iam vero nexus orationis hic est: te me amare professus es, denuo tibi ecclesiae meae curam committo, vincula, mors violenta tibi imminent, sis constans cum pericula ingruent, et caue, ne tu, quem denuo Apostolum, doctrinae meae praeconem constitui, iterum animo deficias atque labaris. Iesum verbis v. 18. Petro praedixisse, eum in vincula coniectum iri, et vero etiam mortem violentam subiturum esse, Iohannes ipse v. 19. docet, et verba omnino ita comparata sunt, vt Petrus ea commode hunc in modum interpretari posset, nec aliter Petrum ea intellexisse, colligi potest ex 2 Petr. 1, 14. et colligent inde, qui hanc epistolam, cuius

authentiam nuper modo defendit *Dahlius* (Roftochii 1807. 4.), a Petro profectam effe ftatuunt. cf. et v. 21. et init. cap. not. fub lit. k. Cum vero Petrus in crucem actus fit, hinc alii interpretes ftatuunt, hoc ipfum mortis genus Iefum verbis v. 18. Petro diferte praedixiffe. Vrgent verba ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, notant, manus in cruce dextrorfum et finiftrorfum fuiffe extenfas, verbum ζωννύειν pofitum effe pro *cruci affigi*, petitum e more, cruci affigendos linteo circa femora, pudoris cauffa, praecingendi, vel omnino pro, funibus adftringi in cruce, cum, vt *Schulzius* ad h. l. notauit, verbum פזר in lingua Syriaca, non tantum fit *cingi* Pf. 18, 40. in verf. Syr. fed etiam *fuspendere fe* Matth. 27, 14. in verf. Philox. Sed vt veriffime obferuarunt *Semlerus*, *Gurlittus*, alii, nonnifi violenter e verbis Chrifti erui poteft, eum de fupplicio crucis cogitaffe. Nam quis in crucem agendus, *Gurlitti* verbis vtor, manus extendit ad palum, et deinde praecingitur linteo circa femora, (nifi ζωννύειν malint effe funibus adftringere cruci) et tum demum deducitur ad palum aut in eum tollitur? *Gurlittus* cum aliis h. l. fermonem effe contendit, de imbecillitate fenectutis, aliorum adiumentum requirente; et verba Chrifti hunc in modum explanat: „*Se ipfum accingere* eft tunica fe induere, quia tunicae veterum cingulo conftringebantur. ἐκτενεῖν χεῖρας porrigere manus, aliique fe accingendum praebere; vel non coniuncte, cum ἄλλος σε ζώσει omnino eft: ab alio auxilium et fubleuationem flagitare. *Alius te cinget* h. e. imbecillitati fenis ita fuccurret, vt te veftibus induat. *Alius te portabit*, *quorfum deportari nolueras* h. e. cum non amplius pedibus valebis, de vno loco ad alterum deportandus eris, et tum faepe accidet, vt is locus tibi parum commodus videatur.“ *Michaelis* duplici modo verba Chrifti explicari poffe concedit, et Iefum quidem opinatur locutum effe de fupplicio crucis a Petro perferendo, Petrum vero haec verba tunc temporis de fenectutis imbecillitate cepiffe. Sed vt iam *Schulzius* recte animaduertit, perquam frigida fententia procedit, fi de fenectutis imbe-

cillitate verba intelliguntur, nihil praecipui tunc temporis Iefus Petro dixiffet, nec facile perfpicitur, cur quis in fenectute eo duci (οἴσει) debeat, quo nolit, ὅπου οὐ θέλεις. Acquiefco igitur, cum praefertim et aliae rationes accedant, in ea interpretatione, quam fupra propofui.

19. τοῦτο δὲ εἶπε, σημαίνων ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεὸν] *Haec dixit, vt fignificaret, quo mortis genere celebraturus effet Deum.* δοξάσει τὸν Θεὸν diuinae doctrinae profeffionis cauffa mortem violentam fubiturus, eius veritatem et praeftantiam couftanti morte declaraturus et confirmaturus. Verba ἀκολούθει μου, *fequere me*, nonnulli explicant, de aemulatione et fucceffione Petri in locum Chrifti doctoris; alii de mortis genere, de crucis fupplicio, vel omnino de conftantia ad exemplum Chrifti in perferendis calamitatibus et fubeunda violenta morte exhibenda, quam in rem prouocant ad 13, 36. fq. fed cum v. 20. idem verbum fimpliciter et phyfice accipiendum fit, ἐπιστραφεὶς δὲ ὁ Πέτρος βλέπει τὸν μαθητὴν ἀκολουθοῦντα, etiam h. l. verbum ἀκολουθεῖν proprie accipiendum eft, vt iam acute viderunt Chryfoftomus, Theophylactus et Euthymius. Volebat Iefus feorfim, non audientibus reliquis, cum Petro colloqui; hoc verba et geftus dicentis declarabant.

20. 21. Petrus conuerfus, vidit Iohannem (τὸν μαθητὴν ὃν ἠγάπα κ. τ. λ. 13, 23.) infequentem, hunc intuitus, e Iefu quaefiuit: κύριε, οὗτος δὲ τί; haec verba *Michaelis*, *Rofenmüllerus*, *Hammerus* in Disf. mortuorum in vitam reuocatio fermonibus Chrifti hiftoricae interpretationis ope vindicata (Lipf. 1794. 4.) p. 47. alii vertunt: *quid tandem hic fibi vult?* Putant Petrum, cui Iefus dixiffet, fequere me, feorfim tecum loquar, qui forte metuiffet vlteriorem reprehenfionem culpae et leuitatis fuae, indigne tuliffe, quod Iohannes fretus familiaritate qua eum Iefus faepe dignatus erat, ipfos fequeretur, et teftis effe vellet eorum, quae Iefus Petro dicturus effet, indignabundum ergo hunc dixiffe: quid hic nos fequitur? Sed hanc inter-

pretationem v. 22. repudiat. Scilicet sequentem Christi orationem, quam hic versus continet, interpretandam censent, vel: *si eum iubeam mecum versari, vsque dum hinc abeam*, vos derelinquam, *nihil tua refert*, (sed tum Iohannes scripsisset μένειν σὺν ἐμοὶ, et volebat Iesus seorsim colloqui cum Petro), vel: *si eum velim hic manere, dum tecum redeam, nihil hoc ad te pertineat*, ergo nec quicquam impedit, quo minus eum patiar iam me sequi. At hoc erat illud ipsum, quod Petrus cupiebat, vt Iohannes ne vna iret. Cur ergo dicit: quid hoc ad te? v. *Gurlittus* l. c. Praeterea verba Iesu: ἐὰν οὖν θέλω κ. τ. λ. necessario sensum habere debent, qui confundi possit cum hoc Ἰωάννης οὐκ ἀποθνήσκει v. 23. et ipse Euangelista v. 23. τῷ μένειν opponit verbum ἀποθνήσκειν. Itaque retinenda est vulgaris verborum expositio: *quid cum hoc fiet*? quaenam huius sors erit? Petrus cum suam ipsi sortem praedixisset Iesus, magistrum, cui sciret Iohannem inprimis carum esse, cum hic ipsos e longinquo insequeretur, curiositate ductus interrogabat: quaenam vero huius sors erit?

22. 23. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν κ. τ. λ.] *Tum Iesus: si eum in viuis manere vellem vsque ad meum reditum, quid ad te? tu modo me sequere.* ἐὰν θέλω positum est pro ἐὰν θέλοιμι ἂν, quia Hebraei optatiuo et subiunctiuo carent. μένειν *in vita manere, vitam protrahere*, vt 1 Cor. 15, 6. Arrian. Epictet. 3, 24. μέχρι νῦν διά σε ἔμεινον, *tua caussa hactenus in vita permansi.* add. Herodo. 1, 30. Pind. Ol. 2, 124. Quaeritur, de quonam reuentu Christi h. l. cogitandum sit? Verba fecerat Iesus ante mortem suam de duplici reditu, altero ad excidium Hierosolymorum, altero ad finem mundi atque regni Messiani inaugurationem solennem, v. ad Matth. p. 646. Hinc plures interpretes h. l. cogitant de Christi reditu ad euersionem Hierosolymorum. Sed Iesus dicere volebat, si vellem vt mortem naturalem subiret Iohannes; in euersione autem Hierosolymorum violenta morte perire potuisset,

vt probe monuit *Lampius* ad h. l. p. 760. loquitur porro Iohannes de rumore inter chriftianos diuulgato, feruato etiam cum haec Euangelifta poft Hierofolymorum excidium et Petri mortem fcriberet, nempe *Iohannem non effe morituram*: eft ergo omnino de reuentu Chrifti ad iudicium extremum cogitandum. τί πρός σε; *quid hoc ad te pertineat?* noli te aliorum rebus immifcere, et quaeftionibus curiofis nos tenere, cura quod te fpectat. Formulam τί πρός σε etiam Graecis fcriptoribus perquam vfitatam effe, probarunt ad h. l. *Kypkius* et *Wetftenius*. — 23. ἐξῆλθεν οὖν ὁ λόγος οὗτος εἰς τοὺς ἀδελφοὺς κ. τ. λ.] *diuulgatus igitur eft rumor inter chriftianos, hunc difcipulum non effe moriturum.* ἀδελφοὶ funt *chriftiani*, vt faepius. Neque enim probari poteft, Apoftolos verba Iefu ita cepiffe, fed hic falfus rumor diuulgatus eft inter chriftianos, qui verba Chrifti et narrationes Apoftolorum male intellexerant. Quare ut hunc errorem corrigeret Euangelifta, adiecit haec: *non dixerat Iefus, non moriturus eft*, fed conditionate, *fi velim vt in viuis maneat, ad meum vsque aduentum*, ergo non abfolute dixit, adeoque non eft dubium Iohannem effe moriturum.

24. 25. *Hic eft ille difcipulus, qui haec teftatur, et literis confignauit, et fcimus eius teftimonium effe verum. Sunt praeterea alia multa a Iefu peracta, quae fi quis figillatim perfcribere vellet, ne totum quidem terrarum orbem libros illos capere poffe exiftimo.* Conf. notata fupra init. cap. fub lit. b. β. c. γ. Offenderunt interpretes, et recte quidem offenderunt v. 24. pluralis οἴδαμεν et perfonarum mutatio οἴδαμεν — αὐτοῦ. Qui Iohannem huius corollarii v. 24. 25. auctorem habendum effe ftatuunt, varias vias ingreffi funt, quibus ex his difficultatibus fefe exfoluerent. Fuerunt qui lectionem mutandam, atque legendum effe putarent, vel οἴδατε, vel οἶδα μὲν, vel οἶδε μὲν, vel οἶδεν ὅτι vt 19, 35. Sed codices abdicunt. Alii οἴδαμεν communicatiue dictum, vel pluralem pro

fingulari pofitum effe putarunt, vid. fupra b. c. Perfonarum autem mutationem, cum auctor ita de fe locutus fit, vt primo adhibuerit tertiam perfonam, fubito deinceps primam perfonam in plurali fubftituerit, et tum pro ἡμῶν fcripferit αὐτοῦ *Beza, Storrius* (Opufcc. T. 3. p. 272.), alii, ex Hebraifmo defendi poffe contenderunt, laudarunt hanc in rem Ioh. 6, 40. 5, 25. Mich. 7, 19. fed hi loci funt alius generis. Eft omnino haec fcribendi ratio non Iohannea. Aliis enim in locis, vbi quoque teftatur, fe veritatem protuliffe, his verbis vfus eft. 19, 35. καὶ ὁ ἑωρακὼς — κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει. 3 ep. 12. ἡμεῖς δὲ μαρτυροῦμεν, καὶ οἴδατε, ὅτι ἡ μαρτυρία ἡμῶν ἀληθής ἐςι. Etiam hyperbole, quam v. 25. continet, vt fupra vidimus, a fimplicitate Iohannis aliena eft. Sunt igitur quae v. 24. et 25. leguntur, ab aliena manu adiecta. ἐὰν γράφηται καθ' ἓν fupplendum eft ἕκαςον, quod additum legitur Act. 21, 19. Diod. Sic. p. 48. B. γράψαι καθ' ἓν, ὧν ἐνεκάλει. Pro χωρῆσαι *Marklandus* in Coniecturis Lyfiacis p. 596. legendum putabat χωρήσειν vel χωρῆσαι ἄν, cum non crederet aoriftum fine particula ἂν ita poni poffe, vt vim futuri habeat. Sed non tantum in N. T. libris, verum etiam apud optimos quosque fcriptores talia frequentari, abunde demonftrauit *Loefnerus* ad h. l.

INDEX.

14